Ad Bibliothecam Canoniæ Regularis in Dieſſen.



Philippe Comte d'Arcoli

# PERIPATETICUS
## NOSTRI TEMPORIS,
*SEU*
# PHILOSOPHUS
## DISCURSIVUS,

In biennali Curſu, per Diſcurſus Symbolico-Phyſicos, ad Diſcurſum, juxta Sanctorum Philoſophorum Exempla, piè curioſum inſtructus: & publicæ Diſputationi propoſitus,

IN ALMA, AC PERANTIQUA,
## CÆSAREO-ARCHIDUCALI UNIVERSITATE FRIBURGO-BRISGOICA.

*PARS I.*

SEU

*MICROCOSMUS.*

PRÆSIDE

P. IGNATIO SCHWARZ S. J.

PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO,

*Defendente*

D. Henrico Eha, Schônbergenſi Suevo, Philoſophiæ Candidato.

*Menſe Auguſto, M. D. CC. XXIV.*

---

Friburgi Brisgojæ, Typis Franciſci Xaverij Schaal, Typogr. &c.




Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, et inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundũ elementa mundi, et non ſecundùm Chriſtum. ad Coloſs. 2. v. 8.

*Gottfrid Rogg deline.* *Joh: Melchior Gutwein sculpsit A. V.*



# CHRISTO JESU,

## INCARNATÆ SAPIENTIÆ, DUODENNI DEO, DOCTORUM DOCTORI, INTER DOCTORES MEDIO,

# PERIPATETICO NAZARENO,

## PHILOSOPHIÆ ANTIQUÆ REFORMATORI, RECENTIORIS, & SANCTÆ AUTHORI, *PHILOSOPHORUM NOSTRI TEMPORIS* AMORI, & AMATORI,

## *DEDICATIO.*

Quò raperis audax penna?
A Natura dum volas ad Authorem Naturæ?
Temeraria levitas te rapit ſurſum:
Ab infimo tendis ad Summum,
Non tranſito medio.
Fruſtra ſum:
Volat irrevocabilis penna,
Ipsâ levitate velocior:
Bis volat penna,
Quia Amoris alis pennata,
Atque ipſis elata, & alata Cœli Favonijs.
Volat, ſecúmque rapit hæc folia, *Job.* 13.
Ne infra Olympum illa rapiat *Ventus,* *v.* 25.
Et difflando avenam, ſicuti *Stipulam,*
Suam ventoſa Vanitas *oſtendat Potentiam.*
Ergò vola, nec revola:
Eris Authori Anáthema,
Niſi Authoris Authori ſis Anathéma.
Non accuſat, ſed excuſat te tua levitas:
Patrocinio indiges omnipotente,
Te nihil potentem, ut protegat:
*Sapientiâ* opus eſt *infinitâ,*
Ut tantæ præbeat inſcitiæ aſylon.
Nullus ſplendor creatus,
Sat diſſipare potuiſſet has tenebras.

)(

Repe-

Reperiſti ſurſum,
Quod non reperiſſes deorſum,
Juvenili Partui Patronum,
*Infantem DEUM.*
Non inveniſſes in homine,
Patronum tam potentem, & humilem:
Tam potentem qui poſſet,
Tam humilem qui vellet,
Cauſam tui ſuſcipere,
Niſi infinitè potentem, & humilem,
*Duodennem DEUM.*
Jure te conſecras *Doctorum Doctori:*
Indiges Doctore,
Qui Doctrinam faciat ſanam;
Indiges Doctorum Doctore
Qui ſanam faciat, ſimul & ſanctam.
Jure te conſecras
*Medio inter Doctores,*
Ut diſceres medium,
Quod illi tenere ſolent Philoſophi,
Qui Beati, quia Sancti,
Ut ſcires,
Doctores non eſſe Doctores,
Niſi ſit in medio Chriſtus,
Hoc eſt,
Niſi ſit in medio Virtus.
Ex Auditorio diſces,
Diſcendi modum, atque docendi:
Nempe Philoſophiam
Tradendam piè, diſcendam ſanctè,
Quia *in templo.*
En! Chriſtus
Eſt Auditor, ſimúlque Auditorum Inſtructor,
Ut ſic docere te doceat,
Ne unquam diſcere erubeſcas.
Dat reſponſa, & accipit,
Ut Diſcurſus tuos inſtrueret
Per Diſcurſum.

Jure te conſecras
*Peripatetico Nazareno,*
Peripateticus fuit,
*Nam pertranſiît benefaciendo ;* *Actor.* 10 *v.* 38.
Ut diſceres,
Philoſophiæ veræ epitomen,
Sic *tranſire* per temporalia,
Ne amittas æterna.
Peripateticus fuit,
Qui nunquam meliùs docuit,
Quàm quando non docuit,
Nósque ſuperbiam noſtram dedocuit,
Nazaræo ſilentio Ipſum *Verbum.*
Nunquam meliùs luxit,
Quàm quando non luxit,
Et per ipſas Nazaræ tenebras,
Noſtrum confudit ſpurium ſplendorem.
Ne quære,
Quid totis triginta annis fecerit Chriſtus:
Primas Sophorum Cathedras Faber deſtruxit,
Novásque humilibus fabricavit:
*Difficilis labor, tot annis laborari debuit.*
Ne quære,
Quid totis triginta annis docuerit,
Sat docuit,
Quia latuit, atque tacuit:
*Difficilis lectio, tot annis doceri debuit.*
Jure te conſecras
*Philoſophiæ antiquæ Reformatori:*
Vidit Philoſophos veteres luxiſſe, ſed non arſiſſe:
Nam ignibus luxêre,
Sed quia fatui, fatuis.
Hinc meliùs ut lucerent,
Lucem veram haurire à tenebris docuit.
Vidit Philoſophiam veterem fabricâſſe multa,
Parum ædificâſſe,
Imò nihil, niſi in aëre.
Hinc Faber meliùs docuit Artem fabrilem,

Prima ponere ultimo loco,
Et ultima primo.
Jure te conſecras
*Philoſophiæ ſanctioris Authori,*
In qua jubemur priùs facere, quàm docere:
Priùs rationi conformiter vivere, quàm loqui:
Philoſophiam magìs exprimere moribus,
Et vitæ curſu, quàm inani diſcurſu.
Denique Jure te conſecras,
*Philoſophorum noſtri temporis Amori, & Amatori:*
Amor eſt,
Nam in ſe colligit Amorem omnem,
Qui in ſe colligit omnem Amoris cauſam.
Quid vagamur per creaturas,
Cùm amandum ſeſe offert Creator?
Quid miramur in creaturis pulchritudinis ſtillas,
Quas in ſe colligit Chriſtus,
Pulchritudinis totius Oceanus?
Amor eſt Chriſtus,
Et eò major, quò minor,
Hoc ipſo Maximus, quia Parvulus,
Et verè Delicium Generis humani.
Sed & Amator eſt Amatorum:
Nam
*Prov.* 8. *Illi deliciæ, eſſe cum filijs hominum.*
*v.* 31. Tam eſt humilis, ut neminem reſpuat:
Tam eſt amabilis,
Ut amari, & amare non modò velit, ſed optet.
Vola igitur felix penna, nec revola:
Affer parvulo DEO hæc parvula folia;
Dic, legat Puerulus
Hac in nuce Amoris Iliadem.
Plura non adde,
Niſi Apoſtoli amantis epiphonema:
1. *adCor.* *Si quis non amat Dominum noſtrum JEſum Chriſtum,*
16, *v.*22. *Anáthema ſit.*

*Ita vovet, ſéque totum devovet*

*Devotiſſimus Henricus Eha, Philoſophiæ Candidatus.*

# PROŒMIUM.

MUlta ſunt, benevole Lector, ad quæ ut paucis tibi reſpondeam, poſtulas. Nec tuum abnuo tribunal, quia judicis ex æquo prudentis: ex eo fas eſt hoc æſtimare, quòd me compelles, nec unà mecum, quæ tenes, folia, indictâ causâ, condemnes. Quamvis, ut fatear, nec illum, ad Rhadamanthi vel Æaci urnam, injuriæ poſtularem, qui partum hunc, etiam ante lucem, jam condemnâſſet ad tenebras. Quid enim, dicere potuiſſet, cum non ineptis noſtri temporis Criticis, quid à Peripato ſperes, quod ſat politum pro lima ſæculi, ſat delicatum pro guſtu, ſat novum pro genio? monſtra parit, quisquis in Philoſophia novi quid parturit; novitates ejusmodi jam exoletæ cum Stagira, jam cum Athenis ſunt antiquatæ. Philoſophum ornare putant ætatis noſtræ Philoſophaſtri, dum centones, quos ſatis roſit jam tinea, noviter epomidi aſſuunt: Peripatum renovant, dum Xenophanis codicem, à pulveribus perpurgatum, novo jam involucro, edunt in lucem: ſed actum agunt, ſaxúmque volvunt cum Siſipho: non enim facilè problema phyſicum eruderabis, quod non centies coctum, denuóque recoctum publico propoſuit Philoſophia, ſcilicet novo conditam obſonio, antiquam crambem. Fruſtra igitur fatigat calamum, qui cum atramenti diſpendio paginas illinit, quas non niſi araneæ telis ſuis compingent; quas unà cum caſſis nucibus exſpectant glires, & veluti grande onus, ipſæ jam jam formidant bibliothecæ. Hoc illi, & ut fatear, me adeò non refragante, ut & ipſe Philoſophiæ armarium, jam pridem crederem exhauſtum: hinc eſt, cur recentes

)()( proba-

probarem Philoſophos, qui ex panoplia aſcetica mutuârunt tela, utiliùs debellaturi philoſophicæ vitia vitæ, quàm doctrinæ. Id tamen, his non obſtantibus, eſt in confeſſo, quòd ſi novitatis nimiùm ambitioſa cupiditas Peripato calamum ſubtrahit, tandem in alijs quoque ſcientijs, eundem ſuſpendet idem moderni ſæculi fatum. Adoro ego multiplices ingenij partus, quibus, pro ſua methodo, vectigal Minervæ ſolvunt & aliæ Facultates: id ſolùm ſuſtineo, ſic novatoribus ſuam deberi gloriam, ob recenter inventa, ut & ob noviter perpolita, honore debito non fruſtrentur renovatores. Certè, ſi quid hac in re vitij, id non tam eſſe dixerim Philoſophiæ egentis, quàm delicati nimiùm genij, cuncta faſtidientis. Hujus igitur palatum ne penitùs corrumpamus, ea afferre eſt animus, quæ utut nova non ſint, non tamen adeò videantur ingrata, ut etiam noviter repetita diſpliceant. Scio, horret junior ætas ire per ſalebras ac ſenticeta Philoſophiæ, quæ dum ingenium acuunt, pungunt. Genium, & non rarò ingenium ſuperant ſublimia propter ſubtilitatem, abſtruſa propter profunditatem, quæ pridem, ſummâ laude, enodaverant illi, quibus ingenij acies pro Alexandri gladio fuit. Nobis ea præplacuit ſemita, quæ ſuâ planitie adeò non abſterreret, ut etiam amœnitate alliceret. Eripienda nempe Tyronibus tam vana, quàm pernitioſa perſuaſio, qua Philoſophiam ſibi fingunt ſeveram fronte, ſupercilio aſperam, jejunam, maciéque penitùs exſuccam, in ſalebroſis Lybiæ deſertis exulem potiùs, quàm peregrinam: ſciant, ſic equidem ſuis redimitam ſpinis, ut tamen amœniſſimis pariter floribus abundet: ſic confragoſum eſſe aditum, ut tamen in lætiſſima hoſpitem vireta tandem deducat. Quapropter ſic mecum ſtatui, Philoſophum noſtri temporis tum demum utiliter aptari Philoſophiæ, ſi illi pariter ipſa accommodetur Philoſophia, ſuíſque genius ineſcetur cupedijs, curioſus ſcilicet curioſis. Non enim Philoſophos tangit illud Oraculum, *quòd Dij oderint curioſos:* ſed curioſitas, aliàs vitium, in Philoſophia virtutis nomine gloriatur. Et quia ad eruditos diſcurſus tot ambagibus currit polita noſtri ſæculi ætas, ſciat, non niſi in Philoſophia compendioſam patére ſemitam: hoſpitem in Peripato judica, ſi quem vides, qui eruditos inter, hianti ore, balbutit, vel ſtupet: Philoſophus non eſt, quem in hoc mundi theatro verba deficiunt. Atque ut dulci miſceamus etiam utile, id animo ratum, fixúmque, ſic infor-

*Euclides.*

mare

mare ingenium, ut ſimul animum excolamus. Hæc characteriſtica Philoſophi noſtri temporis, ſic tranſire per temporalia, ne omittat, vel amittat æterna: ſic de creaturis diſcurrere, ut itentidem aſcendat ad Creatorem: hic eſto finis noſtri laboris. Nec id alienum quis à Philoſopho putet, nec novum, nec inconſuetum: mos hic multorum, ad morem Sapientiæ Incarnatæ. Nunquid enim hæc, ab unda putei ſtagnantis ad aquas gratiæ ſalientes? à vite terreſtri ad vitam cœleſtem? à ſemente ad verbum DEI? à lilijs agri ad Providentiam? à ficulnea ad Divinam Juſtitiam, diſcurſum non tam detorſit, quàm amæniſſimè divertit? Verbo: hæc Verbi Divini perpetua methodus philoſophandi, quam imitari ſi minùs poſſumus, imitari poſſe vel maximè cupimus. Ideam porrò propoſiti laboris ſic accipe: Amœniores materias, quas ſparſim fuſiùs alij, ſic colligere animus erat, ut tyro ſuaviter diſceret, veteranus utiliter doceret: quòd ſi relegas dudum lecta, memineris (cujus nunquam cuperem te oblivviſci) hæc non ſcribi Philoſopho inſtructo, ſed inſtruendo, qui reperiet forſan, quæ, labore nimis incommodo, alibi vix indagaret. Hæc porrò problemata phyſica ſic tractare intendimus, ut ubi filum diſcurſus porrexerit, veritates, ùt diximus, ethicas ſparſim immiſceamus: occaſionem dabunt vel præfixa emblemata, vel Sanctorum exempla, quos in Philoſophiæ noſtræ Patronos eligere placuit, ut ſi non ſacra, ſaltem minùs eſſet profana. Cæterùm ſi in decurſu defuerint multa, cogita, mihi ſæpe tempus, me ſæpius tempori defuiſſe. Et quia tyronem ad diſcurſum inſtruimus, per diſcurſum commodiùs finem hunc aſſequemur: ſi modus hic diſplicet, audi, quid reponat noſtri temporis non nemo: *mos iſte,* inquit, *per dialogos diſputationes conſcribere, magnorum virorum exemplo cœptus, multorum judicio probatus, paucorum criminatione non vitiabitur.* Mihi ſufficiat denuò exemplum Sapientiæ Incarnatæ, quam duodennem, in medio Doctorum, diſputantem deſcribit S. Evangeliſta, & nî fallor, diſputantem familiari dialogo, quia *audientem illos, & interrogantem eos.* Hinc calamum non tam devovi ſyllogiſticæ formæ, quod erat faciliùs, quàm amico cum tyrone colloquio, quod erat ſcopo convenientiùs: Philoſophum imitatus, qui etiam in mortis confinijs, vino Rhodio Lesbium prætulit, quia ſapidiùs: Volo dicere, qui Menedemo prætulit Theophraſtum in Peripato Succeſſorem,

*Theſes hìc editæ 1721.*

*Luc. 2.*

ſorem, quia, ùt Gellius advertit, *hominem ſuavitate inſigni linguæ pariter atque vitæ.* Atramentum videbis à bile & toxico depuratum, quia non niſi amicæ inter amicos lites. Stylum quod attinet, multi, ut ſolet, deſiderabunt multa, pro varietate guſtûs carpent plurima: his enim deerit Livij gravitas, illis fœcunditas Ciceronis: alij argutias exſpectabunt Maſenij, alij optabunt delicias Bidermanni: mihi ut fatear, ſectari placuit, ſtylum Juventuti Academicæ, cui ſcribimus, & amœniori materiæ, de qua ſcribimus, magìs accommodatum: quem ſi fortè aſſeras minùs adultum, præter intentum nil loqueris: nam ſequimur in ſoccis Juventutem, & in cothurnis pro merito veneramur ſenectam. Plura non addo, addet, quæ deſunt, tua Lector benevolentia, qua ſi manum non poteris, probabis ſaltem conatum. Idem ſuffragium à Sapientia Incarnata, ejúſque Sede Virginea exſpectamus, quibus unà cum Philoſophiæ biennio, laborem qualemcunque ultimatò dicamus, & conſecramus.

MAU-




*S. Auguſtinus, Mediolanj etiamnum Philoſophus, ſcientiam ſine virtute damnat: ſurgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos cum doctrinis noſtris volutamur in carne et ſanguine. l. 8. Confeſs. c. 8.*

*Gottfridt Rogg del:* *Ioh. Melchior Gutwein sculps. A. V.*

# MAUSOLÆUM PERIPATETICUM: *Sive* DISCURSUS I *PRÆLIMINARIS*, De Principiis & Principibus PHILOSOPHIÆ.

LEUCOTHEUS. Philoſophiæ ſtadium, DEO auſpice ingreſſurus, neſcio, an in ipſo limine offendar potiùs, quàm offendam: adeò ſymbolica facies avocat, dum invitat, petentíque Peripatum, non petitum in Peripato monſtrat Parnaſſum. *MELANDER.* Mitte inanes metus: hoſpitem, oratorijs aſſuetum illecebris, ſi ſeriâ nimiùm fronte exciperet Philoſophia, non tam alliceret forſitan, quàm terreret. Interim tibi velim perſuadeas, quòd ex Parnaſſo quoque non inamœna ſit ad Peripatum ſemita. *LEUC:* Si ita habet, te Ducem ſequar: & eò promptiùs, quò amœniore in calle me duces jucundiùs. Sed quid illud? *non litterâ, ſed ſpiritu:* cur unâ manu invitas hoſpitem, & alterâ repellis? *MEL:* Abſit: eclypſin

Apoſtolicam nota, non litterâ *ſolâ*, ſed ſpiritu: nempe nocet, ubi docet fructus Scientiæ, niſi prægustetur fructus ex arbore vitæ: ſolâ Scientiâ nihil pernicioſius, Scientiâ virtuti junctâ nihil utilius: unam ab altera ſeparare Chriſtiano Philoſopho nefas: hæc illi meta, ſic Philoſophiæ decurrere ſtadium, ut teneat virtute bravium. Leucothee! hoc tibi paucis: à curſu, atque diſcurſu abſtineas, oportet, ſi filum, quod porrigo, recuſas: Ducem me non habebis, ſi diſplicet Lojolæa Ignatij teſſera: *minus Scientiæ, plus virtutis.* LEUC: Non abſtrahit, ſed magìs allicit me hic Scopus: malim & ego, Cœlum rapere cum indoctis, quàm de Cœlo doctè diſcurrere, & diſcurrendo Cœlum amittere cum Sophis minimè ſophis. Auguſtini movet Oraculum, trahit exemplum. *MEL:* Meritò; nam veræ continet fundamenta Philoſophiæ, dum vanam ſine virtute, demonſtrat Philoſophiam. Audi, quam Auguſtini Sententiæ Interpres Atticus ſubjungat paraphraſin.

*Stupeſcat Peripatus*
*Novum è Philoſopho veteri*
*Derepentè Philoſophum.*
*Doctorum qui hactenus Doctor,*
*Indoctorum modò Diſcipulus,*
*Factus eſt doctior*
*Ab indoctis.*
*Illud mirum:*
*Quòd ubi in rudium Schola*
*Dedidicit ſapere,*
*Verè ſapere didicit;*
*Nunquam doctior,*
*Quàm ubi didicit,*
*Se nihil ſcire,*
*Et ipſis rudibus ſe magìs rudem.*
*Paradoxam Philoſophiam!*
*Cujus Magiſtri ſunt Idiotæ:*
*Auguſtini Diſcipuli:*
*Cujus objectum,*
*Cœlum, quod rapitur:*
*Cujus fundamenta ſunt Virtus:*
*Prolegomena, vitæ ſimplicitas,*

*Cujus*

*Cujus doctrina eſt Ignorantia,*
*Epitome*
*Mundi ſtultitia:* 1. Cor.
Stultus fiat, ut ſit ſapiens. 3.
*Illud quoque ſtupendum,*
*Quòd Auguſtinus,*
*Oculatus etiamnum cæcus,*
*Primam hujus Philoſophiæ lucem*
*A tenebris hauſerit:*
*Nunquam magìs ſubtilis,*
*Quàm cùm ſeſe fateretur carnalem:*
*Nunquam illuſtrior,*
*Quàm cùm tenebras ſuas daret in lucem.*
*Adeò nunquam puduit,*
*Solem è tenebris erupiſſe.*
*Vidit novus hic Sophus*
*Indoctos in cælo, Doctos in cæno*
*Carnis & Sanguinis.*
*Obſtupuit,*
*Indoctis doctis repleri ſidera,*
*Doctis indoctis repleri tartara.*
*Hinc*
*Meliore in vitæ forma*
*Concluſit,*
*Cum ſtultis ſapere,*
*Quàm cum ſapientibus mundi*
*Deſipere:*
*Nam*
Sapientia hujus mundi 1. Cor.
Stultitia eſt apud DEUM. 3.

LEUC: Nova, nî fallor, Philoſophandi hæc ſemita, nova in Peripato methodus diſcurrendi. *MEL:* falleris: Philoſophiam ubi ab Ethnicis ethnicam accepit noſtra Religio, mox ſibi ſimilem reddidit, ſanctam ſcilicet, quia Chriſtianam. Hinc meliora doctus Doctorum Phænix Auguſtinus, primum veræ Philoſophiæ lapidem poſuit, cùm dixit: *nullam homini eſſe cauſam philoſophandi, niſi ut ſit beatus.* Jam verò, beatitudinem cùm

partim in veritate, partim in veritatis contemplatione ſtatuat Stagirita, meritò pro Philoſophiæ noſtræ fine ſtatuimus *notitiam de rebus naturalibus diſcurrendi*, ſed ita, ut per veritates creatas, ſcalam veluti myſticam, quam olim Pittacus Mitylenæo templo donarium, ad Veritatem Increatam, ultimam ſcilicet beatitudinem, feliciùs aſcendamus.

LEUC: Quòd ſi metâ adeò divinâ gloriatur Philoſophia, quid cauſæ ſubeſt, quòd in Peripato Primates, tot errorum Authores, tot ſcelerum Duces, tot Hæreſum Architecti, & Inventores? quid cauſæ ſubeſt, quòd ab ipſis Ethnicis, infami ſtigmate, toties proſcripti, toties ab Urbe ejecti, ab ipſo orbe ejiciendi, ſi Thule ultimâ remotiorem invenire fuiſſet Thulem? quid cauſæ ſubeſt, quòd Philoſophiam, Chriſtiani etiam Cæſares, nunc nominârint *Reipublicæ peſtem*, nunc *Regnorum perniciem*? quòd ipſa Eccleſiæ Lumina, nunc velut *Hæreſum Parentem*, & *vitiorum nutricem*, nunc velut *ſimplicium ſeductricem* & *fallaciarum artificem*, extremis convitijs, exagitârint? *MEL:* dabimus cauſam, abſque tripode Delphico: nempe occidit littera, ſi ſit *ſola*, ſpiritu ſi imbuatur, vivificat. Non feriunt Philoſophiam veram hæc ſpicula, ſed illam, quam Apoſtolus non inaniter dicit *inanem*, Verbo: ſi quid orbis à Philoſophia incommodi, non Philoſophiæ, ſed Philoſophantium hic error fuit. Retuliſti ſpuriæ probra, genuinæ referam nunc glorioſam Antitheſin. Primas hac in panegyri ſibi meritò vendicat Romanæ eloquentiæ Primas. Huic Philoſophia eſt *bonorum Artium Mater, cultura animi, extirpatrix vitiorum, virtutum nutrix, animi medicina, vitæ dux, Magiſtra morum, diſciplina bene vivendi, Inventrix legum, Scientia nunquam ſatìs laudanda, cui qui pareat, omne tempus ætatis poſſit ſine moleſtia degere: Bonum denique, quo optabilius nullum, nullum præſtantius datum mortalium generi, Deorum conſenſu, nec dabitur:* & quid poſſit ad Philoſophiæ laudem dici ſublimiùs? Hanc ipſam non Reipublicæ peſtem, ſed Parentem, non Regnorum perniciem, ſed Nutricem, quot pene litteris, tot teſtimonijs, in orbem declamant veterum monumenta: Triſmegiſtum ter maximum, quia Regem, Philoſophum, & Sacerdotem, pro Reipublicæ Authore, agnoſcunt Ægyptij: Chaldæi & Perſæ legislatores adorant Magos: Græci ad lyram Orphei myſticam, quia Philoſophicam cicurati, feritatem barbaram deponunt: Soloni faſces deferunt Athenienſes,

*S. Paulus ad Col. 2.*

*Cicer. l. 2. 5. Tuſ.*

*Cat. Major.*

Lace-

Lacedæmones Lycurgo: Sinæ Confutio: Romam ipſam, ſub Romulo deformem caulam, imò *latronum ſpeluncam*, meliorem in formam, redigere Numa Philoſophus debuit. Paucis: origines ſuas revolvant Reſpublicæ, & ſemper invenient, Philoſophos vel Authores, vel Reformatores: ut adeò Socrates non ineptè: *Philoſophi efficiunt divina nôſſe, humana regere:* & quid putas ad Philoſophiæ gloriam afferri poſſit convenientius? Imò Philoſophos neç oſtraciſmis infames, nec Pontico dignos littore, teſtantur coronata etiam Capita, quæ maluêre à Philoſophis regi, quàm regere: potiùs inſtrui, quàm regnare: priùs imperia accipere, quàm dare. Philippus Macedo latere te nequit, qui à Moderatore Philoſopho (Lyſidem appellant) moderari Sceptra non ſolùm didicit, ſed didiciſſe inſuper eſt gloriatus. Alexander, re & nomine Magnus, è Stagiritæ imperijs, & ſibi & orbi, tam bene didicit imperare, ut majori gloriæ duceret, ſe Philoſophi factum eſſe diſcipulum, quàm natum eſſe Mundi Monarcham. Probant hoc inſuper tot obeliſci honoris, erecta tot Mauſolæa & aræ, tot etiam Regibus denegata gloriæ monumenta, quibus Platones, Pythagoras, Socrates, & Stagiritas, velut Regnorum Atlantes, adoraverat orbis, inſculpta ubique epigraphe: *tum demum beatas fore Reſpublicas, cùm vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur.* Imò vel ipſis cæcis ad oculum hoc demonſtrat fictilis Epicteti lucerna, quæ à pretioſo Philoſopho tantum habuit in orbe pretium, ut illam, tribus drachmarum millibus, orbis Principes licitarentur: & quid ultrà petas ad Philoſophiæ commendationem vel efficacius vel glorioſius? ſi ergo cenſuris fulminant Sancti Patres, tremat ſpuria, ſub lauro ſtat vera, ſtabítque ſemper Philoſophia: non enim iſta hæreſum Mater, ſed malleus, non vitiorum nutrix, ſed virtutum. Experti hoc ſæpius Islebici Sophiſtæ, hinc philoſophicum lapidem dum veluti Lydium reprobant, probant. Teſtantur lunaticæ Machometis Talpæ, quæ quia Talpæ, errorum amantes, Philoſophiæ lucem & fugiunt, & contemnunt. Ipſe Julianus Apoſtata nunquam magis eſt perſecutus Eccleſiam, quàm ubi perſecutus Philoſophiam, dum illam è Chriſtiano orbe proſcripſit. Cujus Muſomaſtigis vituperium unicum, eſt grande Philoſophiæ encomium, eò quòd, Nazianceno teſte, *nihil unquam, niſi grande bonum vituperare conſueverit.*

*Titus Liv.*

LEUC: Emphaticum agis encomiaſten: ſed nempe indiget Philoſophia; nam inter Sophos non omnes Philoſophi, præcipuè ſi contemnant. Age Philoſophiæ natales ediſſere: conciliabit forſitan amicos illuſtre Stemma. *MEL:* mihi crede, fuliginoſas admodùm ceras numerat: nam ipſi mundo coævam, & Protoplaſto à Numine infuſam, ſine vitio hæreditaverant poſteri. Subin è cataclyſmo feliciter enatantem, ſuſcepêre variæ gentes, Græcia præcipuè, quæ in Athenæis, quaſi domicilio ſtabili diu cultam, ad noſtra ſæcula ſic transmiſit, ut illam Sapientiæ non tam nutricem, quàm genitricem veneretur Poſteritas. Philoſophiæ cultores quod attinet, à varijs varia, ùt ferè ſolet, ſortiti ſunt nomina: Ægyptiis dicti ſunt *Sacerdotes*, Babyloniis *Chaldæi:* Perſæ nominaverant *Magos*, Indi *Gymnoſophiſtas:* Græci *Sophos*, Galli *Druidas* appellârunt: Germanis hodiedum *Magiſtri*, Italis *Doctoris* titulo inſigniuntur: antonomaſticè tamen *Philoſophi* ut vocitentur mos dudum invaluit, cujus nominis etymon Pythagoræ Samio, ſuam debet originem. Nam à Leontio, Phliaſiorum Rege, interrogatus, quis eſſet? non *Sophum*, quod fuiſſet jactantiùs, ſed Philoſophum, & Sapientiæ ſolummodò amicum, ſe dixit, quod erat modeſtiùs: ut planè videas, ipſum Philoſophi nomen, à virtute prognatum, te admonere non tam ſcientiæ, quàm virtutis. Sed utì in nomine varij, ita in docendi methodo, quoque erant diverſi. Pythagoras cortinâ tectus, doctiores diſcipulos intra, reliquos extra Sacrarij velamen inſtituebat, ab his ſolum̃odò auditus, ab illis etiam viſus. Menedemus & ſedendo & ſtando, Stagirita docuit ambulando: Chryſippus ſub dio, ſub Stoa Zeno ſcholas aperuit: Antiſtenes Gymnaſium, quod Cynoſargen, Ariſtoteles Lyceum elegerat: Platoni præplacuit Academia, quia locus Athenis remotior: non enim Sapiens inter tumultus. Cæterùm, quia rara ingeniorum concordia, in varias abiêre Sectas Philoſophi: tres nomen celebrius poſteris reliquêre: Stoici ſcilicet, qui Zenonem ùt Principem, Academici, qui Platonem, Peripatetici, qui Ariſtotelem adorabant. Hi omnes cum ſuis aſſeclis, ubi ſolis Scientiæ fructibus avidiùs inhiârunt, inani vento non tam paſti ſunt, quàm inflati: *ad Roman. 1* *nam dicentes ſe ſapientes Stulti facti ſunt:* omnes, dum ad Sapientiæ culmen, relicto virtutis tramite, ſunt eniſi, evanuêre: nam cognoſcentes DEUM, nec ſicut DEUM glorificantes, traditi ſunt

in de-

in deſideria cordis. Et quid mirum, ſi, Ducibus vertiginem paſſis, & aſſeclæ, eodem ex præcipitio corruêre, eò profundiùs, quò cæcos cæci ſecuti ſunt altiùs?

LEUC: Philoſophiæ Patricios nominâſti: horum ſi in epitome pleniorem notitiam dederis, tibi antiqua forſitan, nova afferes tyroni. *MEL*: lubens aſſentior: eſt enim Philoſopho probroſum, ſuos Principes ſi ignoret, quos ſi minùs imitari, admirari in plurimis poterit. Zenonem Cytticum Cyprus dedit in lucem, ut majorem ab illo lucem acciperet Græcia, orbis ſplendorem. In infortunio invenit fortunam: nam infelici naufragio adeò feliciter in Piræum ejectus eſt, ut ipſe furentibus Auſtris, Nereóque fædifrago non ſemel eucharisticon caneret: ab oraculo ubi pretium coloris pallidi didicit, illum non à Libitina, ſed docta Pallade ſtatuit mutuare; hinc ubi in evolvendis mortuorum eloquijs, aliquot olei amphoras combuſſit, Doctorum more impalluit. Cratem ille ſequutus Diſcipulus, mox è Diſcipulo Magiſter, à Cleante, Cryſippo, aliiſque ſua vidit adorari veſtigia. Hinc eſt, quòd primus Stoicorum Sectæ initium, Stoa verò (quod porticum indicat) nomen dederit, cùm non niſi in porticu, veluti digno Stoicis Athænéo, Sophus hic diſputaret. Philoſophiæ Stoicæ fabricam hoc ſtabiliſſe legitur fundamento, quòd felicitatem humanam in vita ſtatueret, quæ ad dictaminis amuſſim, & rationis leges, naturæ ſuprà animalia elevatæ conformiter exigeretur. Et ſanè doctrina hæc, ſive ſua novitate, ſive honeſtate ſic diſcipulos rapuit, ut in Magiſtri verba non jurarent modò, ſed & virtute hac Stoica, inter furentis fortunæ ludibria felices, inter tormentorum equuleos propemodùm inſenſibiles, ſi non eſſent, ſaltem eſſe ſe dicerent, crederéntque. Et quod mireris, non niſi unicum Zeno admiſerat DEI nomen & Numen, plurium titulis, unius aſſerens deſignari virtutes. Dialecticam pugno, explicatæ manui Rhetoricam comparabat. Adoleſcenti, ùt habet vitium ætatis, plura deblateranti, his ille peſſulum: *natura geminas tibi aures, os unum attribuit, plura ut audias, quàm loquaris.* Pro parte Scientiæ poſuit, ignorantiam eorum, quæ ſciri non debent, nec utiliter poſſunt. Bene loquentes, ſed malè viventes Alexandrinæ comparaverat monetæ, quæ artificio bella, metallo ſpuria. *Modicum*, inquiebat, *ſæpe non modicam dat operi perfectionem.* Vernam, furti reum, cum caſtigaret,

ret, ísque ingeminaret itentidem, ſeſe prædeſtinatum ad ejusmodi furta: *utique*, aiebat, *ſed & ſimul ad ejusmodi verbera.* His, aliíſque prudentiæ humanæ argutiis, tantam nominis gloriam Athenis fuerat adeptus, ut coronâ eum aureâ donarent cives, fuſam ex ære Statuam erigerent, ipsáſque urbis claves, velut in manus ſemi-DEI, quot diebus, deponerent, raro hos inter contribules exemplo. Accedit, quòd genio & ingenio præclariſſima nomina, huic Sectæ acceſſerint, Zenoníſque Philoſophia, præ reliquis plurimos, vel ad æmulorum invidiam, numeraret Sectatores.

LEUC: Hic ergo primus ingenium ſic ſoli ſacravit Palladi, ut hæc illi honores ſine virtute, ut immortalitatem nominis ſine vitæ integritate? *MEL:* erras, non niſi ſpurius honor eſt, igníſque fatuus, ſi luceat abſque ſplendore virtutis. Zenonem in tenebris ethnicis ſi luſcum vides, quid inde? ad fidei lumen contemplare hanc noctuam, & ſtupebis cæcitatem Cimmerijs
*Rom.* dignam tenebris: *nempe obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* En
1. DEUM, quem Sophus hic credidit unicum, laudabili veritate, deteriori mox falſitate eſſe animam docuit, quæ huic ſpectabili mundo, velut corpori unita, animaret inconditam hanc terræ molem: & quid tali monſtro fingi poſſit ineptiùs? res omnes incommutabili ordine, fataliq; prorſus neceſſitate, ſic volvi, evolvíque aſſeruit, ut fatum hoc, ipſimet Jovi inſuperabile, cæterà omnipotentes, hac tamen ex parte imbelles ligaret manus: & quid cogitari poſſet rationi difformius? ſcelera, ſtaterâ nimiùm dolosâ librabat, cuncta ejuſdem ponderis aſſeverans, eodémque, crediderim, ſupplicio damnâſſet Neronem, ſævientem in homines, ac Domitianum ſævientem in muſcas. Sileo ſexcentos errores, in quos dum lapſus eſt mente, quid mirum, ſi vertiginem paſſus, tandem lapſus eſt corpore? nam gravi caſu afflictam, violenta morte, ſibi animam expulit; ſcilicet, ut fato, quod finxit vivus, concederet mortuus, erroris etiam in morte Magiſter, qua falsò docti, tum docuêre diſcipuli, violentas ſibi manus inferre probroſum non eſſe, ſed glorioſum, quia Stoicum.

LEUC: Depinxiſti prototypon ambullatæ in Ethnico vanitatis. Vel unus mihi Zeno ſufficeret, propoſito lemmati ſat aptus teſtis: quòd plus noceat, quàm doceat ſola ſine virtute ſci-

entia: nempe *ad veram ſapientiam pervenire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiduciâ deſipiunt. MEL: Utique mi* Leucothee: hinc *vides, quòd Deus non probet multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit: vides, quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Quid ergo dicit, niſi ut ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque nôſſe oporteat: quo ordine? ut illud priùs, quòd maturiùs movet ad ſalutem: quo Studio? ut illud ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem: quo fine? ut non ad inanem gloriam, curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad tuam & aliorum ædificationem.*

*S.Greg. in mor. S. Ber. ſup. Cant. ſer.36.*

LEUC: Forſan Divinus Plato ſupra hominem ſapuit, & meliorem de Sapientia, quam feliciùs coleret, ſibi finxit Ideam? MEL: Ideæ Platonicæ figmentum ſunt, non Platonicum, ſed à Platonicis Platoni affictum. Quis enim de divino Philoſopho tam humaniter, imò inhumaniter, & ineptè? cæterùm, an Zenone propiùs tetigerit punctum, patebit brevì. Plato anno mundi ter milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto primam legitur aſpexiſſe lucem: infelix, quia ante Lucem mundo exortam anno ſupra quadringenteſimum vigeſimo octavo: felix tamen pro illius temporis conditione, quia aſpexit lucem Athenis urbe ſi non orbis Dominâ, ſaltem Magiſtrâ. Non decido litem, an illi plus Gloriæ natale ſolum, an ille dederit natali ſolo: inter Academicos hoc eſto problema. Illius parentem hiſtoriæ Ariſtonem nominant, fortaſſe ideò, ne hominem cœlo delapſum falsò ſibi poſteritas. Certè vix nato imbrem aureum ex aſtris delapſum ferunt, apéſque certatim mox advolâſſe, quæ, melle in pueruli labra depoſito, futuræ præluderent eloquentiæ: & enim verò hæc tanta fuit, ut vulgò haberet proverbium: *Jovem ſi atticè loqui vellet, non alio quàm Platonis ore locuturum.* Primam ætatem trivit, terendo colores, *Pictoribus atque Poëtis* familiaris, ut quibus licerent omnia, liceret etiam facilè, ad liberalium artium lauream, amico dare licentiam. Sed ad altiora illam vocaverat Philoſophia, quam ubi vix nôſſe cepit, efflictim deperiit: hujus amore adhærens Socrati, mox Cratilo, demum Thermogeni, celeberrimis ævi ſui Philoſophis, cùm ſciendi ſitim accenderent potiùs, quàm levarent, Doctos ubique gentium inveſtigare ſtatuit, propoſito tam audaci, quàm efficaci: nam Megaræ in Achaia Euclidem, Cyrenes in Lybia Theodorum, Matheſeos Principes audiit: ſubin Pythagorica viſurus oracula,

Philolaum & Euritum, in magnam Græciam contendit: necdum ſatur, Gymnoſophiſtas in ultimis Indijs inveſtigâſſet, niſi Sagata Pallas, togatum Clientem, ſtrictis etiam armis, inhibuiſſet: hinc in Ægyptum flexit, ubi ſacras Scripturas didiciſſe teſtis eſt Clemens Alexandrinus, à quibus tantum luminis & Sapientiæ hauſit, ut vulgari cognomine Moſes Athenienſium audiret.

*Stromat.* 1.

LEUC: Mirentur alij tam ſublimem in ethnico Sopho Scientiam, ego Scientiæ demiror ardorem: repudium omnium mereretur Philoſophia, nî doctorali annulo, ſibi deſponsâſſet hunc procum. Sed cur frigent jam tempora? an Philoſophia in rugas abiît vetula, ætatísque nativum perdidit decorem? *MEL*: abſit, non perdidit, ſed auxit. Alit & noſtra ætas Platones, qui ſuis non raro Tymæis utiliùs impalleſcunt. Si tamen, quod minimè ſuſpicor, ſub famoſo ponte, detineret quoſdam ignaviæ remora, non ideò Peripatus rueret: contemnit ejusmodi caudices Philoſophia, qui non niſi ex otio pullulant, creſcúntque Papho, non Pindo. Id tamen fatendum, quòd ſi reviviſceret Plato, miraretur, Philoſophiam tot in regnis à ſe quæſitam, ab hisce, tribus ſæpe paſſibus diſtantem negligi. Stuperet Pythagoras, illam, quam, deſertâ Patriâ, peregrinam inveſtigâſſet, ab inertibus faſtidiri, non raro domeſticam: Apollonius diceret, ſe Perſas, Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas pervagatum, tandem veniſſe ad Brachmannos, ut Hierarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, paucos inter diſcipulos, de motu ſiderum auſcultaret: inde per Elamitas, Babylonios, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Paleſtinos reverſum uſque Alexandriam, demum perrexiſſe in Æthiopiam, ut Gymnoſophiſtas audiret, & tot eloquijs celebrem Solis menſam videret in Sabulo. Quid ad hæc dicerent calamiſtrâti, quos ais, ephæbi potiùs, quàm Sophi? dicerent, in Lyceis vel gynæceis molliùs ſeſe latitare cum Achille muliebri ſub habitu, aut ſi invitos ad bella cogeret Pallas, navigare ſe quidem, ſed uſque Cyprum, ubi dediſcerent foris, quod domi obiter didiciſſent. Certè niſi melior turba ſuſtentaret Peripatum, Stagirita ipſemet revocaret, demonſtratam ſibi toties gnomen, quòd *mortalium quivis Scientias appetat*, cùm non niſi ſtertendo, doctos fore ſe ſperent, infames iſti Heſiodi.

*l. Metaph.*

LEUC:

LEUC: Fruſtrà aculeum figis, ubi obductus pridem eſt callus: veterno im̃oriuntur. *MEL.* ſed neque feriunt ſpicula, quos non tangunt, tui ſimiles puto, quos extrà teli jactum induſtria poſuit: hinc telam, quam texit Plato, proſequimur. Peregrè ubi in Patriam eſt reverſus, mox ſcholas in Academia aperuit: locus is erat, mille paſſus Athenis diſſitus, arborum amœnus umbrâ, & ſtudijs amicus, ipſa ſolitudine à curis animum avocante. Suburbanum hoc nemoroſum ita coluit atque excoluit heros, Academius nomine, & hinc etymon Academiæ ab Authore, à loco autem nata eſt Secta Academica. Cæterùm quidquid eximij in Sapientibus Græciæ obſervaverat Plato, in ſuam id contulit Philoſophiam, in ethicis Socratem, Pythagoram in Logicis, in Phyſicis Heraclitum ſequutus, flore ex omnibus, ad inſtar apiculæ, delibato: ſic docet, miſcétque Sententias, ut in quam ipſe partem flectat, ignores: hinc Academicum dogma, de omnibus dubitantium, nulla veri certitudine, aut Scientiâ. Imò tantæ in Sapientia tanta (quod mireris) modeſtiæ fuit, ut diſcipulis diceret, ſuam de virtutibus doctrinam tenerent, dum ſanctior ſe obtuliſſet, tunc enim Platoni veritatem præferrent. Et verò virtutes adeò coluit, ut etiam in alijs adamaret: hinc Athenis parum proficiens Siciliam, Italiam petiît, ac Ægyptum, imbuendis exterorum moribus, meliorem operam locaturus. Ad Dionyſium tyrannum cùm vela faceret, rogatus, quò curſum? *in Siciliam*, inquiebat, *male ex Capite laborantem:* tantúmque *Plin.* abeſt, ut tigris iſta furores ſolitos fureret, ut etiam *vittatam navim miſerit obviàm, & ipſe quadrigis albis exceperit littore egredientem.* Imò, quod niſi vidiſſent Syracuſæ, non crederent; Platonem aureo vectum eſſedo, Dionyſius ipſemet auriga, in urbem induxit. Denique an virtus tanta, an virtute neutiquam minor Scientia, Platonem reddiderit celebriorem, lis eſt, quæ dudum fatigavit Doctores. Ipſemet Doctorum Phænix Auguſtinus, lectione *l. 7.* Platonis ad virtutem ſe inflammatum teſtatur. Cato de im̃or- *Confeſſ.* talitate animæ Platonem legens, præſentium tædio, & futurorum amore, pugionem in pectus merſit, tanta illius calamo fuit facundia. Numen unicum credidit, imò & ipſe creditur in myſterium SS. Triados penetrâſſe, ſive hunc ab Ingenio, ſive à ſacris paginis acceperit radium: certè de divinis divinè adeò ſenſit, ſcripsitque, ut antonomaſtica phraſi diceretur Divinus. Quæ

cauſa fuit, ut Patrum plerique Platonicam complecterentur Philoſophiam, & ab illa, ad Catholicam fidem, nullo negotio; quàm plurimi, velut ad meliora caſtra, tranſirent.

LEUC: Tertullianus, nî me fallit memoria, tam divinè non ſenſit, de doctrina Platonica, dum eam armarium appellat, è quo depromptis itentidem armis, Eccleſiam oppugnaret hæretica pravitas. *MEL:* Tertullianus de ideis exoticis, *in quibus hæretica Gnoſticorum relucere Semina* aſſerit, hoc tulit judicium, quod ego meliore judicio Platonicis tribuo, quàm Platoni: & quis omnem jure damnet doctrinam, ex qua venenum ſugunt araneæ? harum hoc vitium eſt, non illius. Ne tamen me putes, quòd apotheoſi donare velim Platonem, monſtrabo mox hominem, cæcum, quia ſine lumine fidei, turpiter lapſum, quia in tenebris errantem, quamquàm hic caſus non tam Platonis, quàm ethnicæ noctis fuit. Imprimis docuit animas, in hunc mundum venire, refertas rerum omnium ſimulacris, eáſque nil novi diſcere, ſed reminiſci ſolummodò: nec aliter corpori, quàm aurigam currui, navarchum clavo adeſſe, ſubſtantias ſcilicet, corporum motrices tantùm, non formas: id quod contrarium lumini rationis. Admiſit Palingeneſiam, idémque corpus ſæpius Phænicem eſſe, naſci videlicet, & renaſci, mori, reſurgere. Animarum in corpora deſcenſum per orbes mundanos fieri aſſeruit, non niſi gradatim: nam aliquando animæ vitam eſſe æthercam, in vicinia ſtellæ, cui naturâ vel affectu maximè eſſet conjuncta: aliquando dæmoniacam in igne, in aëre heroicam, in terris humanam: imò in beſtias tranſire, ſed illas, quas moribus referrent: cantorum in luſcinias ſi bene, ſi malè canerent, in bubones, audacium in leones, verſipellium in vulpes, Homeri in pavonem, Orphei in cygnum, Thamyræ in Philomelam, Agamemnonis in aquilam, Therſitis in Simiam: id quod oppoſitum principijs fidei. Suſtinuit inſuper magno anno (id eſt Platonico) revertente, qui novem ſuprà quadraginta annorum millia continet, quo nempe ſpatio nona ſphæra gyratur, omnia eo ſtatu reditura, quo aliquando fuerant: Academiam videlicet cum ijſdem frondibus, umbris, ſubſellijs, Platonem cum ijſdem diſcipulis eodem geſtu, eodem diſputantem ſitu, me quoque hìc diſcurrentem, unà tecum eadem facie prodíturum in orbem, eo ferè modo, quo Phæbus, emenſo circulo, in eadem

*More-ri.*

*Refert S. Aug. in Gen. ad litt. c. 10.*

dem ſolet ſigna recurrere: hinc malorum ſupplicia æterna non fore, qui & Origenis error fuit: quæ omnia non modò fidei, ſed ipſius quoque naturæ principijs repugnant. Sileo, quod cœlis animam dederit, imò & muſicum concentum, adeóque ſingulis orbibus præpoſuerit ſuam Sirenem, veluti choragam. Sileo, quòd pæderaſten aliqui ſi non arguant, certè non temerè ſuſpicentur: hos, inquam, errores ſileo, alióſque plurimos, quia ſat patet, quàm in lubrico, ad tenuem ſolius Naturæ facem, ceſpitaverit Sophus, ut etiam Chriſtiani pueruli, & adhuc à matre rubentes, errores hos rideant, meliúſque de DEO diviníſque inſtructi, Doctoris tanti poſſent eſſe Doctores. Sileo, laudabilis vitæ probroſam mortem: nam inter epulas nuptialis convivij ſic ſe refecit, ut amplius non eſuriret: læta morte defunctus, quia inter Hymenis jubila, & quidem eodem die, quo ante annos octoginta & unum natus eſt inter lamenta: hæc omnia ſileo, quia ſat patet, quòd *ſola nil proſit Scientia, qua plerique non ad DEI gloriam, ſed ſuam laudem utuntur, dumque de ipſa extolluntur, ibi peccant, ubi peccata emendare debuerant.* *Moreri.* *Iſid. l. 3. de ſum. bono.*

LEUC: Utique de Platone ſat patet: & quid ſperem de Ariſtotele? Si divinus Plato tam turpiter, quid Ariſtoteles humanus? *MEL:* Platonem cognomine divinum dixit, Stagiritam ſi non dixit, certè divinum ſenſit, ac venerata fuit Antiquitas. Nec ita immeritò: nam Numinis fuit hæc Providentia, ut in hoc naturæ miraculo demonſtraret, quantùm natura poſſet, & quantùm, etiam ubi ſumma, deficeret: eò crediderim fine, ut hic defectus gratiam comendaret, quæ uno momento plus virtutis & Scientiæ tribuit minimis, quàm natura, etiam longo labore adjuta, poteſt conferre maximis. Certè in Seneca, quantùm virtutis potuit, natura exercuit: in Alexandro, quantùm roboris; in Lycurgo, quantùm Juſtitiæ; in Scipione, quantùm pudicitiæ; in Ariſtotele quantum ingenij habuit & ſapientiæ. Stagira fuit, Macedoniæ oppidum, diu ignobile nomen, donec poſt orbem conditum anno ter milleſimo, ſexconteſimo, ſeptuageſimo, ante reparatum anno trecenteſimo, octuageſimo tertio, hoc orbis prodigium, edidit, ſibíque, non ſine regnorum invidia, immortalem gloriam peperit. Parentes habuit hic Stagirites, Phæſtiadem atque Nicomachum, tam nobiles avito genere, ut ab Æſculapijs aliqui divinas illorum ceras deducant:

tam copioſos, ut affluerent opibus: tam famâ celebres, ut arte medica florerent, Machaonis ſi non agnati, certè æmuli: hinc eſt, ut & filius elementa Artis acciperet, dicere ſolitus: *Medicus ſum, ut & amicis meis prodeſſe poſſim.* Subin varios luſit luſus cum Ariſtotele fortuna. Primum juventæ florem, ùt ſolet, inter voluptates attrivit, patrimonij ſpes inter epulas decoxit, peſſimus ſibi, quia malè providus medicus: hinc rerum omnium inopia, cui ſarciendæ, ſub ferreo Marte, argentea cogitur mereri ſtipendia.

LEUC: Dolendum Juventutis hoc fatum aiunt, ut ejusmodi ruat in præcipitia: & noſtra tempora non rarò ſtupent præproperas metamorphoſes, de quibus minimè fictè Ovidius caneret: *quàm ſubitò miles, qui Sophus ante fuit.* Et quam incantationis plùs quàm Circeæ cauſam aſſignas? *MEL:* nullam aſſigno: aſſignant Patrum oracula paſſim non unam: & quia de ſua ætate Sententiam ferunt, ſine piaculo referam. Primam, aiunt, ætatem eſſe improvidam; ſed hæc ferenda: alteram addunt ſcandaloſam nimiùm libertatem, cui Parentes fræna non arctant, ſed connivendo laxant: cui Curatores non ponunt repagula, ſed indulgendo ſubdunt calcaria: & quid mirùm, ſi non ſit pratum, quod non pertranſeat Juventutis luxuria? quid mirum, quòd in Academijs & ſuos ſubinde numeret Diſcipulos Epicurus? ſed ulteriùs nolim eſſe interpres, ne contrà quàm obſtinaveram animum, amarius verbulum vel invito exprimat dolor. Utinam Philoſophi iſti ſequerentur Philoſophum, Chriſtiani Ethnicum, qui deſipuit, ſed & reſipuit juvenis: nam bellum dum infeliciùs caderet, Delphos tranſiît, ubi ab oraculo perſuaſus, caſtra ſcholis, ferrum calamo mutaret, Marte ſcilicet, delicatum hunc militem averſante. Ergo annos duodeviginti natus, Athenas migrat, totúsque in Philoſophiam intentus, Platoni inſtituendum ſe tradit, atque hunc indefeſsâ induſtriâ, annos audiît omninò viginti. Obſtupeſcant hìc Philoſophorum tot inania nomina, quæ Peripatum fulcire ſe autumant, ſuo robore Atlantes, dum temporis malè feriati horas aliquot, in Latio græcantes, comburunt; & tamen ad curſûs philoſophici metam, epomidem exſpectant, an ut lacerent clitellarij, an ut ornent Sophi, non dixerim.

LEUC:

LEUC: Intelligo: Suſpirijs loqueris: ſciet compati, qui ſciet, quoties inanis defluat Regentum ſudor. Plato, crediderim, in excolendo Stagirita, feliciùs ſparſit ſementem. *MEL:* Utique: vix enim philoſophica libare placita cœperat, cùm continuò tantam induſtriam, ſubtilitatem, & indolem prodidit, ut illum Plato jam *mentem Academiæ*, jam *Philoſophum veritatis* appellaret. Platonici etiam *dæmonium* ob ingenij acumen, Plinius *virum immenſæ ſubtilitatis*, Averroës *terminum humanæ intelligentiæ* dixerat, non inaniter perſuaſus, quod ut veroſimile de Minerva finxit Parnaſſus, hoc ut verum in Ariſtotele ſentiret Peripatus, nempe hominem illum eſſe, ſi tamen hominem, certè è Jovis cerebro prognatum. Acceſſit Divino propè ingenio plùs quàm humana induſtria, ut de illo diſertè Quintilianus: *in ambiguo eſſe, Scientiáne rerum, an Scriptorum copiâ, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clarior fuerit.* Cibi parciſſimus erat, inopiâ etiam parſimoniam augente: nam ferunt, odorati pulveris mercaturâ, dum adhuc diſcipulum ageret, feciſſe quæſtum, Philoſopho indignum, nî vendentem ſuſtentandæ vitæ ſic excusâſſet neceſſitas, utì ementes crebrò accuſat effœminata vitæ molliſſimæ vanitas. Libros Moſis dum legeret, dixiſſe fertur: *pulchra ſcribit hic barbarus, ſi quæ ſcribit, probaret.* *Euſebius.* Perpetuus hic Ariſtoteli labor & æſtus fuit, rerum cauſas appetere, nec aliter conquieſcere, adeò ut cùm ægroto poculum porrigeret Medicus, niſi dictâ priùs medicinæ causâ accipere recuſaret: *Philoſophum,* inquiens, *non brutum curas, cauſam expone.* Somnum libabat potiùs, quàm capiebat, manu æneam geſtante pilam, cujus in ſubjectam pelvim ſonante caſu expergefactus, vigilias repetebat. Studium & lectio tam pertinax, ut illum Plato *Anagnoſten*, hoc eſt, lectorem, appellaret: quatuor librorum centurias, vel ùt alij, ſeptingenta quadraginta ſeptem volumina exaravit, quorum non niſi paucula, avara nobis indulſit ætas. Verſus (nam & Pierides coluit) quadragies millies, quinque trecentos, felici venâ, profuderat teſte Laertio: adeò, contrà multorum cenſuram, Dux ipſe à peccato philoſophico abſolvit illos, qui ſic colunt Peripatum, ne tamen ſpernant Parnaſſum.

LEUC: Hactenus tu Platonis in Stagiritam elogia: ſed nunquid palinodiam denuò cecinit, dum eum nunc diſcipulum ingratum, nunc pullum diceret recalcitrantem? *MEL.* Hæc convi-

tia

tia diſcipulum non arguunt, ſed Magiſtrum: nam illa non niſi æmula, ùt ſolet, expreſſit contentio, cùm diſcipulum videret jam pene ſuprà Magiſtrum. Jam tria luſtra ſub Platone exegerat Stagirita, cùm alia ſentire à Magiſtro cœpit: hinc illæ lacrymæ. Sed veritas diſcipulum, æmulatio agebat Magiſtrum: hunc quòd ad uſque aras veritatis coluerit ſemper, teſtis eſt ara, quam Platoni erexerat, hac epigraphe: *Hic eſt, cui reverentiam. & amorem debent omnes.* An majus gratitudinis monumentum ab ethnico exigat ethnicus? litem dijudicate Chriſtiani Philoſophi, & veſtris, ſiquidem poteſtis, exemplis Ariſtotelem ingratitudinis condemnate: hæc, ùt loquimur, per parentheſin. Platone è vivis ſublato, Stagirita quoque Athenas deſeruit, & in Myſiam ad Helleſpontum, ubi Hermiam regnare acceperat, jam olim amicum, ſeceſſit. Hic non hoſpitium modò, ſed & Thalamum invenit, Pythiâ Regis Sorore, in uxorem ductâ: tantos tunc quidem Philoſophia merebatur honores. Sed non longa felicitas fuit, nam Hermiâ à Perſis devicto, captóque Philoſophus, exul denuò, in Lesbon Inſulam, & Mytilenem tranſiit: illic aliquandiu moratus, tantum famæ philoſophando collegerat, ut exilium in aulam mutaret. Nam litteris à Philippo Macedonum Rege invitatus, Alexandro inſtituendo Magiſter præficitur. En epiſtolæ ſyngrapham: *Natus mihi filius, Ariſtoteles, quo quidem vehementer lætor; ſed non tam quòd natus, quàm quòd eo potiſſimum tempore natus, quo tu tantus, taliſque Philoſophus ei præire potes ad Sapientiam & virtutem, ac dignum efficere dignitatis, potentiæque meæ ſucceſſione.*

LEUC: Specioſum, quia regio firmatum Sigillo, elogium. Spes utique impleverit, imò ſuperaverit Stagirita? *MEL*: ne dubita. Agebat tunc Alexander quartum decimum ætatis annum; octo alios regius adoleſcens ſub Ariſtotele meruit, ab eóque eloquentiâ, phyſicis, moralibus, politicis, arcanίſque artibus (quas huic uni commiſiſſe Plutarchus tradit) imbutus eſt; & quidem tanto profectu, ut peregrinus ſit in orbe, qui ignoret, Alexandrum, omni moralium virtutum genere, quæ illud faſtigium decebant, ſic à Philoſopho inſtructum, ut præcelleret cunctos, parémque Reges inter non numeraret. Agnovit hoc Philippus, qui Præceptori tanto ſtatuas. & publica poſuit monumenta. Agnovit ipſemet Alexander, qui præter ſtatuas, ejus

quoque

quoque memoriæ, collapſam de novo erexit Stagiram; Imò *plus ſe debere Ariſtoteli eſt profeſſus, à quo eruditus, quàm Philoſopho, à quo genitus fuiſſet.* Et ne elogijs ſolummodò gratus eſſet & liberalis, aliquot hominum millia, in totius Græciæ, Aſiæque tractu, illius adorare juſſit imperia, omnium ſcilicet, *quos venatus, aucupia, piſcatúsque alebant: quibúſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria erant in cura, quos percunctando quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit*: cui labori octingenta talenta, hoc eſt Budæo teſte, quadringenta octoginta aureorum millia liberaliſſimus Alexander in ſumptus tranſcripſit. *Muretus or: 3.* *Plinius l. 8. c. 16.*

LEUC: Præclarum, haud dubiè minerval, quod, neſcio, an magìs commendet liberalitatem Diſcipuli, an merita Magiſtri. *MEL:* eſt utroque condignum. Sed finio Stagiritæ vitam, quam ille finiît anno ætatis ſexageſimo tertiò. Nam Alexandro in Perſiam profecto, Ariſtoteles Athenas ſeceſſit, ubi Lyceum à Magiſtratu acceperat. Non illi data epomis, ſed potiùs is datæ epomidi dedit ſplendorem: nam apertis ſcholis mox celeberrimam Peripateticorum ſectam inſtituit, ſic dictam, quòd globo diſcipulorum cinctus, diſputaret inambulando. Sed non diu tenuit hoc faſtigium gloriæ: quippe poſt Alexandri fata, cùm æmulorum invidiâ apud Hierophontem Judicio poſtularetur, quòd Deorum multitudine damnatâ, unum aſſereret, cauſam dixit, & mox Chalcidem, ſpontaneo ſe oſtraciſmo damnans, profugit, metuens, ne Socratis exemplo, hanc ob cauſam damnati, eidem & ipſe fato ſuccumberet: Glorioſum exilium, ſi vita, finíſque melior acceſſiſſet. Chalcide ſecundo ab Alexandri obitu anno, ad mortis confinia eum morbus deduxerat. Morientem cùm circumſtantes Diſcipuli rogarent, cui Lyceum relinqueret, Theophraſto Lesbio, an Menedemo Rhodio Philoſophis? vino labra admovit, libatóque Lesbio, Rhodióque: *Jucundum eſt*, inquit, *Rhodium, ſed jucundius Lesbyum*: quo dicto prætulit Theophraſtum. Tandem & ipſe fatis conceſſit, de cauſa mortis, variantibus inter ſeſe hiſtoricis: nam alij dolore confectum ſcribunt, quòd cauſam Euripi, novies quotidiè reciprocantis, aſſequi non poſſet: alij hauſto veneno, alij viſcerum dolore conſumptum putant. Quidquid ſit, Stagiritæ ſcientiam Philoſophus laudet, vitam non cupiat, vitæ finem non optet.

*Cælius l. 16. c. 34.* LEUC: Et tamen audiviſſe me memini, quòd morti proximus, inter lacrymas, & ſuſpiria doloris plena, primi Entis clementiam, cujus causâ exulabat, implorârit, in hæc verba erumpens: *Ens entium miſerere mei.* MEL: Et ego audiviſſe me memini, quòd dum Euripi motus non caperet, ſe in mare præcipitem dederit, híſce verbis: *me cape, quia te non capio.* Sed nempe, uti varij varia, ita multi fabuloſa, plures incerta: hinc omittere fabuloſa, & certiora ſeligere placuit. Cæterùm, uti Ariſtotelis non probo vitia, ita nec ſua laude fraudo virtutes. *Libertas animi* tanto erat digna Philoſopho: unicum DEUM, quem agnovit, etiam cum periculo vitæ aſſeruit. Alexandrum, quòd Calliſthenem innocentem leonibus objeciſſet, acriter objurgavit: hinc ſuſpiciones in illum, & Regis indignatio concitata. *Pietas* illi in DEUM tanta, quantam ſuperſtitio & tenebræ permittebant: teſte Laërtio libellum de votis & precationibus conſcripſit: certè ſummam felicitatem in DEI contemplatione conſtituit. *Animus* utrique fortunæ par, & æqualiter in proſpera & adverſa libratus, quem nec iſta frangerent, nec illa extollerent. Hinc *mores* quoque Philoſopho tanto non impares, utpote qui amorem non tam provocarent, quàm extorquerent. Summa in illo *Humanitas* atque *Benignitas*: contumelijs à quopiam laceſſitus: *non*, inquit, *adverteram.* Abſentis in eum convitia cùm quis referret: *abſentem*, ait, *etiam verberet.* Præ reliquis tamen eminuit in illo *Prudentia*, qua veluti humanâ conditione ſuperior, hominum animos admiratione ſui ſuſpendit. Interrogatus, quidnam lucrarentur mendaces: *ut etiam cùm vera dixerint*, inquit, *minimè illis credatur.* Probro cùm illi daret amicus, quòd probroſo homini ſtipem dediſſet: *non*, inquit, *homini dederam, ſed humanitati.* Rogatus, quidnam omnium citiſſimè conſeneſceret? *gratia*, inquit. Quid ſit ſpes? *vigilantis*, inquit, *inſomnium.* Quæſitus, quo differrent docti ab indoctis? *quo*, inquit, *viventes à mortuis.* *Eruditionem*, dicebat, inter proſpera eſſe ornamentum, inter adverſa refugium: hinc interrogatus, quid ex Philoſophia lucri reportâſſet? *hoc*, inquit, *ut injuſſus faciam ea, quæ plerique faciunt per legum metum.*

LEUC: Enimverò iſta dogmaticè non minùs, quàm eruditè: punctum tuliſſet, credo, nî vitia virtutibus miſcuiſſet. MEL: Imò, nî virtutes majoribus vitiis corrupiſſet. DEUM unum

aſſe-

aſſeruit, ſed & negavit, dum illi Providentiam denegavit. Mundum docuit fuiſſe æternum, nec DEUM poſſe, niſi mutetur, alios procreare mundos, húncque, quem creâſſet, produxiſſe non ſponte, ſed fatali coactum neceſſitate: & quæ hæc monſtra ingenij, vel ſacrilegi potiùs humanæ mentis abortus? Sed nec voluntas ſibi conſtitit ſemper: in transverſum crebrò flexit innata Antiquis Sophis ſuperbia. Nam Iſocratem cùm audiîſſet, aperto Rhetoricæ ludo, ſummis laudibus extolli, & ipſe Rhetoricam docere aggreſſus: *non eſt æquum*, inquiens, *me tacente loqui Iſocratem.* Staturam corporis puſillam, quam ei dederat natura, eum in finem, ut mundus Philoſophos non à corporis mole, ſed ingenij magnitudine metiretur, is præter naturæ finem, muliebri arte adjuvit: nam odoramentis, balneis, annulis, cultúque ſupra Philoſophum inſigni, corpus deformaverat potiùs, quàm emendabat, adeò ut ab effæminato luxu Platoni, quia viro, meritò diſpliceret. Sed qui muliebri cultu jam virum exuerat, quid mirum, quòd affectu quoque ſe transformârit in fœminam? Pythiam efflictim adeò deperibat, ut etiamnum vivæ (prô dedecus!) veluti Eleuſinæ Cereri, aras erigeret, thus adoleret, & victimas tanquam Numini immolaret: indignum Philoſopho facinus, cui lectus pro Ara, intellectus pro victima, pro thure voluntas, voluptas pro Numine fuit. *l. 12. met. c. 9.*

LEUC: Moves mephitim, ex qua innumera manâſſe vitia, ipſus ſat aſſequor. Id jam ſupereſt, ut doctrinæ Peripateticæ progreſſum paucis edoceas. *MEL:* Theophraſto, Diſcipulos inter chariſſimo, ſuos Stagirita libros commiſit. Hic Neleo, Neleus reliquit filiis, qui Regum Attalicorum metu, libros omnes inſtruendæ bibliothecæ conquirentium, eos terræ infoderant: illic per 160. annos ſepulti, indignum tineis pabulum tandem Apelliconi Tejo venditi, ſcribarum manibus revivixerant, ſed, ùt fit, anaſtaſi infinitis erroribus corruptâ. Primus Sylla Romam detulit, ubi Alexandri Aphrodiſij commentarijs novam lucem aſpexerant. Secutus Ammonius Alexander, anno Chriſti 210: mox Themiſtius, qui licèt ethnicus, Chriſtianis tamen amicus, imò Auguſtini Magiſter. Magno Magiſtro major Diſcipulus ſucceſſit, cujus in Ariſtotelem merita, etiamnum ſentit Poſteritas. Subin circa ſæculum ſextum, ſub illuſtri Boëtio, Ariſtoteles, latinè jam loqui doctus, in Theodorici aula comparuit, ſéque

 viden-

videndum etiam præbuit Occidenti. Circa annum octingenteſimum à thavmaturgâ Damaſceni manu in epitomen eſt redactus: ſed anno 1150. obſcuriorem nactus eſt calamum ab Averroe, & Avicenna, qui Cordubæ inſtituto Collegio, Philoſophum paraphraſi barbarâ, dilatârunt potiùs, quàm illuſtrârunt. Poſt hæc Americus, Sorbonæ Sophus, Stagiritam dum reddidit illuſtrem, penitùs obſcuravit: nam ubi ethnico adhæret ſtrictiùs, hæreticus factus eſt: unde pœnam interpretis, doctrina Philoſophi luit Pariſijs, circa annum 1210, publico concremata incendio. Sed brevì illuſtrior è cineribus rediît: nam ſub annum 1250, operâ, ſtudio, doctiſſimíſque commentarijs Alexandri Alenſis, Sanctorum Alberti M. Bonaventuræ, & Aquinatis præcipuè; toto orbe decantari cœpta, ſoláque in triumphum ducta eſt, reliquis Philoſophorum ſectis, nativâ in caligine relictis. Patritius teſtis eſt, circa annum 1400, tantâ omnium Doctorum æmulatione certatum eſſe, ut ſupra duodecim voluminum millia, typis impreſſa, per Europam circumferrentur. Nunc temporis Univerſitas nulla, quæ Ariſtoteli cathedram non dedicârit. Pariſienſis anno 1611, publico decreto ſe illius doctrinæ obſtrinxit, ut vel ſic fuliginem incendij quondam illati abſtergeret. Hanc ſequutæ ſunt aliæ, quæ tot elogijs jam Ariſtotelem celebrant, ut referre illa ſi velim, diſcurſus curret in infinitum.

*l. de perip. diſcuſſ.*

LEUC: Ita eſt: Philoſophiæ Primipilis litatum ſatis. Scio, quòd multa ſciverint, modò bene, & ad æternitatem feliciter: nam *ad majoris culpæ cumulum pertinet, ſcire, quod ſequi debeas, & ſequi nolle, quod ſcias.* MEL: appoſitè: cepiſti, ut video, doctrinam, quam D. Auguſtinus, exemplo ſuo, tibi cupit impreſſam. Audi, epilogi locò, quàm ille divinam diſcursûs noſtri anacephaleoſin: ſic ipſemet de ſe ipſo. Quid mihi proderat, quòd annos natus fermè viginti, Stagiritæ categorias, ſine Magiſtro, ſic didici, ut antequàm diſcipulus, jam Profeſſor, publico illas plauſu prælegerem, nílque haberent doctiſſimi quod docerent, multa quæ diſcerent? quid mihi proderat, quòd libros omnes, quos quidem Minerva amœnior, legiſſe ſolummodò, fuerit intellexiſſe? quid? quòd ſeverioris quoque Palladis diſciplinas, ſolo Intellectûs acumine, citiùs penetrârim, quàm perluſtrârim? quid mihi proderat Ingenium, per omnes doctrinas agile, quo nodoſiſſima quæque ſic enodaveram, ut ipſum me fugeret no-

*Iſid. l. 2. de ſum: bono:*

*l. 4. Conf. l. 16.*

men

men difficultatis, niſi aliorum experientia id docuiſſet? quid inquam proderant iſta, quando & oberant, nec ad uſum, ſed perniciem magìs valebant? quid mihi proderant bona, non bene utenti, ſed deformiter & ſacrilegâ turpitudine in doctrina pietatis erranti? aut quid oberat parvulis ingenium tardius, cùm à DEO longè nunquam recederent? *En! indocti cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris volutamur in carne & ſanguine.* Hæc ille epiphonematis locò, quæ qui intelligit, ſolidámque philoſophandi methodum negligit, Philoſophus eſt, Auguſtino Profeſſore, Cœlíque laureâ indignus. Finiamus: & quoniam Stagira, ſuas defuncto Philoſopho non modò aras erexit, ſed & ſplendida Mauſolæa, nos ad Urnam Ariſtotelicam, cum Auguſtino, virtutem Scientijs præferente, affigemus hoc Epitaphium.

# EPITAPHIUM
## Ad Urnam Ariſtotelicam erectum.

*Plange Natura!*
*Jacet hìc Stagirita, per quem ſtetiſti,*
*Qui niſi pro te ſtetiſſet,*
*Jaceres.*
*Jacet extinctus Ille,*
*Qui orbem univerſum animaverat*
*Ad meliorem vitam.*
*Jacet elinguis,*
*Cujus ore diſerta jam diſcurrit*
*Poſteritas.*
*Jacet*
*Inter indoctos, jam mortuus,*
*Qui inter doctos ſemper ambulaverat vivus,*
*Quia Peripateticus.*
*Naturæ debitum ſolvit,*

*Cui pene totum, quod in orbe habet præconij,*
*Debet Natura.*
*Qui in vita Semi-DEUS ſuperavit Naturam,*
*Homo factus in morte,*
*A Natura eſt ſuperatus.*
*Hinc*
*Mortuum meritò luges, qui tibi ſic luxit vivus:*
Ariſtoteles *anagrammatico nomine*
Sol erat iſte:
*A quo totam, qua radias,*
*Hauſiſti lucem, atque ſplendorem.*
Sol erat iſte:
*Nam ſolus illuminavit*
*Philoſophicum Mundum.*
*Sed*
*Eclypſin à morte jam paſſus,*
*Et quidem totalem:*
*Cùm*
*Ita occiderit,*
*Ut ampliùs non oriatur.*
*Hinc*
*Meritò Illi jam parentas Natura,*
*Quia parentas, ſi non Parenti,*
*Curatori ſaltem, atque Cultori.*
*Reddidit, quæ dediſti:*
*Dediſti ingenium, is tibi dedit ingenij fructum.*
*Dediſti talenta:*
*Auxit hæc per labores,*
*Ut cum fœnore tibi redderet honores.*
*Satìs te coluit, quia excoluit:*
*Cur ergo perdis Cultorem?*
*Fateor,*
*Vivus te prodidit, ſed non te perdidit:*
*Revelavit Secreta, quæ celaveras,*
*Ut revelaret.*

*Perdidi-*

*Perdidiſti majus quid Alexandrô,*
*Dum perdidiſti Alexandri Magiſtrum:*
*Is enim gladio nodum unum diſſecuit:*
*Hic ingenij acie ſolvit omnes.*
*Fateor,*
*Miraculum fuit,*
*Quòd hoc Mundi Miraculo corruente,*
*Non corruerit pariter eruditus Orbis.*
*Nam*
*Succeſſores non habuit,*
*Si ſpectes Liberos,*
*Si libros, habuit plus ſeptingentis,*
*In quibus etiam mortuus,*
*Vivit ſeptingenties Immortalis.*
*Dedit ergo induſtria, quod negavit Natura,*
*Sibi ipſi ſuperſtes*
*Vivit poſt mortem:*
*Dum nequit vivæ vocis oraculo,*
*Muto clamore, vocéque mortua,*
*Totum per orbem,*
*Suæ eſt Præco gloriæ immortalis.*
*Felicem Stagiritam!*
*Si juxta Naturæ leges tam bene vixit,*
*Quàm doctè ſcripſit.*
*Infelicem!*
*Si Scientia* ſola *dum eum docuit,*
*Nocuit.*
*Si qui in vita bene ſemper concluſit,*
*Concluſit malè in morte,*
*Vitium incurrens Æternitatis.*
*Infelicem!*
*Si cauſas ſecundas dum curioſiùs inveſtigavit,*
*Neglexit* Primam.

*Si Na-*

*Si Naturam dum invenit bene ſpeculando,*
*Gratiam perdidit malè vivendo.*
*Quid juvat Stagiritam Scientia,*
*Si DEUS ſcrutetur cauſas,*
*Non tam Scientiæ, quàm vitæ?*
*Quid juvat?*
*Si hìc laudatur, ubi non eſt,*
*Et ibi crematur,*
*Ubi eſt.*
*Abi Philoſophe,*
*Et cogita,*
*Quàm ſit vanum Solatium,*
Laus in tormentis.
*Cogita,*
*Quàm miſerum ſit Scientiæ* ſolius *Stipendium,*
Si elogia, quibus laudaris, non audias,
Et tormenta, quibus cruciaris,
Suſtineas.

SPINX




S. Dionyſius in Areopago Sophus, à tenebris lumen, quia ex Eclypſi Deū agnovit, cùm dixit: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur: Subin à meliore ædipo, S. Paulo, explicato Ignoti Dei ænigmate, ad veri Dei agnitionem perductus. Ex Brev. Rom. I. Melchior Gutwein sculps.

# SPHINX CLARISSIMA
*Sive*
# DISCURSUS II,
# DE DEO
## Rerum omnium Principio.

MELANDER. Satìs in Atrio hæſiſti nuper: en! patet tibi noſtrum jam Athenæum. Ingredere ſi lubet, & ſecretiora Philoſophiæ luſtra Sacraria. LEUCOTHEUS. Papæ! quam novam tu mihi pandis Poëcilen! Stoámne video Zenonis, quam Mycon, vel Polygnotus, ſuo variegetatam penicillo ornaverat? *MEL:* Magna cupis componere parvis: Symbola vides, quibus tumultuaria manus, periſtromatum locò, Philoſophicum hoc Muſæum mihi ornaverat. LEUC: Et quem in finem? *MEL:* Ut Symbolico hoc velamine tecta, Juventuti meliùs aptetur Philoſophia. LEUC: Nova methodus philoſophandi. *MEL:* Falleris, niſi novam dicere velis Antiquitatem. Veterum Philoſophorum veſtigia terimus, quos à longè, ſi ſalutaveris, deprehendes, quòd, pleráque Philoſophiæ myſteria, non niſi ſub emblematum ſchemate, ac ænigmaticis fabula-

rum allegorijs, publico propoſuerint: & meritò, ne ſcilicet quibusvis è trivio lippis, aut circumforaneæ cerdonum vappæ, apertum quà latè poteſt, Philoſophiæ ſanctuarium pateret. Sic Ægyptios legimus, per Sphingem exundantem Nilum, Græcos per Proteum materiam primam, per Saturnum horas, & tempora deſignâſſe. Hinc non malè Comes Natalis Mythologiam, *antiquum Philoſophiæ domicilium*, & ipſe Stagirita Philoſophos *fabularum amatores*, appellat: quia (ut in hunc locum Scholiographus) Poëſis animos, ad Philoſophiam diſpoſitos reddit, aptósque. Quid multis? Criſin non moror, quam Ipſamet Sapientia incarnata ſuo refutat exemplo: Hæc in parabolis divina Oracula optimè, nos in ſymbolis Philoſophica ſaltem malè, niſi malevolis, non proponemus.

*Kirch. t. 3. Oedip. 3.* *In l. Mytho. Maurus.*

LEUC: Diſplicere conſilium nequit: Imò mihi (licèt minor ſim, ut ſuffragium feram) ùt quod maximè arridet. Sic erit ad vota ampliſſimus, nî fallor, campus, in quem, te Duce excurram, & eò quidem jucundiùs, quò curioſiùs. MEL: Scopum meum divinas, tuam utilitatem. Sat ampla eſt meſſis pro ſerendis colloquijs: elige, quod placet, Symbolum, & filum porriges, quo per Philoſophici labyrinthi mæandros, calle non inamœno, decurras. LEUC: D. Dionyſius, quam Athenæ, ùt Sophum, ùt Judicem Areopagus ſuſpexit, neſcio, quid hieroglyphico illo Schemate portendat: *Ex umbra lucem.* Sphingem agit, dum in ænigmate loquitur, hinc age, precor, illius Ædipum. MEL: Mundo notum eſt, quòd primam Dionyſius lucem ex tenebris; quòd Solem Juſtitiæ non viderit, niſi per eclypſin: nam cùm noctem illam paradoxam, quia meridianam, in morte Chriſti, Heliopoli cerneret, agnovit ex mundi oculo, tam mirabiliter obtenebrato, quòd Cœli Oculus oculos clauderet; hinc exclamavit: *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvetur.* Et quid mirum, quòd ſemel à tenebris illuminatus, plenam deinde lucem ex ænigmate hauſerit? Erat Athenis Ara, *Deo ignoto*, dudum erecta: veriſſimum ænigma! ſi enim Deus, quomodo ignotus? ſi ignotus, quomodo Deus? dudum deſideraverant Ædipum cæcutientes in Areopago talpæ. Miſit Deus Apoſtolum gentium, qui quod ignorantes colebant hactenus, annuntiavit, plenúmque ænigmati diem attulit, nec ſine lucro & præmio: nam inter reliquos lucratus eſt Sophum (ſu-

peri!

peri! quale præmium, Deo Sphinge, Paulo Ædipo dignum!)
Dionyſium, quem veræ fidei luci ita reſtituit, ut nemo meliùs,
per ſpeculum, divinum Solem aſpiceret, quàm ſublimis hæc Aqui-
la; nemo clariùs de Divina Sphinge, in ænigmate, ſcripſerit, niſi
cui facie forſan ad faciem, in viventium lumine ſe relevavit.

LEUC: Nunc capio, quid ænigmaticum ſchema, præ-
fixum diſcurſui: *Sphingem clariſſimam* vocas *DEUM ignotum.*
MEL: meritò Sphingem dico, quia nemini cognitum: cla-
riſſimam, quia nulli non cognitum: quid hæres? Deus eſt,
qui quàm apertè patet, quòd ſit, tam occultè latet, quid ſit:
Percipe rationem. Quid Philoſopho magìs incognitum, quàm
quid ſit Deus? Quære Simonidem cum Hierone, & rei conſide-
randæ diem petet, mox alterum, demum plures, & ſic de-
inceps, dum te moræ denique pertæſum hoc reſponſo dimit-
tet: quò diutiùs cogito, eò rem obſcuriùs penetro. Ex lon- *Cic. l. 1*
ginqua Ægypto advoca Sapientes: quid dicent? ſilebunt, *de nat.*
ciconias tibi monſtrando, & crocodillos, animalia linguis ca- *Deo.*
rentia, ut vel mutis híſce ſymbolis tibi inſinuent, Deum peni-
tùs ineffabilem. Auguſtinum in ſcrobem fundere videbis Ocea-
num: Gregorium ſtupebis, ora digito premere, quia pene om- *l. 20.*
ne, *quod de Deo dicitur, eò ipſo jam indignum eſt, quod potuit dici.* *Mor.*

LEUC: Exſtant tamen non pauca Sapientum oracula, qui-
bus veluti genuinis coloribus exprimunt Divinitatem. Thali
Mileſio Deus eſt *Ens entium omnium antiquiſſimum,* quia nunquam *Triſm. in*
cœpit: Platoni *Vivens ſempiternum, & optimum:* Triſmegiſto, *Pimand.*
*Gloria omnium, principium univerſorum.* Hipponenſis nunc vocat *c. 2.*
*pedem ex toto, quia ubique: nunc oculum, quia omnia videt: nunc* *Aug.*
*manum, quia omnia operatur.* Melliſluus ait, *quod nec partibus con-* *ep. 112.*
*ſtet, ùt corpus, nec affectibus diſtet, ùt anima, nec formis ſubſtet, ùt* *cap. 36.*
*omne quod factum eſt.* Denique cum Aquinate, torrens Theolo- *Bern:*
gorum, *actum puriſſimum,* aſſerit *compoſitionis omnis expertem, quo* *de conſil.*
*nihil majus, nihil melius, aut præſtantius poteſt excogitari.* MEL: Ef- *l. 5.*
fatis ejuſmodi memoriam acuis, ænigma non ſolvis: dic enim,
amabo, ſi penicillo magni Gregorij, divinum Ectypon tibi de- *Greg.*
pingerem, dicendo Deus eſt, *qui intra omnia manet, ipſe extra om-* *l. 1. mor.*
*nia, ſupra omnia, & infra omnia:* ſi aſſererem, quòd ibi excedat,
ubi ſuſtinet, ibi impleat, ubi circumplectitur: quòd Idem ſu-
perior & inferior ſine locatione, amplus ſine latitudine, ſubtilis

ſine explicatione: quòd ſempiternus ſine tempore, ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus: ſi adderem, quòd ubique præſens ſit ſine ſitu, ubique totus ſine loco, tranſcendens omnia ſine motu, manens intra omnia ſine ſtatu, creans omnia ſine indigentia, gubernans omnia ſine labore: ſi definirem, quòd ille ſit, quem nec ſpatia dilatent, nec coarctent anguſtiæ, quem voluntas non variet, nec corrumpat neceſſitudo, nec mœſta perturbent, nec læta demulceant; in quo nec oblivio quidquam tollit, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt: dic, mihi amabo, an hac paradoxâ paraphraſi ænigma evolverem, an involverem potius? nempe videmus *nunc in ænigmate*, & qui ſcrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria. Quòd ſi meæ diffidas ſententiæ, ad DEUM appella, ſolvíque tibi ænigma pete: quid audies? *ſum qui ſum: Alpha & Omega, Principium & Finis:* En! ænigma novo ſolutum ænigmate: nempe *DEUS ænigma eſt, noſtris quia lumen in umbris, Ædipus & Spinx eſt: hæc Solo, at ille Polo.*

*LEUC:* Sic intricas hoc tuum ænignia, ut vix videam, quo modo clariſſimè id extricabis. *MEL:* Dixi obſcuriſſimum eſt, quid ſit DEUS, clariſſimum, quòd ſit DEUS: nam, utut ſpiſſæ Gentilitatis fuerant tenebræ, tamen claritatem veritatis hujus, obſcurare non poterant: quippe Philoſopho non poſſe non eſſe cognitum ſupremum Numen, faſſus eſt, etiam Ethnicus Cicero: quid, inquit, eſſe poteſt tam apertum, quid tam perſpicuum, cùm Cœlum ſuſpicimus, & Cœleſtia contemplamur, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ Mentis, quo hæc regantur? agnovit Seneca dum ait: quid enim eſt natura (Naturans ſcilicet) quam DEUS, & divina ratio toti mundo, partibúsque ejus inſerta? confirmavit hoc Stagirita, dum dixit: quod in triremi eſt Gubernator, quod Rector in curru, Dux in Urbe, in Exercitu Imperator, hoc in mundo eſt DEUS. Jure igitur Zaleucus Locrenſem illum, Urbe proſcripſit & Orbe, qui Cœlum terrámque aſpiceret, & tamen tot oculis, Cœli terræque Dominum, non videret.

*L. 2. de nat. Deo.* *de Benef.* *in procemio legum.*

LEUC: Quidquid ſit, ſunt hodiedum, qui oculato in ſyrmate, velut Argos, ſe circumſpiciunt, & tamen ad hanc lucem cæcutiunt talpæ, ac in meridie diem quærunt. *MEL:* Sunt prô dolor! quos tamen homines minimè dixeris, ſed hominum

mon-

monſtra, mundi probra, nauſeantis naturæ vomitus, Stygíſque ſpurios abortus: ſunt Machiavelli contribules, Epicuri de hara Satyri, Athei. Triplicis generis monſtra, velut totidem furias, in mundum, contra mundi Authorem, trifaux evomuit Cerberus: primum in Nembroto, *Polytheos:* ſed ubi hanc Hydram à Chriſto debellatam conſpexerat, mox emiſit alteram, primæ oppoſitam, *Atheos Voce:* his verò, cùm ipſa natura, vocem impiam, ſtrangularet, medioxumam eniſus eſt peſtem, omnibus monſtris magìs monſtroſam, *Chriſtianos nomine, Polytheos opere, reverà Atheos*, de quibus pridem non ſine gemitu Damianus: *quid prodeſt, ſi quis Chriſtianè credat, & gentiliter vivat?*

LEUC: Nulláne ſuperſint Philoſopho tela, quibus debellet ejusmodi Lernæas peſtes? *MEL:* Superſunt utique. Præbet Philoſophia tam multa & efficacia, contra Atheum imprímis, ut niſi cum Batto in lapidem obriguerit, manifeſta ratione convictus, non poſſit non herbam porgere: ſed lyram Arcadi pulſas, cæcóq; nequidquam obijcis colores. Leucothee, difficulter ratione decertatur cum Atheo, qui rationem ſe exuiſſe non profitetur modò, ſed etiam gloriatur. Age ſi lubet, & cum Gentium Doctore *teſtimonium* exhibe ſi non de Cœlis, in unanimi ſaltem omnium, qui à mundi incunabulis vixerant, mortalium ſenſu atque conſenſu: in teſtes adduc Ætates, & Nationes omnes, genijs & ingenijs diverſas, quæ quamvìs in contradictionis ſtudia pruriant unanimi tamen calculo huic veritati ſubſcribunt: & nunquid ad tam diſcordem concordiam cogit evidens veritas, rapítque vis altior? ſed non rapitur Atheus: oggannit omnibus unus, ſtat firmus in ſua infirmitate, & ſi ferrum non ſufficit, triplici chalibe obarmat frontem, ut, voce ſaltem, huic hominum conſenſui neget aſſenſum. Cum magno Auguſtino *totius naturæ clamorem* oppone, dic in aëreo Cœlorum fornice auſcultet ſiderum voces, quæ ſua celeritate diſcurrunt, ſua mole de DEO annunciant: dic, ut audiat tonitruum mugitus, grandinum ſtrepitus, cadentis pluviæ ſuſurros, ventorum tumultus, mutas meteororum voces, totámque in ſidereis regionibus *muſicam:* & nunquid, contentiſſimo clamore, clamant: *confeſſio ejus ſuper Cœlum & terram?* clamant ſed ſurdo: nam Atheus aures habet, nec audit, imò ne audiat, obturat, Ulyſſis conſilio in ſuum malè utens exitium. Cum divo Ambroſio *Librum* hujus mundi legendum præbe,

*Actor. 14. v. 16.*

*15. Civit. c. 3.*

*Plato.*

*Pſal. 148.*

*in c. 2. Luc.*

præbe, videat, quot creaturas, tot characteres, DEI Digito exaratos: obſtupeſcat magnificum opus, compoſitum ex innumeris, ſumméque contrarijs partibus, tam conſtanti rerum omnium temperie invariatum: contempletur, quàm terra amœnè rideat in pratis, quàm ſuperbè ſe ſe oſtendat in viretis, quàm blandè vireſcat in hortis, quàm luxuriosè frondeſcat in pomarijs, & nunquid, trabalibus litteris, has legere voces poterit: *Ipſe fecit nos & non ipſi nos?* ſed fruſtrà eſt, litteras ſe nôſſe negat, utpote in cujus mente occalluit dudum ſtupor. Cùm Euſebio *Speculum* præſenta, conſcientiam propriam, introſpiciat, & deprehendet principia ſyntereſeos, quibus dictat Virtutem honeſtam, inhoneſta vitia: ſentiet remorſus, qui ſuadent fugiendum malum, faciendum bonum: & nunquid hoc ſpeculum indicat ſupremum Legislatorem, Remuneratorem & Vindjcem? *ſed nempe ſtultus conſiderat nativitatem ſuam in ſpeculo, abit, & obliviſcitur.* Denique cum Angelico *Rationis lumen* accende, quo meridiana luce clariùs videt, dari Ens productum, adeóque & improductum; ſi enim vitare velit ſequelæ neceſſariæ vim, vel incidet in Scyllam mutuæ prioritatis, vel in Charyptin proceſsûs in infinitum. Sed fruſtrà lumen accendis, nam & in meridie nox eſt, cùm palpebras claudit obſtinata in errore voluntas.

*4. de demonſtr: c. 8.*

*l. 1. contra Gent: c. 13.*

LEUC: Tam ferreas ego coſtas vix eſſe homini credam, ut impavidus, & ſine ſenſu, ferat tela tam fortia. Quid igitur rationis opponit? MEL: Erras, dum de homine loqueris: *homo brutum* eſt Atheus, à quo fruſtrà rationem exſpectes: id unum oggrunnit: caſus, caſus eſt, ne cadant de Cœlo ſidera: caſus eſt, quòd hæc mundi ſpectabilis machina, è temerè volantibus per inania atomis, in compagem, hac elegantiâ & ordine viſendam, coaluerit. Si replices, humanam igitur fidem non ſuperare, quòd ex confluentibus caſu coloribus vel ipſi Parrhaſio invidenda effigies: quòd ex concurrentibus ſua ſponte ſaxis, Solymæum Palatium: quòd jactis, fortè fortunâ, alphabeti litteris, ingenioſa Homeri Ilias conſurrexerit, deglutiet abſurdum, & Struthionis inſtar grandem bolum hunc devorabit. Si addas prodigia, quæ naturæ viribus majora, majorem infiniti Entis virtutem comonſtrant: ſi dicas, ſublato Numine, errorem fore univerſalem, probos, infeliciſſimos, feliciſſimos improbos, Marpeſiæ rupis inſtar, ſtabit immotus: ſi proceſſum aliquem,

quem, ſeriémque agentium infinitam tranſmittas, ibis in circulum, finitámque ſenties in probando tuam prudentiam, ſtultitiam Athei in negando ſenties infinitam.

LEUC: Ita eſt: hinc verba ne perdas, precor: ventos paſcis, ſi philoſopharis cum beſtia: ſufficiunt hæc abundè rationis compoti, quam ſi exuit Atheus, nec ſufficient infinita: nempe non eſt, niſi inſipiens, qui dicit in corde: *non eſt DEUS.* Expone poitùs, an feliciori Minervâ Polytheos Philoſophia noſtra debellet? MEL: id equidem opinor: hi enim dum exiſtentiam DEO adjudicant, videntur ſapere ſupra feras, utut infra homines pluralitate deſipiant. DEUS enim ſi unus non eſſet, Deus non eſſet, quia non eſſet illud, *quo nihil meliùs*: optimum non eſt, quod non eſt ſolum, quia melius eſt eſſe ſolum, nec ſibi in Imperio habere æqualem. DEUS, ſi unus non eſſet, Deus non eſſet, quia *perfectiſſimus* non eſſet: finge Jovem, qui præſit ſuperis; Plutonem, qui inferis: finge Neptunum, cujus ad vota fluat Oceanus, Oeolum, cujus nutibus adſpirent venti, ſinguli habent ſua, nullus omnia: deerit alteri, quod habet alter, ille autem perfectiſſimus eſſe nequit, cui aliquid deeſt perfectionis. DEUS, ſi unus non eſſet, *Supremus Dominus* non eſſet, quia detrectant Imperia dignitate pares: imperet Saturnus, ſpernet imperium Jupiter, & in Latio coget latere imbellem Deum. Deus ſi unus non eſſet, *abſolutè liber* non eſſet: ſæpe nollet unus, quod vellet alter: Æneam protegeret Paphia, Juno perſequeretur: *Nam ſæpe premente DEO, fert DEUS alter opem.* Quod ſi Deos ſympaticos fingas, fingis ridiculos: qui enim conſentire liberè poſſunt, & liberè poterunt diſſentiri: nempe pluralitas Numinum, eſt nullitas Numinum: Unitas Dei eſt veritas Dei. Viderunt hoc etiam luſci in tenebris Ethnici: ridet Socrates Joves adulteros, Mercurios rapaces, laſcivas Veneres: Plato exſibilat in fanis Pythones, Crocodillos in adytis, Simias in delubris: ipſemet Stagirita ſpernit cepas, & allia, & ſiquæ alia naſcuntur in hortis Numina, quæ quia fungi, non niſi fungos numerant adoratores.

LEUC: Herclè! non inaniter hanc pugnam pugnat Philoſophia, dum DEI exiſtentiam Atheis, unitatem Polytheis demonſtrando, utróſque feliciter expugnat. Sed quid de tertio monſtro? quænam Lerna hanc ſpuriam orbi immiſit Hydram? ex ſpuma Cerberi prognatum credam, tam fatalem

talem humano generi abortum. MEL: Nihil exaggeras: ſunt Chriſtiani, ſed nomine, quia Chriſtum profitentur, ſed voce: ſunt Catholici, ſed ſine forma pro forma, quia fidei ſeſe commodant, vel accomodant potiùs, ad ſpeciem & ſine ſpecie: larvam remove, prô qualia monſtra, Gorgonijs fœdiora ſpectris! ſunt Chriſtiani exteriùs, interiùs Athei: credunt quod volunt, ſine fide ad omnem fidem venales, quia ad omnem Religionem indifferentes: nullam probant, nec ullam reprobant, ultima cura Religio, quæ jam tranſiit in externum, politicúmque Reipublicæ ritum: laudant in fide, quod commodum, quod incommodnm, riſu exſibilant: ipſi ſuæ fidei Authores, pro genio formant, reformant pro libitu, pro libidine deformant: vivunt, ut edant, edunt, ut vivant; nam vitam agunt, ùt feræ, mortem optant, ùt beſtiæ. Quid multis? ſunt Chriſtiani nomine, reverà Athei. Sed eſt horum & alia ſpecies: ſunt, qui catholicè credunt, ſed ita vivunt, quaſi non crederent: nullum myſterium negant, & tamen cuncta operibus reprobant: ſentiunt cum Chriſtianis, ſed cum Ethnicis vivunt, & Atheis, utríſque pejores, quia ſupra Ethnicum Atheúmque mendaces. Cœli præmia credunt, ſed quaſi non crederent, quia turpiter negligunt: æterna dicunt inferni ſupplicia, ſed quaſi non dicerent, quia non horrent. Verba ſi conſulas, DEUM exiſtere, etiam Vindicem, aſſerunt, ſed negant, quem aſſerunt, dum horrendis ſceleribus Vindicem offendunt. DEUM unum adorant, & cum Polytheis ſibi plurima Idola fabricant: nunc enim thus adolent Veneri, nunc aras erigunt Plutoni, nunc genua curvant Mercurijs, nunc victimas immolant Lyæis: fruſtrà Chriſtiani titulo gloriantes, & in ſpurcitijs Ethnicos imitantes, atque utinam non ſuperantes! Ejusmodi Chriſtiani nominis Simijs, meritò diem dicunt Gentiles, ad Hieronymi cortinam: audiant Oraculi hu-

*Sup. Pſ.80.* jus Sententiam. *Cui DEUS venter eſt, ei DEUS recens eſt, quotcunque vitia habes, tot habes recentes DEOS: iratus es, ira tibi DEUS eſt: vidiſti mulierem, & concupîſti, libido tibi DEUS eſt: unusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi DEUS eſt.* Nempe hæc eſt

*L.7.in Luc.c. 14.* illa, de qua Ambroſius, Chriſtianos inter, *Idolorum Servitus.* Et utinam ejusmodi monſtra non invenirentur plurima, ſub byſſo & purpura in aulis, ſub olidis centonibus in caulis, ſub vitta in gynæceis, & quod Philoſophiæ dedecorſium, ſub epomide in Lyceis!

LEUC:

LEUC: Et quæ clava erit tam fortis, quæ vires adeò validæ, ut Hydræ huic contundant monſtroſum caput? *MEL:* hìc opus, hìc labor eſt; imbellis nimiùm eſt ipſa manus Herculea, hìc opus eſt brachio Omnipotentis. Ne tamen nihil agere videatur Philoſophia, ex veritate geminâ, ſuperiùs ſtabilitâ, ſic urgebit Theoſophus ejusmodi Philoſophum irrationalem. *Datur DEUS*, ergò Creator, à quo formatus, pro quo es factus: hic finis tuus, unicus, ultimus, ab iſto quantùm recedis, tantùm à tua felicitate diſcedis: hæc tua beatitudo, extra quam non poteris non eſſe miſer. Fruſtrà vagaris per creaturas: ſpinoſæ ſunt mundi divitiæ, quia pungunt: amaræ deliciæ, quia tranſeunt: vanæ honorum illecebræ, quia evaneſcunt. Irritant terrena, non ſatiant, hinc inquietum cor tuum erit, niſi in centro hoc conquieſcat. Quid fruſtrà torques te miſer? ſi non movet te excellentia finis, ſi non trahit jucunditas, ſi tua te non rapit felicitas, neceſſitas te cogat, oportet: aut enim, conformiter ad finem vivendo, dabis debitam Numini gloriam, aut, agendo difformiter, dabis certam ac inevitabilem pœnam: aut ſponte glorificabis inter Superos Bonitatem divinam, aut coactè apud Inferos ſeveriſſimam tolerabis Juſtitiam: alterutrum eſt neceſſe, elige. Ulteriùs: *unus eſt DEUS*, Cor unum: cur ergò dividis DEUM inter & Creaturas? Ingrate! Te totum tibi, imò totum quoque ſe tibi dedit, cur ex toto tu reddis partem, & hanc non totam? prô dolor! Tanto negas tantillum! *Infinitus eſt*, & *omnia tanquam nihilum coram Ipſo;* coram nihilo omnium, minus nihilo Cor tuum, & tamen hoc, danti omnia, recuſas? avare nimiùm, qui dum ſufficis DEO, tibi DEUS non ſufficit! ſed quid loquor? magna perfidia, Cor DEO dare dimidium: major, auferre totum: maxima, ablatum DEO, totum conſecrare diabolo. At honores promittit: ſcilicet magnum inane, & grande nihil; quid enim ſceptra, niſi aureæ compedes? quid purpura, niſi miſeriæ tegumentum? *In momento* oſtenduntur *mundi Imperia: In momento*, quia dum placent, tranſeunt: *oſtenduntur*, quia non poſſidentur: quæ omnia, bene ſi nôſſent homines, plura eſſent Regna, quàm Reges. At Divitias offert; quæ te pauperem faciant: nam toto eget mundo, cujus non explet mundus cupiditatem: animus quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miſerrimus, ad omnes fortunæ injurias expoſitus,

*Pſ.* 38.

*Matth.* 4.

*Jer: 2. v. 19.* quò plus habet, plus cupit. At Delicijs allicit, ſed quæ non ſine amaritudine guſtantur, & tamen æternis ſupplicijs expiantur: nunquid *amarum eſt dereliquiſſe Dominum DEUM ſuum*?

LEUC: Tam piè, quàm efficaciter ſtringis: ſed ignoſce, hac formâ extra formam cum Philoſopho ambulas. MEL: quid ita? LEUC: quia ſenſim in aſceſin delaberis. MEL: aptiùs in Ethicam dixiſſes; ſed nunquid & tu in oblivionem delaberis illius, quod primùm heri? meminiſſe poteras (quod vel ideò tibi iterum iterúmque inculcatum eo) Philoſophiæ noſtræ non alium eſſe finem, niſi quem ſtatuit Plato, Divinitatis nempe notitiam, & amorem: quem ſic Philoſopho ratum eſt perſequi, ut illum aſſequar Ethicus: dixi; ita ratum, fixúmque. Pergo, argumentis phyſicis majorem de DEO dare notitiam, ut ſubin Ethica, majorem in Philoſophis generet amorem. Finge tibi, quod ſibi quondam Boëtius, in Peripato grande jubar, finge, ſpectabilem tibi ſe ſiſtere Philoſophiam: percipe, ut alloquatur Philoſophos nomine, re tamen brutis, quàm hominibus ſimiliores. Exiſtit DEUS, exiſtit unus, quod ſi non creditis, docente me evidenter ſcitis, niſi rationis lumen, naturâ etiam repugnante, penitùs extinxiſtis: exiſtit igitur à ſe, & quod conſequitur, in omni perfectionis genere, infinitus: quod enim Ens eſt à ſe, à nullo participat rationem Entis: quòd ſi verò cauſam ſui non habet, perfectionem, avaris limitibus circumſcriptam, habere nequit: nam quidquid cernitis limitatum, à ſua cauſa, cernitis limitatum, quæ aut non potuit, aut non voluit plus perfectionis effectui communicare: eſt igitur omnia DEUS. Quidquid pulchri relucet in ſole, quidquid placet in ſtellis, quod blandum arridet in iride, quod rapit in floribus, quod recreat in fontibus, quod in pulchritudine creata faſcinat, omnia reperire in DEO eſt. Plus dico: omnes has perfectiones continet ſine defectu; bonus eſt ſine qualitate, magnus ſine quantitate, immenſus ſine extenſione, æternus ſine ſpatio temporis: remotiſſimè diſtat ab omnibus, & tamen viciniſſimus eſt: nullo loco conſtringitur, & ubique præſens eſt, ſemper agit, & ſemper quieſcit, omnia mutat, & nunquam mutatur, movet omnia ipſe Immobilis, comprehendit omnia, & à nemine comprehenditur. Plus dico: omnes has perfectiones continet modo excellentiſſimo: poſſidet ſine limite, quia infini-

infinitus: continet ſine indigentia, quia eſt naturæ plenitudo, habet ſine permixtione, quia eſt actus puriſſimus: complectitur ſine diviſione, quia eſt ſpiritus ſimpliciſſimus. Omnia DEUS eſt, imò, nihil DEUS eſt rerum: congere quidquid perfectionis eſt in rebus corporeis; ſume in unum, quidquid pulchritudinis in ſpiritibus reperitur, mendax ſim, niſi dicas cum S. Auguſtino *omne hoc pulchrum eſt, ſed non ſicut tu DEUS meus.* Perge, & quam concepiſti Ideam, millies & millies multiplica, iterúmque millies, ac millies dices, hæc non eſt Deus, ſed aliquid infinities pulchrius, infinities beatius, infinities amabilius, hoc eſt Philoſopho Deus: & hunc imenſum Bonitatis Oceanum derelinquunt, rebelles lumini, ſibíq fodiunt ciſternas, in creaturis diſsipatas, quæ continere non valent aquas: quàm infinitæ ſuo modo malitiæ eſt hic contemptus! Semei, canis mortuus, maledictis laceſſit Regem priùs adulterum, parricidam, nunc ob ſcelera exulem, ſortíſq; vindicis ludibrium. Amalecites tardam expellit animam Principi agonizanti, Patriæ hoſti, victo, & beneficij locò mortem non tam poſcenti, quàm extorquenti: et ecce! continuò ad menſuram vilitatis in offendente, Majeſtatis in offenſo creſcit atrocitas ſceleris. Metire modò, ſi potes, Philoſophe, è nihili tui abyſso Majeſtatis infinitæ offenſam, & deprehendes malum tam grande, pene dixiſſem, quàm grandis eſt Deus, ſiquid Deum infinitè magnum æquare poſſet. Verbo: Deum eſſe neceſſe eſt, qui enormen peccati malitiam comprehendere velit: diabolum eſſe oportet, qui peccatum admittit, ſi nôrit, quid illud ſit. *l. 2. Reg. c. 16.*

LEUC: Superi! quale monſtrum Philoſophus peccator! væ huic, qui ſpreto DEO cogitat, ſe quidquam melius habiturum: an ultrà creſcere poſſit criminis tam atrocis immenſitas? MEL: Poteſt: audi Philoſophiam, ùt exorbitantes à ratione Philoſophos reducat in orbitam. Infinitæ perfectionis eſt DEUS: ergò immenſus: implet omnia ſpatia, nec impletur: eſt intra omnia non incluſus, eſt extra omnia, nec excluſus: ubique præſens eſt, penetrat abyſſos, emetitur cœlos, perſpicit intima cordium: quæ ergò protervia coram DEO committere, quæ coram homine non auderes? nimis inſolens eſt, legem infringere, dum adeſt Legislator; ridere pœnas, cùm ſpectat Judex; conculcare pretium ſanguinis, cùm videt Redemptor. Infinitæ perfectionis eſt DEUS: ergò infinitè bonus:

quid quid es, beneficium DEI es: quot numeras momenta, tot innumera numeras beneficia: nimis igitur ingratum, eo momento DEUM offendere, quo ſuis te beneficijs obruit. Infinitæ perfectionis eſt DEUS: ergò infinitè potens: operatur omnia in omnibus, in Ipſo agimus, movemur, & ſumus: in Ipſo & per Ipſum omnia, ſine Ipſo nihil: prorſus igitur inauditum, è divinis auxilijs inſtrumenta ſcelerum cudere, & velle, ut ad horrendum ſui Deicidium concurrat DEUS. Infinitæ perfectionis eſt DEUS: ergò infinitè Sanctus: procumbunt Angeli, dum ſanctitatem DEI proclamant: velant facies ſuas, & tantum lumen non ſuſtinent: complicant alas, & præ admiratione manent immoti: inclinatur Cœlum ad reverentiam, Orbis univerſus adorat: & tu peccator ſordide, Epicuri de hara, Sophe, tu ſuſtinebis Majeſtatem impurus, qua nihil purius? tu ſperes intuiturum te faciem, qua nihil ſanctius? Apage! ad ſcofras, ad hircos, omni hirco putidius animal, magíſque fœtidum monſtrum. Infinitæ perfectionis eſt DEUS: ergò pariter infinitè Juſtus. Vindicat in Cœlo: punit in Paradiſo: ulciſcitur in ipſo Deo Incarnato: in Angelo cogitatio, in Adamo morſus, in Chriſto culpa aliena tam atrociter caſtigatur: & tua tantáque flagitia ſperes tu impunita? quid quid agas in quamcunque te partem vertas, ſeriùs, ocyùs luendum peccatum eſt, hìc vel illic, igne aut aqua, lacrymis vel flammis: tua eſt optio, Juſtus Judex, inflexibilis, non leniendus, omnibus æquus exiget ad uſque ultimum quadrantem.

LEUC: Philoſophus non eſt, quem iſta nec tangunt, nec angunt: fruſtrà apoſtrophen amplificaret longiùs Philoſophia. MEL: Et tamen quàm multos eſt invenire, qui ad hanc naturæ vocem ſurdi, vel obdurati potiùs, in ipſa naturalis ſcientiæ palæſtra, rationem exuunt, ipſámque jugulant naturam. Sed ad ſanctiorem Philoſophum, Areopagitam intelligo, revertamur. Sic iſte audiît Philoſophiæ clamantis vocem, ut reſponderet, non verbis modò, ſed quod majus eſt, factis. Imò ſuperavit naturam, qui ſic æquaverat gratiam, ut DEUM, quem nôſſe cœperat, in naturæ caligine, amare pergeret in lumine gratiæ. Felicem Areopagitam, qui aram, *ignoto DEO* erectam, ſic Philoſophus coluit, ut tanquam Theoſophus magìs excoleret! nam erecto in titulum libro, quem

*igno-*

*ignoto DEO* inſcripſit, nullus eſſe ampliùs poteſt, cui DEUS poſſit eſſe ignotus. Dionyſij de DEO ſcientiam demonſtrare, ſi cuperem, irem in infinitum: dixiſſe ſufficiat, eum de DEO tot ſcripſiſſe oracula, quot liber ille continet verba: maximum nomen inter Scriptores adeptus, quia de DEI Nominibus ſcripſit; hunc tibi librum, Bibliothecæ inſtar, offerrem, niſi ſphæram transgredi philoſophicam formidarem. Illius igitur locò accipe Categorema, quod, Areopagita dictante, contra degeneres à natura Philoſophos, ad Authorem naturæ ipſa dedit Natura.

# CATEGOREMA
## Adverſus hominem à Natura ad Authorem Naturæ.

*Juſtus es Domine!*
*Et rectum Judicium tuum!*
*Hinc*
*Non repelles velut injuſtam,*
*Si verum ſit alloquium meum.*
*Nihil ago contra Naturam,*
*Dum à Natura degeneres*
*Accuſo filios*
*Natura Mater.*
*Non muto Naturam,*
*Dum inclamo te Judicem,*
*Quem fruſtrà hactenus proclamavi Authorem.*
*Elingui voces, mutæ lamenta,*
*Exprimit mutus dolor.*
*Vindica Matrem,*
*Quam filij Matris oppugnant.*
*Te ipſum ulciſcere,*
*Quem Authorem Naturæ,*
*Contra Naturam*
*Laceſſunt Naturæ monſtra,*
*Novi Typhones*
*Rebelles Enceladi.*

*Cur diſſimulans peccata hominum taces?*
*Cur vides, quaſi minùs videres?*
*Et ad cæcam connives inſaniam?*
*Amore hominis creâſti omnia:*
*Creata omnia homo vertit,*
*In odium Creatoris.*
*Juſſiſti,*
*Cuncta ut homini ſerviant,*
*Homo ſerviat tibi:*
*Et ecce!*
*Hic ſervit omnibus,*
*Uni non ſervit Tibi.*
*Voluiſti,*
*Creaturarum uſum in tuam Gloriam,*
*Et quid vides,*
*Niſi conſtantem abuſum in Tui contemptum?*
*Statuiſti,*
*Te ipſum pro fine, Creaturas pro medio,*
*Quò meliùs te Authorem cognoſceret,*
*Amaret Factorem.*
*Statuit homo,*
*Creaturas pro fine, te DEUM pro medio,*
*Apertis oculis non videt Authorem,*
*Per beneficia offendit Datorem!*
*Hiſteron proteron!*
*Per inſtrumenta Salutis,*
*Suæ fortunæ faber,*
*Sibi fabricat inſtrumenta perditionis.*
*Clamant Creaturæ ſilentes,*
*Ipſe fecit nos, non ipſæ nos:*
*Et contra clamorem Naturæ,*
*Thus adolet Creaturis.*
*Finis ultimus illi, deliciæ:*
*Quot videt Creaturas, tot erigit aras,*
*Tot colit Numina,*
*Quot in ſe continet nomina*
*Voluptas.*

*Creatoris*

*Creatoris legibus Natura obtemperat,*
*Solus homo*
*Creatoris leges invertit,*
*Totámque Naturam evertit.*
*Abutitur*
*Aëre ad blaſphemandum,*
*Igne ad nocendum,*
*Die ad patranda ſcelera,*
*Nocte ad contegenda,*
*Divitijs ad faſtum,*
*Delicijs ad luxum:*
*Ordinatis omnibus*
*Inordinatè:*
*Quique creatus eſt homo,*
*Ex homine ſe facit brutum:*
*Qui Dominus omnium,*
*Fit ſponte mancipium:*
*Magiſter brutorum, brutorum Diſcipulus.*
*Ecce! homo, quaſi unus ex nobis!*
*Verbo*
*Ratione utitur, ratione ut abutatur,*
*Contra naturam cogit Naturam,*
*Ipsáque, ſi poſſet, bruta*
*Perverteret perverſus.*
*Vindica igitur ſcelera:*
*Naturam ab inhumano homine,*
*Ulciſcere Auctor Naturæ.*
*Ecce!*
*Tot criminum teſtes, quot Creaturæ;*
*In Cœlum*
*Quæ ſuſpirando clamant,*
*Et hominem clamando accuſant.*
*Audior!*
*Et Authoris vocem ſine voce audio*
*Natura!*
*Aſcendit, inquit, tuus in Cœlum clamor:*
*Parantur fulmina, & lento jam jam pede*

*Feſtinat*

*Feſtinat vindicta.*
*Apoc. c. 6.* Requieſce modicum tempus,
*Dum compleatur menſura,*
*Et commenſuratam non modicè complebit pœnam*
*Juſtitia.*
*Tibi dabo fulmina, tibi tonitrua,*
*Spirabis in terra furores,*
*De Cœlo dabis terrores,*
*Laxabo frena,*
*Refrenati tam diu furoris.*
*Armabo Author Naturæ,*
*Naturam contra Naturam,*
*Quia homo*
*Armavit Naturam, contra Authorem Naturæ.*
*Tu ipſa*
*Te vindicabis Naturam, Naturæ vindicabis Authorem,*
*Quique in cunctis deliquit homo,*
*Ferietur in cunctis,*
Pugnabítque pro me orbis Terrarum
Contra inſenſatos.

FLAM-




*S. Franciſcus Xaverius, Sorbonæ Sophus, in diſputati=one de anima, errorem dedoctus, animæ pretium di=ſcit, ac docet in theatro orbis, Theſi illa: quid prodest, ſi mundum univerſum quis lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Math: 16. v. 26. ex Vita.

Gotfrid Rogg del. Ioh. Melchior Gutwein ſculps. A. V.



# FLAMMA PROMETHEI
## *Seu*
# DISCURSUS III, DE ANIMA.

LEUCOTHEUS. Quem tu Prometheum hodie, Olympo reducem? quos ignes, de ſolis rota ſubductos memoras? *MELANDER.* Fabuloſam cortinam remove: mox apparebit. Anima eſt, quam igneo tectam velamine è Cœlis Mythologi traxerant, pro more fabulantes de veritate, dum à Phæbo, luminum Parente, deducunt animæ geneſin: quaſi verò ſupra Phæbum non foret Phæbus divinior, Sol juſtitiæ, à quo nobilius Stemma, igneámque indolem anima hauſiſſet: ſcilicet, tendit *ſurſum, quia deſurſum* deſcendit à Patre luminum. Cum ejusmodi vatibus (quod Peripato dedecoroſum) fabulati ſunt quoque Philoſophi, quos inter Leucippus & Hyparchus, qui ignis mobilitate leviter moti, natales animæ, velut principium motûs, huic elemento adſcripſerant: parum certè ſubtiles, dum ſic animæ ſubtilitatem; parum nobiles, dum illius nobilitatem, ignobili ignis ſplendore, obſcurârunt potiùs, quàm illuſtrârunt. Illuſtriorem Philoſophiam, ab ignito Ignatio, Xaverius didicit, Sorbonæ Doctor: quàm pretioſa ſit iſthæc flammula, docere nemò meliùs potuit, quàm cœleſti igne inflammatus iſte Pro-

metheus: nemo utiliùs diſcere, quàm Philoſophus ille, tam facilè ſic inflammandus, ut totum orbis ambitum inflammaret: noſcis notiſſimam gnomen: *Ite, accendite omnia.*

LEUC: Superi! in quàm grandem Philoſophum Xaverius evaſit, ex diſputatione de anima? Theſi unica: *quid prodeſt*? plus didicit, quàm illum omnes docuêre Sophi: felicem Xaverij Philoſophiam, qua intellectus ſic animæ demonſtrat naturam, ut voluntas curet naturæ præſtantiam! Sed cum Diogene revertamur ad dolium: dic, quoſnam Philoſophi ſenſus de anima? MEL: Utinam ſufficerent quinque! ſed nunquam, credo, minùs unanimes, quàm cùm de anima ſentiunt. Audi paradoxa: Diogenes, vertiginem fortè paſſus in dolio, natales animæ adſcripſit *aëri*: *aquæ* Hippias, Heſiodus *terræ*. Natam *ex igne ſimul & aëre* Epicurus, *ex aqua & terra* coagulatam ſenſit Xenophanes. Heraclitus Ponticus dixit *vaporem*: Archelaus *lucem*, radiantem *ex cerebro*: Aſclepiades *diffuſam* per totum corpus. Alcmeon ſibi perſuaſit, animam eſſe *Corpus Cæleſte*, Thales *magnetem*: Critias *ſanguinem*: *Ex elementis omnibus* compoſuit illam Empedocles. Necdum finis ſapientis ſtultitiæ: Plato minimè divinus, *Harmoniam muſicam* judicavit; Bias *Intelligentiam incarceratam*: Democritus (ridete ridentem omnia!) *atomorum coagulum* dixit, quod reſpirando ſe continuò reparet. Critolao viſa eſt eſſe *quinta eſſentia* puriſſimorum ſpirituum, Poſſidio *Idea*, Meliſſæ *motus æternus*, Averroi *forma aſſiſtens*: Heraclito phyſico ſcintilla *ſtellaris eſſentiæ*. Galenus denique, in hoc puncto ſibi diſſimilis, quia Medicus ſat malè ſanus, quem tumultuario agmine non minùs inſani ſequuntur Athei, animam judicavit *temperiem quandam*, quæ ubi è qualitatibus vix reſultavit, mox videt cum lyncibus, cum apris audit, cum araneis ſentit, ſe movet cum aquilis, cum Ariſtotele diſcurrit, judicat cum Salomone. Superi! quàm hæc ſtupenda & ſtupida Sophorum deliria, quæ ſi faciliùs penetrant, quàm ſpiritualem ſubſtantiam (quo tamen clypeo ſtupiditatis unico ſe invincibiles rudunt) Ingenium gratulor, ſed quod meritò illis invideant nefrendes: nam percipe, ut ex hara, velut Peripato, ad hominem ſui ſimilem, argumentum grunniat porcus: audite Galeni aſſeclæ, Sophi irrationales! anima, ſi veſtræ fides Philoſophiæ, temperies eſt qualitatum: ſed Galeno judice, quem adoratis, temperies veſtra, ad unguem,

*Quid ſit anima.*

*Metho:* 7.

guem, noſtræ ſimillima: ergò anima veſtra noſtræ ſimillima, dicam in forma, ad veſtræ Philoſophiæ informem formam, & gloriam, *porcina.*

LEUC: Acutè dentem intorquet aper hic Calydonius: impræviſum, credo, hoc telum eſt: hinc crudius infligit vulnus, quàm ut illud ferant molles hi Adonides Veneris. Sed edicas, velim, an tam humiliter omnes de anima? MEL: minimè: altiùs illam extulêre nonnulli; ſed quia difficile eſt *ne quid nimis*; diſpari ſenſu, parem penè errorem incurrerant. Ex ſtemmate Divino, natales animæ, deducit Seneca: hinc Themiſtius *DEI ſubſtantiam* nominat: Socrates *inextinguibilem Numinis ſcintillam*: Secundus *DEUM incarnatum*: Pythagoras *pignus* vocat *affinitatis Divinæ*: Triſmegiſtus *radium Divinitatis*: Carpocrates, *particulam Divinæ mentis*: Tullius *Rem* nominat *prorſus Divinam, terrenis omnibus ſuperiorem*: Plotinus non æmulam modò, ſed & *æqualem* naturâ *Numinis Divinitati.* En radios, in quibus mirum non eſt, ſi nimius culpetur ſplendor, nam lucent in tenebris ethnicæ Antiquitatis. Veritatis oracula ſi preſsiùs conſulamus, naturam animæ exprimit Stagirita, dum illam vocat, *principium quo vivimus, ſentimus, & intelligimus*: nobilitatem hujus principij jam à principio declaravit ipſe Creator, dum illam ectipon dixit Divinæ mentis: *factam* nempe *ad imaginem & ſimilitudinem SS. Trinitatis.*

*Terent. in And:* *in qu:natur:* *in qu:Tuſcul.* *l, 1. de ani: c. 1.* *Gen. 1.*

LEUC: Parvi nunquam mihi anima fuit: tam grandis tamen theſaurus quòd corpore circumferatur, multi mecum ignoraverint hactenus. MEL: Placet candor tuus Leucothee! ſed & meus non diſpliceat velim. Ita eſt: *neſcit homo*, neſcit ſæpe & Sophus, *pretium ejus.* Dicam (non enim Amicos inter linguæ periculum) dicam, quod te ipſum ſæpe adverterit, non ſine gemitu: alit nonnunquam Peripatus, quos ſanè deceat, multum, plus, plurimum à peritioribus Ethnicis diſcere. Nil vilius animâ, toties quoties pro lenticula venalis proſtat: inter bona propemodum derelicta, primò eſt occupantis: non ratiocinantur de illa ùt Sophi, ſed grunniunt ùt Epicuri, levíque aëre leviùs, Braſilicos inter fumos, illam exſufflant, peſſimi trapezitæ, dum margaritam tam leviter projiciunt ante porcos. Utinam ſaperent, & Sapientum albo cùm nomen ſuum inſcripſerint, Sapientum oracula ſæpe conſulerent! Quærant Philoſophos,

*Job. 28. v. 13.*

phos, quos doctoratûs laureâ Cœlum jam coronavit, & dicent Chryſoſtomi, animam eſſe *hæreditatem Divinam*: Cyrilli, *opus inter opera DEI excellentiſſimum*: Gregorij, *ſanctuarium Divinitatis*: Hilarij, *ſpeculum perfectionum DEI*: Pauli, *Regnum DEI, cujus pulchritudine captus ipſe DEUS, non dedignatur pro ſuo id ſeligere habitaculo*, Teſte S. Bernardo: Auguſtini illam vocabunt, *Divinæ miraculum Omnipotentiæ*. Quærant Xaverios, quibus anguſta ſunt mundi ſpatia, ut in altero quoque mundo animas quærant: quos non retardat mare periculis, terra monſtris, Cœlum injurijs, utut nimbos crucibus, fulminibúſque mixtos depluat immitis Jupiter. Ignatios conſulant, qui pedem, olympo jamjam inſertum, denuò retrahunt, ut cum æterno ſui periculo, huic periculo animam ſubtrahant. Quærant ſexcentos alios, quorum Zelo, nec ipſum Cœlum metas ponere potuit; quærant & diſcant facere pro anima propria, quod alij facere non dubitârunt pro aliena. Quòd ſi minùs Sapientibus credunt, Incarnatam Sapientiam conſulant: reponet Mellifluus: *& dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura*, in animæ emolumentum: dixit theſaurum abſconditum, ſic æſtimavit: fecit centum miracula, ſic indagavit: tulit crucem, vitam dedit & ſanguinem, ſic amavit. Quærant & *intelligant ſe Chriſti ſanguine redemptos: nolintque amplius ſe exhibere venales.*

*S. Bern: de dilig: DEO.* *S. Auguſt:*

LEUC: Ita eſt: cur enim tam pretioſi ſuo Authori, tam ſibi reddantur viles? paradoxum adeò hiſteron proteron, in Philoſopho mirari poſſum, non capere. MEL: Me quoque incuria tanta ſuſpendit attonitum: caperem, ſi Peripatus noſter metempſychoſi ſubſcriberet, cujus delirijs actus Pythagoras animam dixit non ſuam, ſed alienam, commodatam ſolummodo, non donatam: hinc apud Naſonem; *Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ*. Qua veſaniâ abreptus quoque Empedocles, Piſcem (aſellum crediderim marinum) fuiſſe ſe quondam, fidenter adeò credidit, ut Pythagorico more, ſummo ſibi piaculo duceret, veſci quocunque vivente, ne ſimul cum carnibus avos, & proavos devoraret. Caperem, ſi plures homini animas noſtra adſtrueret Philoſophia, quarum unam cum Manichæis, quia malam, inferno: alteram, quia bonam, Cœlo poſſent transſcribere: vel quod Galeni fuit per-

*Quotuplex.* *Ovid: l. ult: metam:*

verſum

verſum dogma, quarum unâ in hepate perditâ, reſtaret altera; hac ex corde ad Inferos detrusâ, in cerebro tertia tandem ſapere poſſet, & errorem, bis malè commiſſum, meliore fato corrigere. Sed neſcit inſana ejuſmodi ſcita Peripatus ſanior: anima, quam habes Philoſophe, tua eſt, & quidem unicè tua, quia unica: cur ergò, quod tuum eſt, negligis? bona curas fortunæ, quia tua: utut tua non ſint, quia ùt ſua brevì mors auferet. En quàm præpoſtera ſit tua ſollicitudo! Curas ùt tua, quæ non ſunt tua, & tua negligis, ùt aliena. Nunquid quod Balaamo Arcas, hoc tibi tua, jure, oggereret anima. *Quid feci tibi? cur me percutis*? cur me vulneras, plùs quàm tertiò tot peccatis? cur me occidis? nónne anima tua ſum? & utinam *animal* eſſem! fors animam Arcadis ſi circumferres, tractares mitiùs, certè non poſſes crudeliùs. Hæc illa: quibus, quod ſuperaddam, non ſuppetit, niſi quod anima quoque ſit *unica*: Superi! quæ unica, unicè chara, quia rara, præter animam: æſtimantur quoque viliſſima, quando unica: ſola anima vileſcit, utut nobiliſſima, ſimul & unica. *Quam dabit homo commutationem pro anima?* hanc certè ſolam ſi perdat, dicere poteſt: *amici, perdidimus omnia.*

*Num:22 v: 30.*

*Math. 16.*

*Proprietates.*

LEUC: Verum nempe, quod dixeras: *neſcit homo pretium ejus.* Id ſolummodo mirum, quòd & Philoſophi poſſint ignorare tam nobile ſtemma, excelſos adeò animæ ſpiritualis natales: fuêre, nî fallor, qui ad rerum materialium ignobile chaos illam detruſerant, ſat nobiles fore ſe rati, ſi cum brutis, quæ vitâ non ſuperarent, æqualia in mundo ſubſellia occuparent. MEL: Fuêre, ſed Philoſophi non fuêre, niſi nomine tenus: ſi enim vel ſupra canem Æſopicum ſapiîſſent, radicem cognoviſſent è fructibus, ex operationibus animam ſpiritualem. Nunquid enim, edicite monſtroſa Machiavelli progenies, nunquid enim, quò propiùs æmulantur operationes certò angelicas, eò recedunt longiùs ab illis, quos materiales in brutis nemo non profitetur? nunquid in ſua ſphæra Intellectus cognoſcit nunc ſingularia, nunc univerſalia, nunc finita, nunc infinita, nunc ſubſtantias, nunc accidentia, quæ omnia fugiunt armatos etiam microſcopijs oculos? nunquid quæ ratio cognoſcit objecta creata vel increata ſenſibus ſuperiora vel congrua, appetit voluntas? nunquid iſta ſuo modo tendendi eſt libera: illa univerſalis & abſtractiva:

nunquid jam comparat, jam ſe reflectit, jam judicat, jam diſcurrit: quæ omnia, materialem ſenſuum ſphæram, toto cœlo tranſcendunt & ſuperant. Omitto levioris armaturæ ſubſidia, quæ contra Atheos, in aciem ſolet educere Philoſophia: cui iſta minùs ſufficiunt homo non eſt, niſi quem forſan Deucaleon, è duro ſilice materialem, quia ſaxeum progeneravit. Id ſolummodo velim, advertas, quisquis animam admittit ſpiritualem, admittit indiviſibilem: hæc enim proprietas illam, velut filia Matrem, conſequitur. Hinc, ſi legis, quòd decollati cujusdam vertex, quondam ſæpius ſubſultârit, ſpiritibus, velut è pyrobolo erumpentibus, id tribuendum: unde frigeſcentibus muſculis, ſic brevì dentes coiverant, ut canis auriculam, ſanguinem fortè lingentis, & fortiter ſtringerent, & pertinaciter ex illa diu hærerent. Si legis, Mexicani juvenis verticem amputatum, in hæc verba ſubitò prorupiſſe: *Ipſi me interfecerunt*, potentia motrix ſic impulerat linguam; ut verba à jamjam morituro concepta, voce intermortuâ balbutiret: niſi forſan ſimilia Divinæ mavelis adſcribere Providentiæ. *Immortalitatem* quod attinet, authore Scoto, vix reperies ſonantioris nominis Philoſophum (Epicuri hippocentauros non nomino) qui non ultrò fateatur animam aliquamdiu fatis ſuperſtitem: evincit hoc unaminis naturæ ſenſus, exigit Numinis providentia, præmiantis pro merito probos, punientis pro merito improbos. Jam ſi ſuperſtes aliquamdiu, cur non ſemper? an agentia opponeś contraria? at non habet: an defectum cauſæ allegas? conſervat DEUS: an ſubjecti abſentiam? ſubjecto non indiget: an fortè defectum finis obtendis? ſed intellectiones ſi admittis poſt Fata, finem jam admiſiſti: utut accuratiùs hæc ponderanda Philoſophicæ trutinæ, & eruditis Sophorum circulis, reſervemus.

*Tylkowski de anima.*

*Acoſta l. 5. hiſt. c. 14.*

LEUC: Conteſtata adeò veritas, de animæ prærogativis, hoſtem habere nequit in Chriſtiano Peripato: non niſi Stoici ſunt, & Epicuri de grege Onocrótali, qui oppoſitum rudunt, novóque crudelitatis prodigio animam ſecant in partes. MEL: Ità eſt: unanimi calculo probant hanc veritatem Philoſophi, & utinam vitâ non reprobent! animam indiviſibilem aſſerunt: cur ergo toties cum corde dividunt creaturam inter & Creatorem? Immortalem eſſe demonſtrant, & tamen, voluptatis momentaneæ toxico, perſæpe enecant, ut Cœlo mortua, inter cruciatus

æternos vivere cogatur æterna. Spiritualem affirmant, & infra materialium ſordes detrudunt hocCœli delicium. Superi! quale ſpectaculum, Amphitheatro Neronis digniſſimum! Dominatur corpus, penè dixiſſem, porcus, & anima ancillatur: carnalis beſtia in triumphum ducit, delapſum cœlo ſpiritum: nobilitate, terrena cuncta, tranſgreditur anima, divino alenda nectare, angelorum conſortijs digna, inter creaturas Regina, ſublime meretur in aura ætherea ſolium: & ecce! in terris exul damnatur ad beſtias: in voluptatum cœno volutatur, porcorum inſtar, Augiæ ſtabulum purgare cogitur, miniſtra ſenſuum, corporis mancipium, brutorum ludibrium. Quàm vilis ô ſophe, tua tibi facta eſt anima! Spiritualis hujus theſauri pretium ſi ignoras, in unum collige ſolis aureum jubar, lunæ argenteum pallorem, ſiderum rutilos ſplendores: collige, quidquid magnitudine viſendum, pulchritudine ſtupendum offerunt immenſa cœli aſpectabilis atria, reponet Angelicus: *majus pretium eſſe unius animæ, quàm corporum innumerabilium.* In cumulum congere coronas & ſceptra, Occidentis totius theſauros, Dalmatici auri montes, maris Erithræi gemmas; congere quidquid pretioſum ſuis in viſceribus alit hic mundus, & judicium aureum feret Chryſoſtomus: *nullius rei pretium, cum anima conferendum: nec totum quidem mundum.* Denique oculis propone univerſi hujus immenſam propemodum gloriam, regna, imperia, honores, divitias & voluptates: mox aderit licitator ſtygius, *hæc omnia tibi dabo, exclamans*, ſolam animam redde, habebis hæc & plura, ſi cupias. Prô pudor! hoſtis, noſtri aliàs contemptor, tanti tamen animam æſtimat! offert omnia nundinator avarus, & *Ezech. c. 13.* quàm multi pro nihilo vendunt animam prodigi, *propter pugillum hordei;* propter lenticulam momentaneæ voluptatis.

LEUC: Hæc phreneſis, vel potius furiæ ſunt Juventutis, quos utinam cum Ulyſſe ſolumodo fingerent! Spes foret melioris ſpei cum tempore: ſed malo huic afferre lacrymas, medelam non poſſumus. Hinc precor, me paucis quoque edoceas, quid Philoſopho ſint animæ facultates? MEL: de præcipuis, nĩ fallor, notitiam poſtulas, quas trito jam nomine Voluntatis, Intellectûs, atque Memoriæ deſignamus. Has potentias illi, *Memoria.* qui ſacramentum dixêre Angelico, in ſuis principijs bene, in noſtris verò non niſi gratìs diſtinguunt ab anima. De memoria

ria quid dicam? Myſterium hoc naturæ tam magnum eſt, támque reconditum, ut extra ſe propemodum raptus, Philoſophorum Phænix Auguſtinus, in hæc verba proruperit: *Magna vis eſt memoriæ: neſcio, quod horrendum DEUS meus! profunda & infinita multiplicitas, & hoc animus eſt, & hoc ipſe ſum.* De illius natura & indole hoc unum novimus, quòd teſte Damaſceno, ſit *promptuarium animæ*, quo diverſiſſimas recipit ſpecies, receptas retinet, retentas ad obſequia, & functiones animæ fideliter reddit. De artificio divinamus multa, miramur plurima, ſcimus propemodum nihil. Ingredere cum Auguſtino *ingentem memoriæ Aulam,* in aula mirare innumerabiles receſſus, in receſſibus infinita propemodum penetralia, quibus, veluti totidem repoſitorijs, miniſterio ſenſuum, tot rerum imagines reconduntur. DEUM immortalem! quale prodigium, niſi foret vulgare? impero, & ad nutum proſiliunt famulæ ſpecies ſine motu: hæ ſegniùs, promptiùs illæ imperium audiunt ſine ſenſu: nunc catervatim ſine lege, nunc ſe ſe ſiſtunt imperturbato ordine ſine duce: jam vagantur per cerebrum, ſed ſine ſtrepitu, jam ordines turbant, ſed ſine tumultu. In obſcurâ veluti camerâ repræſentant præterita, cùm ſint præſentes: res magnas, dum magnitudine careant; immenſas, cùm tamen mole deſtituantur: quæ audivimus, repetunt ſine voce, quæ vidimus, monſtrant ſine luce: ſine luxu convivia exhibent, bella ſine ſumptu, ſine faſtu triumphos. In hac memoriæ ſpecula, quos vidi, video colores, & diſcerno in tenebris: clamores Stentoreos in ſilentio arbitror: lecta relego ſine libris, dicta repeto, quieſcente linguâ: nunc advoco abſentes amicos, & mox ùt præſentes ſe ſiſtunt: nunc reſuſcito mortuos, mox adſunt ùt vivi: illos intueor ſine oculis: alloquor ſine voce: ſine auribus audio: ſine manibus contrecto, minimè ſolus, vel cùm maximè ſolus. Illud intra mira ſtupendum, quòd in memoriæ ſpeculo idem ipſe mihimet ipſi occurram: repeto ſine actione, quæ egi: loquor ſine locutione, quæ dixi: lætitiæ meæ memini, quin ſim lætus: triſtitiæ recordor, quin ſim triſtis: imò lætus triſtitiam, triſtis ſæpe volvo lætitiam: ſine timore timorem recolo, ſine cupiditate ſum meæ memor cupiditatis. Illud denique inter ſtupenda miraculum, quòd non tantùm memoriæ, ſed & non memoriæ memoriam habeam, ipſius puta oblivionis: adeſt cùm abeſt memoria, in ſua

*l.10.Confeſſ.c.17.*

*l.1.c.8. & ſeq.*

præſens

præſens abſentia, abſens in ſua præſentia: quid dicam? an non erit in mea memoria illud, cujus ſum memor? abſurdum: quòd ſi oblivio in memoria, privationem memoriæ in mea habebo memoria, hunc in finem, ne priver memoriâ, & obliviſcar: abſurdum abſurdo maius. Si oblivionem adeſſe dicam in imagine ſui vicaria, quæ cognoſcatur: ergo adfuit ipſa oblivio, quæ velut prototypon imaginem ſui impreſſit. At quomodo? metas humani ingenij, quas hìc terminat ingeniorum omnium meta Auguſtinus, nefas eſt tranſgredi. Cum hoc Sancto Doctore exclamo: *quis* myſterium hoc *indagabit? ego certè Domine laboro hìc, & laboro in me ipſo factus ſum mihi terra difficultatis.* *l. c.c.16.*

LEUC: Davo ſimpliciorem me ſentio, cùm de memoria diſſerit Oedypus Hipponenſis, tam paradoxa hactenus me audiîſſe non memini; nempe ubi rudes exiſtimant ſcirpum, Docti nodos reperiunt. Myſterium, credo, non abſimile continet excitatio ſpecierum, quam quidem experior, ſed quæ tyronis eſt infelicitas, ipſam non capio experientiam. *Excitatio ſpecier:* MEL: Non ſolus es: ſunt quos Peripatus inter Primates emeritos collocat, qui arcani hujus incertos ſeſe publicè profitentur. Quæ veri ſimiliora, ſtrictiùs proſequor. Cerebri penetralia unà mecum animo ſubi, erunt nonnulli, qui innumeras mox tibi cellulas, Anatomica clave, aperient, diſtributos in cellulis monſtrabunt ſpiritus, quibus veluti totidem veredarijs, vicariæ rerum imagines, inſident. *Haunold:* Omnes exſpectant imperium: fac frena laxes, quæ inijcit viſcoſa humiditas, & ad nutum proſilient paratæ. Alij tenuiſſima cerebri filamenta detegent: quibus ramorum inſtar extenſis, veluti totidem folia, annectunt ſpiritus, ſpecierum bajulos: & iſti pruriunt ad ſaltum, ſi frigoris gluten reſolvat calor, mox avolabunt. *Burgundi,* Alij, quibus ſpirituum nativa levitas, vagáque indoles minùs videtur congruere, cum ordinata, conſtanti, nec raro diuturna, quam experimur, reminiſcentia, ſpecierum caſtra metantur in cerebello, quæ pars, quia ſicca magìs & dura, aptiùs imagines retinet, uſque dum è ſuis tentorijs, juxta ſignatos ordines, ab anima evocentur. Alijs via media præplacet, ſic uni ſeſe ſententiæ commodant, ut alteram non derelinquant: ſpiritibus, veluti ſenſuum internuntijs, rerum imagines tribuunt; hæ ubi ad phantaſiam delatæ, conſimiles ablegant ad cerebrum, ibidem, ùt in arma-

 rio,

rio, ſtabiliter hæſura, uſque dum ab ijſdem ſpiritibus, alíisve cauſis, in debito ordine excitentur. Hæc illi, vel ideo beati, quia medium tenent, cunctáque facilè experimenta dilucidant.

LEUC: Orexin curioſo moves Philoſopho: appetens appeto ſcire, quæ toties fruſtrà in me experior. Patere, ſcrupulos tibi meos aperiam: quos ſine Jovis Olympici dyphtera ſolves, atque abſolves. Et imprimis quidem, quid cauſæ ſubeſt, quòd nunc iſta, nunc illa in memoriam veniant? quòd ſæpe, cujus nolo, ſim memor, cujus volo, ſim immemor? MEL: Animum adverte, & evaneſcent, ſi quæ ſunt hujus dubij tenebræ. Plenam memoriæ indifferentiam determinant Ideæ, quas Peripatus nominat, intentionales: his anima, veluti inſtrumentis, adjuta, reminiſcitur Alcibiadis potiùs, quàm Timonis. At quis has ſpecies excitat? in promptu cauſa: Phantaſmata, per materiales ſignata imagines, à quibus, quamdiu in corpore animam circumferimus hoſpitem, ob relationem ſympaticam, ſpirituales illæ dependent, & excitantur. Verùm inſtantiùs premis: quæ cauſa ſuis è latebris ſimulacra phantaſtica provocat? enimverò non una: plures ſibi hoc negotium vendicant. Sæpe affluentes turmatim ſpiritus, ſtertentes in cerebello ſpecies, animant: hinc inſtigante naturâ, confricare occiput ſolemus, ut ſegniores ſpiritus ſtimulemus, per ſpiritus ſpecies. Plerumque calor conſtrictas frigore reſolvit: hinc febris ardore laxati, ebulliunt ſpiritus, atque ſic per diverſa phantaſmata, turbatæ pariter ſpecies, in cerebro tumultuantur. Non rarò hìc ſuum exercet imperium voluntas: nam quia ſensûs interni eſt Domina, nunc huic, nunc illi objecto applicat phantaſiam: hinc circa quæ volumus, etiam expreſsiùs verſamur. Subin DEUS has ipſe motor imagines ſuſcitat: ſubin Angeli aſſiſtentes, hinc inſpirationes bonæ à bonis, ſuggeſtiones malæ à malis. Nunc ſpecies mota, movet quoque affinem, nunc mutuo fœdere ſeſe trahunt, indole & naturâ conſimiles. Denique hoc in negotio plurimùm ſibi faceſſit negotij mentis affectio: aſſiduè ludit cum ectypis, quorum adorat archetypa: nempe, quod quis amat, hoc cogitat, nec ſicut ab oculis, ita recedit à mente, quod ſemel peſſimè faſcinavit mentem.

LEUC: Occurrit, quod Philoſophus nuper, calamiſtrato cuidam Matris Idaliæ columbo: in querelas hic effuſus, animi

mi laxabat ſinum, formarum phantaſmata cauſſatus, quibus memoriam nunquam non obturbaret tentator ſtygius. Sed agnovit eroticum ſymptoma Philoſophus: & falleris, inquit, dum in jus vocas Cacodæmonem, hìc innocentem: Tua tibi affectio dæmon eſt, quem alis in corde: hæc archimima, in umbratili memoriæ ſcenâ, repræſentare nil didicit, niſi Cyprum. In animo olida tibi ſtagnat mephytis, & miraris, quod purulenti in cerebrum ſeſe levent vapores? *de corde exeunt cogitationes*: radicem tolle, amorem eijce; eſſe non debes amans, eſſe nî velis amens. Miratus ille hanc ſibi novam philoſophiam: an ſecutus ſit, & executus, non comperi hactenus. MEL: Rectè hic equidem; non emarceſcunt hæc lolia, niſi ſtirpitùs eradicentur. Scilicet ideæ, quas tradit profani amoris philoſophia, æternæ ſunt & immutabiles; nam illas in Lunæ concavo, nunquam non contemplantur Latmij Endymiones. Et quod pejus; contra Philoſophiæ noſtræ principia agunt hæ ſpecies in virtute ſubſtantiæ, nec rarò tragicos producunt effectus: imò, quod paradoxum: per illas agunt cauſæ in diſtans: in abſentia vulnerant, & ſæpe per ſympaticam antipatiam abſentes quoque occidunt. Sed hæc ſub roſa; redeamus in orbitam.

*Mat.* 15. *v.* 19.

LEUC: Id ego edoceri jam cuperem, unde tanta non rarò memoriæ ſit differentia? ſunt, quibus cerebrum, putes, cum Batto in lapidem obduruiſſe, adeò duram ſe illis exhibet novercam natura. Sic olim Herodem, quem cognomento Sophiſtam Hiſtoriographi nominant, in ſtuporem utique, rapuit filius adeò ſtupidus, ut viginti quatuor Græci alphabeti litterulas, nullo labore caperet, uſque dum, conſtitutis tandem ephebulis, quos totidem characteres diſtinxerant, per continuam longiſſimi temporis aſſuetudinem, naturæ duritiem ſuperâſſet. Quid? quod & Nationes integras, quas inter etiam Thracia, tam hebeti memoriâ perhibent, ut citiùs lapidem cavet gutta, quàm illis, obſtinatum in ſua duritia, cerebrum emolliatur. Contrà alios memoria beat tam felix, ut humanam propemodum fidem res ſuperet. Certè à te ipſo percepiſſe me memini, Senecam nunc bis centum hexametra, nunc duo nominum millia, auditu unico percepta, non ſolùm hæſitatione nulla, ſed etiam ordine retrogrado, memoriter reddidiſſe. Midritatem, duabus ſupra viginti Nationibus imperantem, ſingularum linguis ita locutum

*Areſius l.* 6. *impreſ.* 178.

*Ipſe l.* 1. *declam:*

*Plin; l.* 7. *c.* 14.

 ferunt

*Muretus l.3. Var: lecti:* ferunt, ac ſi omnes cum unius Matris lacte ſuxiſſet. Obſtupuit quoque Padua, cùm triginta ſex nominum millia, eodem quo hauſerat ordine, à Juvene repetita, & quidem nullo errore perciperet. Nec inter hebetes numerandus Joannes ille Palæſtinus, qui univerſa ſacræ Scripturæ volumina, eâ fuit memoriâ complexus, ut quibuſcunque verbis filum porrigeres, id linguâ nunquam fallente, ad uſque exitum proſequeretur. Sed & memoria Cyri neutiquam oblivione delenda: nam tanta fuit, ut è ſuo exercitu, qui ſexies centena militum millia complectebatur, quemvis non tantùm nomine, ſed & cognomine proprio compellaret. Ulteriùs progreſſum memorant Lucium Scipionem, qui ſingulos cives, quorum myriades plurimas tunc numeraverat Roma, onomaſtico non ſemel titulo ſalutârit. Illud denique miraculo proximum, Charmidem, ſidus quondam in Græcia magnitudinis primæ, quæcunque auribus hauſit, felicitate prorſus imperturbabili, è memoria, velut patente è pagina, mox recitâſſe: imò, quoſcunque libros legendo decurrerat, memoriâ mox tenuiſſe, helluonem bibliorum, & bibliothecarum voraginem propemodum infinitam: & hæc ſunt, quæ de felicitate memoriæ, poſterorum memoriæ Veteres commendârunt.

*Euſeb: Cæſari.*

*Plin: l. c.*

*Idem l. c.*

*Idem l. c.*

MEL: Tua probatur hæc eruditio: Cæterùm dixiſti multa, non multum: paucis habe problematis deciſionem. Sunt, quibus cerebellum & ſiccum eſt & exſuccum; quibus aridi torpeſcunt ſpiritus, ſpiſſæque caput ubique perforant ariſtæ: hinc navigant in ſicco ſemper, nec niſi invitâ Minervâ ſtramineam fruſtrà memoriam flagellant. Thracum verò durities ex eo originem trahit, ſi Conimbricenſibus fides, quod ſoli Cœlíque natura, ſiderúmque influxus qualitates memoriæ inimicas, jugiter imprimant: unde Thebanos quoque ingenio obtuſo & pingui, Athenienſes perſpicaci atque acuto fuiſſe, Author eſt Oratorum Princeps: eò quod Thebas craſſus, Athenas rarus ſubtilíſque aër ſolitus ſit animare. Contrà ſunt, quibus viſcoſa cerebri indoles, quibus ſpiritus humidi, aptíque ad recipiendam, ceræ inſtar, quamvis imaginem: & hi prodigioſa non rarò memoriâ excellunt. Id tamen de humiditate velim advertas, quòd ſicut memoriæ promptæ eſt genitrix, ita, ſi nimia, oblivionis quoque ſit Mater: nam, aquæ inſtar, facilè ideas omnes admittit,

*lib. de divinat:*

ſed

ſed nec difficulter dimittit: hinc hæret aqua ſæpiſſime, fidémque, quam citò dedit, citiùs rumpit, in ipſa fide infidelis memoria. Contrà illi, quibus duriuſculum quidem, minimè tamen in adamantem obriguit cerebrum, fideliorem cæteris memoriam experiuntur. Quippe nativa ſiccitas, quas obiter non recepit ideas, nec etiam deſultoria levitate repellit: hinc melancholicis diuturna memoria, qui ſicut res apprehendunt moroſiùs, ſic etiam profundiùs infigunt. Illi tamen, quibus inter ſiccum & humidum, temperata conſiſtit cerebri indoles, cum ipſa Minervâ, de memoriæ palma poſſunt contendere: nam quæ capiunt facilè, etiam retinent conſtanter: hinc eſt, cur meliori memoriâ Juvenes, minùs aptâ pueri utantur, & ſenes: nam pueros ſuperat juventus temperatâ magìs humiditate, ſenes ſiccitate libratâ magìs ad pondus: unde faciliùs his ſpecies imprimunt, illis tenaciùs impreſſas conſervant.

LEUC: Ut video, in multis experimentis, appoſitè caliginem diſcutit hæc tua phyſica: patere, ulteriùs eſſe me curioſum. Cur multis ſubitò omnia, imò cur multi ſubitò omni prorſus memoriâ excidunt? notus eſt, communi quoque parœmiâ, ad exordium docti certaminis, derepentè *mutus Hipparchion:* noti ſunt Theophraſti, qui coram populo Athenienſi peroraturi; Herodes Attici ad M. Antonium verba facturi; Heracliti Lycij, qui coram Principe Severo dicturi; noti ſunt & ipſi Demoſtenes, utut Oratorum in Græcia Principes, qui Philippum Regem, Amyntæ filium, Oratorio apparatu allocuturi, præter ſpem omnium, quaſi Letheis in undis ſubitò naufragi, hianti ore ad inſtar piſcium, obmutuêre. MEL: Oblivionis tam paradoxæ occaſio timor eſt; fugat hic ad præcordia ſpiritus, nativúmque cum ſpiritibus calorem: hinc memoriæ officina in cerebro, ſic conſtringitur ſubito frigore, ut rerum imagines penitùs aboleantur. Accedit, quod non raró ipſamet ſollicitudo, quam pro memoria gerimus, memoriam turbet, quia ſpiritus diſſipat, primarios memoriæ adminiſtros: ab horum obſequijs cùm plurimùm pendeat hæc facultas, plurimùm quoque pendet problematum erudita analyſis. Scire forſan deſideras, cur poſt libata frugali etiam Cerere prandia, ferias ſibi memoria depoſcat? cauſa latere nequit Philoſophum: vapores nempe meatus ſpirituum obſtruunt, ipsíque cum ſuo calore ſpi- *Conimbr:*

ritus ad obſequia ventriculi avocantur. Miraris, quòd illis vulnera, his verò morbi ſic hebetârint memoriæ aciem, ut Corvinus Meſſala proprij quoque nominis ſit oblitus? in promptu eſt cauſa: nam vel læditur memoriæ ſedes, vel ſpiritus, intemperie nimia turbati, avolant & conſumuntur. Cauſam indagas, cur irâ vel vino ebrij, vix quæ capiunt, capiant, adeò omnium ſeſe immemores ſentiunt, poſtquam Morpheus motos tandem potuit componere fluctus? contrà quas amor vel juventus ſemel ſpecies impreſſit, cur vix ſera ætas oblitteret, *adeóque ſervet odorem teſta diu?* ſcilicet in homine emotæ mentis, ſunt cuncta in motu, etiam ſpiritus, hinc ſpecierum præpediunt impreſſionem. In ebrijs, ſicut in ſomniantibus ſemiſopita languet memoria, hinc ſpecies, uti non niſi obiter imprimuntur, ita nec niſi evanidæ exprimuntur. Alia amori eſt indoles: non perfunctoriè is ſuos amores: ſed quia & frequentiùs de illis loquitur, & attentiùs cogitat, quid mirum? ſi inculcata toties idola non niſi ſera delere poſſit oblivio. Experta hoc Mater illa Seraphica, cujus poſtquam Divinus amor cor jaculo transfixit, non potuit non eſſe memor ſui Dilecti, ſingulis etiam vitæ ſuæ momentis: id quod propria manu teſtatum Orbi reliquit. Denique, quòd ætate provecti faciliùs in eorum memoriam redeant, quæ percepêre, ùt juvenes, quàm quæ diſcunt, ùt ſenes, in cauſa eſt, ſuperveniens cerebro cum ætate durities, hæc enim antiquas ſpecies pertinaciùs retinet, ne elabantur, recentes impedit, ne imprimantur.

LEUC: Vix ſupereſſe videri poſſet, ſive mihi, quod diſcam, ſive tibi, quod de memoria doceas. *MEL:* Ne tu tyronem te probas, de quo vulgò proverbium: *Logicus omnia.* Vel ſi tibi cum Platone nulla de novo Scientia, ſed Scientiæ nova tantùm memoria, ediſſere, cur ad voluntatis imperium nunc promptæ proſiliant ideæ, nunc tardiùs obſequantur? cur ſolùm in genere, ſæpe nulla in ſpecie ſpecies? cur non nunquam penitùs imperium detractent rebelles, vel longè aliæ, quàm citentur, erumpant? cùm tamen ad primum mentis Angelicæ nutum obſequioſa celeritate mox advolent, junctíſque veluti vocibus conclament: *adſumus?* cur non iidem & ingenioſi & bene memores, ſed ſæpe qui tenuioris memoriæ, minùs celeri & acuto ingenio polleant? cur in nonnullis imaginatione læsâ non lædatur

memo-

memoria, & viciſſim? cur denique infinita propè ſpectacula hæc nobis exhibeat facultas, quorum tamen imagines ſuppeditare noſtri ſenſus non poterant? Eja, Oedipum age, & epomidem concedemus. Sed humeros contrahis, onúsque ſolvendi rejicis in probantem. En igitur paucis: Nos inter & Angelos magnum utique diſcriminis chaos: Illorum memoria ad arbitrium nunquam non expedita: noſtra, quamdiu quidem hac aurâ fruimur, indiſſolubili nexu phantaſmati alligatur: & licèt huic in cerebello tentoria figas, ſpiritus tamen phantaſmatis & ſæpe bajuli, & ſemper ſolent eſſe motores. Hinc ſi in cerebrum penetrent, puriori excocti ſanguine, non niſi ludicra: ſi melancholico nati humore, non niſi tetrica, vel invito, phantaſmata obtrudent. Si in cerebro, nativa humiditate diſpoſito, calidiores affluant ſpiritus, ſpecies habebis ad imperium promptas: ſi in ſicco torpeſcant, experieris cunctantes: ſi in malè diſpoſito, avolent, vel corrumpantur, & ſimulacra corrumpi neceſſum eſt: unde oblivio, quam in phreneticis ſæpius admiramur. Alterum problema, quod attinet, ingenij acumen rectè ſtatuitur in *promptitudine mentis, qua facilè invenimus, quæ latent, & ſuper inventa profundè diſcurrimus.* Pendet autem hæc promptitudo ab internorum miniſterio ſenſuum, maximè à facultatis, quæ cogitationibus præſidet, expeditis obſequijs, quibus, diſcurrente intellectu, & ipſa particulariùs circa ſingula diſcurrit: jam verò cùm durities cerebri, quæ rerum idola tenaciùs retinet, facultatem hanc remoretur, colliges, nî fallor, quomodo ingenium hebetet, id ipſum quod memoriam efficit diuturnam. Ad tertium audire lubeat Conimbricenſes: etſi, horum judicio, imaginationem atque memoriam, in eodem cerebri domicilio colloces, penetrale tamen unius ſiccum, & alterius eſſe poterit humidum: unde temperamenti mutatio, quæ ſat eſt ad turbandum imaginandi officium, non continuò ſufficit ad retardandas memoriæ functiones. Ad ultimum denique, toto collo negandum & pernegandum, in memoriæ theſauris quidpiam latere reconditum, quod miniſterio ſenſuum non debeatur: novas imagines dicimus, quas noviter combinatas meliùs diceremus. Finge tibi Orbilium, aliúmve in Magiſtratu gramaticali togatum Patrem: quære, unde illi tot nomina, nulli intellectui ſat nominanda? & ad ſummum non niſi 24. litteras in medium proferet, quibus non

*Conimbr. probl. 4. de mem.*

*Probl. 13*

non unum, ſed novos novóſque conſarcinet Calepinos. Euclidem, notum in Matheſi oraculum, conſule, & è 10. cifris innumeros tibi numeros combinabit. Orphei cytharam explora, & videbis è ſeptem Muſicæ elementis harmoniam conſurgere diſſonam, non tot quin ſæpius variatam: cur ergo memoria dirigere Protogenem nequeat, vel Apellem, ut è diverſis vultûs humani partibus, ſed alio, alióque modo vel proportione diſpoſitis, effingat infinities diverſa hominum ectypa, quorum nullum hauſiſſe ſenſibus etiam per Jovem lapidem jurabit? hæc nempe ſunt naturæ miracula, quæ experiri, conceſſum eſt omnibus, comprehendere, ne quidem Sophis.

*Intellectus.* LEUC: Crediderim enimverò, in memoriæ adytis ſupereſſe plura, quæ curioſam ſui memoriam poſcerent: ſed hoc modo de memoria ſic diſcurremus, ut intellectûs penitùs obliviſcamur. *MEL:* Rectè mones, quod memoriæ dedimus nimium, facultatibus reliquis detrahemus. Intellectu caret, qui in illo non intelligit intellectûs Authorem; vix enim alibi ſuam magìs potentiam oſtendit Numen, quàm in iſta potentia. Hæc Philoſopho dicitur facultas, qua cognoſcimus omnia, quæ quidem veritatis ſphæra, nobis objicit percipienda. *3. de ani. c. 5.* Hoc ergo paradoxum hujus potentiæ fatum, tam multa quòd intelligat, & ſe ipſam ignoret. In alienis rebus ad inſtar Argi eſt oculata, cæca in ſuis: foris erudita, intùs ignara, extra ſe ubique præſens, intra ſe abſens: nôſſet, credo, ſe ipſam, ſi à ſe abeſſet, & idcircò ſe ipſam non videt, quia ſibi eſt præſens. Superi! quanta facultati huic facultas! cernit præſentia, inſpicit futura, cognoſcit diſſita, attingit ſublimia, penetrat ſubtilia, ſcrutatur profunda, diſcernit bonum à malo, verum à falſo: non conſtringitur vinculis, carceribus non cohibetur, ferreos vectes, clausáſque portas pro libitu penetrat, & ubi in tenebris putas ſqualentem, ipſa, extra ſe ipſam, per Mundi patentis ſpatia ſpatiatur. Celeritas quoque illi eſt ſumma: momento in Cœlum avolat, & diſcurrit cum Angelis, momento ad terram revertitur, & ſylvas incolit: nunc aquam, nunc aërem, nunc ignem petit, omnium elementorum incola: ſed dum igni ſe immiſcet, non aduritur, dum Oceanum intrat, non demergitur, dum aërem viſitat, non humectatur. Plus dico, poteſt tenebras ingredi, quin obſcuretur, penetrare nihilum, quin confundatur: meditari tempora, quin

fluat

fluat cum annis, conſequi motum, quin moveatur. Illud præprimis admiratione digniſſimum, quòd ſi fortè nubila ſint tibi tempora, nullóſque numerès amicos, mens ſola, ſibi ſoli ſufficiat: in ſe ipſo concilium convocat Intellectus, quot cogitationes, tot numerat Achates intimos: cum his, in cordis conclavi deliberat, diſcurrit, ſtratagemata ſtruit, & deſtruit, machinas hoſtiles explodit ſine fragore, bella debellat ſine cruore, ſine obice parat victorias: verbo, ſine proditionis periculo ſubornat omnia, niſi ipſe ſit ſibi periculum, ſéque ultrò ſibi velit eripere proditor ſimul, & inimicus.

LEUC: Grandis Hercle prærogativa, quam Superis æmulam poſſidet Intellectus! uſi hoc fuerint, in ſuum & Univerſi totius emolumentum Salomones, Auguſtini, Stagiritæ, & alij, quos ingenij acie Aquilas, fœcunditate Phœnices, præſtantiæ gloriâ velut Semideos, erectis propemodum aris, adorat Poſteritas. *MEL:* Deſuêre nunquam Divina Orbi Ingenia, quæ, de natalium ſplendore, cum ipſa Pallade certarent. Luſtra, ſi lubet, prodigioſos, quos nullo non tempore edidêre, partus, & obſtupeſces Naturæ miracula, non æquata modò, ſed ſuperata. Quid linguarum varietate divinius? ſecreta animi pandimus, quæ licèt aure percipias, niſi velim, nunquam percipies. Idem vocabulum plurifariàm, imò è pauculis litteris, infinita formamus vocabula: & quis ad tam arctam epitomen, diſcurſus omnes novit contrahere? Intellectus. Quòd ſi, naturæ vitiô, lingua denegaret officium, defectum ſupplet Orthographia: ponit hæc linguam in manibus, ut loquamur per calamos, per epiſtolas alloquamur abſentes. Et ſi ingenio gloriam fortè Fata invideant, *victura meis mandantur nomina chartis:* & quis iſta adinvenit ſubſidia? Intellectus. *Tibull.* Quòd ſi Orthographicus labor deterreat, adeſt Typographia, cujus beneficio plus una dies, quàm annuus labor, Amanuenſis minimè otioſi, edere poteſt in lucem: & quis divina invenit hæc adminicula? utique Intellectus. *Volateran. l. 35. Philolog.* Sileo tot ingenij decora, quot orbis exhibet volumina: effecit his Intellectus, ut etiam mortales, immortalitatem Superis, ampliùs non inviderent: ſcilicet *Ars longum Scriptori prorogat ævum.* *Horat.* Per libros vivunt etiam mortui, quia nobiſcum loquuntur, ùt vivi: auſcultamus illos ſilentes, abſentes conſulimus, & nunquam meliùs diſcimus, quàm ubi cineres docent, & de rebus diſcurrunt

Umbræ. Per libros elapſa tempora revocamus, & Majorum heroicos auſus in abſentia admiramur præſentes. Quæ memoriam fugiunt, è fuga ephemerides retrahunt, & fruſtrà jam atterit ætas, quæ ipſam atteri non ſinunt ætatem. Id tamen unicum addo, hanc ingenij gloriam, niſi virtute, veluti lumine gloriæ, elevetur, vanitatis fumo fore obnoxiam, & nunquam magìs mortalem, quàm cùm inaniter gloriatur ſe immortalem. Senſit hoc Chryſippus, qui ſeptuaginta; Ariſtarchus, qui mille commentarios exaravit, quos omnes abſumpſit flamma, ut ſaltem illuſtriùs perirent. Senſit Dionyſius, in grammaticali Republica emeritus dudum Patricius, quem ultra tria millia quingentos; Triſmegiſtus Sudra, quem ſupra quingentos viginti quinque, ſex & triginta librorum millia, manu propria exarâſſe ferunt, quorum omnium ne quidem littera eſt ſuperſtes. Senſit Conſtantinopolis, cujus Bibliotheca viginti librorum millibus celebris, unà cum Draconis ilio, viginti pedes longo, & Homeri Iliade, aureis litteris exaratâ, uno incendio periît, vel ipſo fumo demonſtrans, quàm inutiles ſint Hominum curæ, quantúmque ſit in rebus inane. Senſit denique Alexandria, ubi Ptolomæus Philadelphus Bibliothecam, collectis erudito ex Orbe undique biblijs, inſtruxit, quam tamen & ipſam devoravit Vulcanus, nequicquam inde doctior factus, niſi quòd Intellectui hoc acclamaret Satyricon: *exitus eſt Studij parva favilla tui.* Rationem facti tam lamentabilis non injuſtam juſtus Lypſius aſſignat, dum hanc Bibliothecam *non in uſum tantùm, ſed ambitionem, nominisque ſplendorem*, erectam aſſerit. Hinc vanitatem humanæ mentis deplorans, denique exclamat: *periêre voluminum ſeptuaginta millia: O Theſaurum! ſed in re æterna non æternum.*

*Ovid. l. 5. triſt.*

*De Bibliothec. c. 1. 2.*

LEUC: Si minùs in libris, in artibus ſaltem immortalem aſſequitur gloriam Intellectus, dum non modò illas invénit, ſed inventas ad eum perfectionis apicem perpolivit, ut Momus ipſe non haberet, quod carperet. *MEL:* Ita eſt: in teſtes adduci poſſent præprimis Muſica, Pictoria, Matheſis, centúmque aliæ, quarum prodigia, Magiæ artificiali, meliùs reſervamus. Nunc *ne quid nimis*, delibo paucula de Voluntate. Magnum & iſta eſt Naturæ myſterium. Solam ſe novit ipſa, quid velit libera; nam ſua ſervat ſecreta ſibi: imò nec ipſa totam ſe novit; ſolus totam agnoſcit, qui totam condidit: ſed dum voluntatem intelligit, liberta-

*Voluntas.*

bertatem non lædit: ita agit ſupremum Dominum, ut voluntas ſuo dominio non ſpolietur: Dominus & Domina agunt actione communi, uterque movet, & movetur: uterque primus eſt, uterque ſecundus: uterque prior eſt, neuter poſterior: liberrimè voluntas amplectitur, quod decorum, liberrimè refugit, quod putat noxium. Et illud præcipuè mirum, quòd in hoc Providentiæ ordine, diviſum non habeat cum Jove Imperium: flecti poteſt, cogi non poteſt: inclinari, non frangi. Afferte vincula Nerones, non conſtringetis; cataſtas, equuleos Domitiani exerite, invitam non compelletis: rotas, acinaces ſtringite Juliani, nolentem ad vota non adigetis: ſupra humanam potentiam eſt hæc potentia; imò (DEO ſic liberè ordinante) ut ita dicam, ſupra Divinam, utut reſiſtet nunquam, reſiſtere poteſt ſingulis Cœli auxilijs, nec ipſe DEUS ſalvare poterit nolentem.

LEUC: Audacter tu iſta, & quidem ringentibus, ùt aiunt, Heterodoxis! quid putas ad iſta Ephori hæreſis Janſenianæ? *MEL:* Fremant, & infremant: illorum ſtridore mihi neutiquam dolebunt dentes: id unum aſſero, meretur vel ſua impietate hoc monſtrum, ut peculiarem illi paginam alibi conſecremus. Nunc, ne oporteat invertere clepſydram, vela contraho, hanc tibi ſtatuens diſcursûs anacephalæoſin: Anima *tua* eſt: *ſerva igitur animam*; quia *tuam*: audi, quod quondam Mellifluus: *quæſo te, ſi tam ſollicitus es, ſi nec minima negligis, ſi tam prudenter ſervas paleas tuas, etiam horreum tuum ſervare memento, imò verò ne exponas theſaurum, qui ſic ſterquilinio incubas tuo.* Dicamus igitur, quod Adrianus Martyr Tyranno, Eccleſiæ theſauros petenti: theſauri *animæ noſtræ ſunt, has perdere nullatenus volumus.* Anima *una* eſt: hinc illius jactura irreparabilis: quòd ſi igitur tentatio ingruat, ſi invitent Sirenes, ſi alliciat Mundus, dicamus, quod quondam dixit, coronâ triplici Benedictum Caput, cùm injuſtum quid peteretur à Principe: *duas animas ſi haberem, ultrò Principi unam & libenter darem: perdere, quam ſolam habeo, nec lubet, nec licet.*

*Eccleſ. 10.* — *Ser. 7. in Pſ. 90.* — *Benedictus Pontif. XIL.*

LEUC: Bellum oraculum, tam dignum Pontifice juſto, qui dedit, quàm injuſto Principe, qui recepit. Utinam hoc ego, mihíque ſimiles, ſuis in apophthegmatis, uſurparent! in Peripato locum non haberet improperium illud: *gens abſque conſilio, & ſine prudentia.* Sed quoties Sophi minimè ſophi, dum animæ pretium ignorant, illo etiam Davo ſtupidiores, à quo gem-

*Deuter. 32.*

*In dirept: Urbis Grandſon. Eccl, 37.* mam, denarijs aliquot divenditam ferunt, quam Julius, hoc nomine ſecundus, viginti florenorum millibus comparare non modò voluit, ſed comparâſſe etiam lucro appoſuit. *MEL:* Rectè aſſeris: Philoſophus non eſt, qui etſi omnia ſciat, animæ tamen ſuæ pretium neſciat: nam *Sapiens animæ ſuæ ſapiens*, juxta oraculum Sapientis. Triplicem Academiam, Philoſophis erectam, à Divina Sapientia legimus, ubi qui pretium animæ negligit, veram Sapientiam negligit, quia negligit ſalutem. Primam aperit Infernus: in hoc Lyceum *deſcendamus viventes*, ne deſcendere mortui compellamur. Et quid aliud, ærumnoſo in carcere docent, relegati hi è Cœlo Philoſophi, niſi peſſimam concluſionem, qua ex animæ finitæ jactura, infinitam; ex particulari intulêre univerſalem? quid enim prodeſt, ſi mundum univerſum lucrati, animæ paſſi ſunt detrimentum? Quin & ab ipſo mendaciorum Magiſtro licebit diſcere veritatem: quid agit Alaſtor ſtygius, imò quid non agit, ut animam agat in tranſverſum? quot non ſtruit inſidias? quot non adhibet tentationum machinamenta? nunc aperto Marte furioſos parat aſſultus: nunc ſub ovina pelle diſſimulat rapacem lupum: ſæpe malus corvus ova peſſima excoquit, libros intelligo, patre diabolo dignos: nonnunquam delicijs allicit, nec rarò divitias obtrudit: & licèt novam, hoc quæſtu, pœnam ſibi comparet nundinator improbus, non abſterretur: licèt ſuperbiæ tumore penè rumpatur, tamen nullum ſervitium abnuit, nunc ſtrygum mancipium, nunc ſagarum jumentum: ſæpe agaſo, vel Arcas: modò olidus hircus, modò ſordidus ex hara porcus: ſemper vigilans ad nocendum, ſemper rugiens ad devorandum. Hæc ille, alienam ut animam perdat: quid Philoſophus, ut animam propriam ſalvet? Superi! exclamare libet cum Salviano: *quis furor eſt hic? viles à nobis animas haberi, quas etiam diabolus putat eſſe pretioſas.* Academiam alteram erectam vides in monte Calvariæ:

*hom.2.in Symb. Apoſt: in Pſal. 102. Thom, à Braban:* *quàm pretioſus ſis ô homo, ſi forte Creatori non credis, interroga Redemptorem*, inquit S. Eucherius. Nam *Redemptorem, nemo fallit, nemo circumvenit, nemo premit, egit contractum, ſanguinem fudit pro nobis*: quibus verbis concluſionem ſubjungit Hipponenſe Oraculum: *erige te ergò ô anima, tanti vales*! Stupuêre juvenem Sophum priora ſæcula, qui, cùm ſtationes, Chriſti myſterijs ſacratas, Hieroſolymis viſitaret, in Calvariæ monte ſic exclamâſſe fertur:

*hìc*

*hìc erecta fuit ſtatera cœleſtis, ſacroſanctæ Crucis; in illa ex una parte appenſus Dei Filius, ex alterâ anima mea; tantùm hæc ponderavit, quantum Ille, & pro hac anima, data eſt vita Chriſti.* Tam pretioſum animæ lytrum, dum mens attonita ſtupet, in tanta ſubitò erupit ſuſpiria, ut cor diſrumperet, & animam, Cœlo tam pretioſam, redderet Redemptori. Denique Cœlum ſuſpice, & tibi tertiam aperient Cœlites Academiam: clamabant Catharinæ Senenſes: *ô ſi videres,* Philoſophe! *pulchritudinem animæ tuæ, fata millena & millena oppeteres, ut illam redderes ſecuram,* Nobilitatem extollerent Sancti Leones: *cognoſce,* ô Sate Sanguine Divûm! *cognoſce dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire,* Pauli Apoſtoli dicerent animam DEI filiam adoptione, jure *hæredem cœli, cohæredem Chriſti.* Sancti quoque Nili repeterent, quod olim Ottoni, gratiam offerenti: *utimur gratiâ: ſalva animam, Chriſto tam pretioſam.* Denique omnium locò Xaverij ingeminarent, *Fili miſerere animæ tuæ, placens DEO:* nam *quid prodeſt: ſi mundum Univerſum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris?* ſufficiat theſis iſta Philoſopho, quàm ſi ex tribus his Academijs non didicit, è Sophorum ſimul, & Beatorum Albo eſt expungendus. Finio diſcurſum, & epiphonematis locò tibi Panegyricon porrigo, quod D. Xaverio de Philoſophia tam ſanctè merito, Peripatus dicat & dedicat.

*Serm. 1. de Nati:*

*ad Rom. 8.*

*Eccleſ. 30.*

# OBELISCUS HONORIS
## *D. FRANCISCO XAVERIO*
## Ex diſputatione de anima
## *Melioris Philoſophiæ lauream adepto, animarum Doctori, & Zelatori ad metas Antipodum erectus.*

*Non plus ultrà*
*Viator,*
*Niſi cum Archimede in Mundo*
*Pedem ponere velis*
*Extra Mundum.*

*Siſte:*

*Siſte:*
*Nam hìc ſtitit Xaverius,*
*Unum utriusque Orbis Miraculum.*
*Peripateticus fuit,*
*Nam Orbis ambitum peragravit,*
*Optimè diſcurſivus*
*Etſi ambulârit in circulum.*
*In Occidente*
*Factus erat Philoſophus,*
*Ut in Oriente*
*Crearetur Gentium Doctor.*
*Ibi ſtuduit, ut hìc doceret,*
*Has præmiſſas ibi præmiſit,*
*Ut glorioſam hìc poneret concluſionem.*
*Verbo:*
*Ortus eſt in Occidente Diſcipulus,*
*Ut in Oriente occideret*
*Profeſſor.*
*Novum hunc Mundi Philoſophum*
*Ut Pariſij parerent,*
*Geminos dedêre Magiſtros:*
*Sorbona bonum fecit Philoſophum,*
*Ignitum Ignatius,*
*Reddidit Chriſtianum.*
*Illuſtravit illa intellectum,*
*Accendit hic voluntatem.*
*Theſi unicâ:* quid prodeſt?
*Sic impugnavit, & expugnavit*
*Novellum Doctorem veteranus Miles,*
*Ut nunquam glorioſiùs vicerit,*
*Quàm ſic victus;*
*Nunquam feliciùs ſurrexerit,*
*Quàm ſic proſtratus.*
*Nam argumento unico devictus ſemel,*
*Eodem ſemper devicit omnes.*
*Ex detrimentis collegit emolumenta,*
*Et non lucrando Mundum, lucratus eſt Mundum;*
*Unà cum animæ ſuæ*

*Et mil-*

*Et millionis integri emolumento.*
*Gratulor tibi Philoſophia;*
*A Gentibus gentilem*
*Accepit Chriſtianus Orbis:*
*Sed per Xaverium,*
*Chriſtianam reſtituit Gentili Orbi.*
*Tantus jam Dialecticæ honos,*
*Ut, quæ olim clavis Scientiarum,*
*Docente Xaverio*
*Jam ſit clavis Cælorum.*
*Quæ, gentili Philoſopho,*
*Fuit Organum vanitatis:*
*Chriſtiano Doctori,*
*Inſtrumentum ſit veritatis.*
*Felicem Philoſophiam!*
*Cujus objectum Gentiles,*
*Modus ſciendi eſt fides,*
*Finis, Converſio Gentium.*
*Xaveri!*
*Fuiſti Philoſophus, Zenone melior:*
*Philoſophando*
*Hic homines vertit in lapides;*
*Philoſophando*
*Tu lapides vertiſti in homines.*
*Fuiſti Geometra,*
*Nam immenſum non ſemel menſus es*
*Globum terraqueum:*
*Sic didiciſti currere*
*A claudicante Ignatio,*
*Ut motum perpetuum in te inventum,*
*Miraretur Orbis.*
*Fuiſti Aſtronomus:*
*Nam errare docuiſti Mercurios,*
*Saturnos, & Veneres,*
*Fixámque in Cælo*
*Obſervari juſſiſti Crucem.*
*Unum tamen, præ Scientijs omnibus,*
*Se ſibi vendicat Philoſophia.*

*Plato*
*De Natura bene, quia Divinè:*
*Tu meliùs:*
*Quia de DEO philoſophicè diſputâſti.*
*Nam per ſenſibilia Inſenſibilem,*
*Ex pluribus Dijs neceſſitatem Unius,*
*Ex terrenis æterna,*
*Ex Creaturis Creatorem*
*Feliciter demonſtrâſti.*
*Confutâſti Confutios, Popas Papæ,*
*Ponzios Fidei Symbolo*
*Subjeciſti.*
*Sophiſticam deſtruxiſti Gentilem,*
*Ut Analyticam Fidei*
*Novus Philoſophus demonſtrares.*
*Tandem*
*Poſtquam animæ vitam,*
*Quam à Philoſophia ſemel acceperat Sophus,*
*Alijs reddidiſſet non ſemel,*
*Fatis ſuccubuit,*
*Nulla mole*
*Niſi meritorum oppreſſus.*
*Nunquam mortalis creditus,*
*Niſi cùm mori viſus.*
*Redi Viator,*
*Ad Philoſophos in Occidentem,*
*Et dic,*
*In Oriente Solem luxiſſe,*
*Splendidiùs nunquam,*
*Quàm in Occaſu.*
*Philoſophiam Xaverij prædica,*
*Quam ſi multi diſcerent ſanctiùs,*
*Docerent utiliùs.*
*Lectionem ultimam Xaverij repete,*
*Qua dixit:*
*Ex epiſt. S. Xav.* Non occiderent in Oriente tot animæ,
Si in Occidente plures Philoſophi
Novo in Indijs Orbi
Orirentur.

COLOS-




*S. Franciſcus Borgias, aſpectu Corporis, in Philoſophus è Duce mutatus, mòxqꝫ ſanctioris Peripati Doctor, hanc Philoſophis ſæpe Theſin, ut ipſe aiebat, diſputandam affixit de corpore: ex nihilo factus ſum; in nihilum redactus ſum. ex Vita.*

*Ioh. Melchior Gutwein sculpsit.*

*Gottfrid Rogg del:*



# COLOSSUS MYSTICUS DANIELIS

## Seu

# DISCURSUS IV, DE CORPORE.

LEUCOTHEUS. Coloſſum proponis hodie, Rhodio ſupparem, nî fallor; de quo pariter non immeritò diceres: *etiam, dum jacet, miraculum eſt.* *MELANDER.* In Rhodio artificium, in iſto artificij Symbolum obſtupuêre quondam Ægypti Satrapæ, dum tandem Daniel, divinior Oedipus, grande myſterium, velut ex tripode, evolvit. Nam Megacoſmum hoc deſignari monſtro aſſeruit, ejúsque Imperia, per viciſſitudines varias, fatali lapide, corrutura, *quaſi in favillam*, dum ex ipſis veluti cineribus Regnum reſurgeret aliud, æternis ſæculis duraturum. Hæc Dius hic Flamen, ſpiritu prophetico entheus, à cujus mente non aberramus, ſi hoc ſymbolicum ſchema à Megacoſmo transferimus ad Microcoſmum: nam corpus humanum inter & mundum, neutiquam modica analogia. Hunc enim incolit DEUS, velut theatrum Omnipotentiæ, illud inhabitat anima velut palatium vitæ: hic Numinis templum,

illud eſt Ejuſdem Sacrarium: in iſto quatuor elementa, in illo quatuor elementis totidem reſpondent humores: in iſto ſidera, in illo ſiderum inſtar, duo fulgurant lumina: in iſto meteorologicæ impreſſiones, in illo analoga temperamentorum ſymptomata, ut adeò jure, non nemo hominem dixerit *Creaturam ultimam,* *Ex Scarlat.* *& præſtantiſſimam, eò quòd totius Mundi habeat partes, nihilque ſit in majori hoc Mundo, quod non in Homine reperiatur.*

LEUC: Intelligo affinitatem: admirabilem hanc Mundi machinam, & glorioſa ejuſdem Imperia lapis ille myſticus proſternet, ſubitóque rediget in favillam: & pari fato humani corporis Statua, per mortem, quæ peccati ſtipendium, in triſte nihilum relabetur: hinc utriusque Coloſſi ſtylobatæ, meritò hanc affigis Epigraphen: *quàm citò grande nihil!* *MEL:* Crede mihi, eſt digna hæc veritas, quam Philoſophicâ trutinâ maturiùs expendamus. Borgiam age, etiamnum Aulicæ Fortunæ Protheum, vide, vel quia oculis non fidendum, ſaltem audi, quid ille viderit in Iſabella, quam dixerat, adeò bellam, ut eſſet formæ prodigium, & naturæ miraculum: quam affirmaverat dignam, cui Diſcordiæ pomum offerrent Parides, ac veluti pulchritudinis Deæ thus adolerent Dij Principes Europæ. Miraberis in iſto Ectypo vanitatis, ſtupendam humani Corporis fabricam, & *2. de part. animal. c. 7.* ſiquidem ad Stagiritæ adagia, *in ſingulis naturæ operibus Numen ineſt*, in humano Corpore, veluti divino ſolio, illud fateberis reſplendere. Phidiam novimus, quòd præter Sculptorum morem, non ex appoſita ſyngrapha; *Phidias ſculpſit*: ſed ex artificij elegantia dignoſci voluerit, imò potuerit: nam Tertulliano ſi fides, in Jovis Olympici Statua *Phidiæ artificis manus adorabantur.* Meliori jure hoc intelligimus de Divino Artifice: Authorem ſat loquitur opus, ſine nomine ſat prodit nomen & Numen. Nec ipſi Stoici fuêre adeò ſtoici, ut corporis fabricam non ſentirent, *opus eſſe Divinæ Solertiæ.* Age enim: quid in humano corpore non neceſſarium? quid ſuperfluum? imò quid non ſtupendum vel admirandum? omnes partes artificio tanto diſpoſitæ, ut nihil ingenioſius: ita ſym̃etricè, ut nihil formoſius: ita ſapienter, ut nihil aptius fingi queat ad finem, cui pars quælibet deſtinatur. Archiatros interroga, Medicinæ Principes, Galenos, & in humano corpore dicent ſex muſculorum centurias reperiri, quorum ſinguli decem fines, univerſim ſexies millies multiplicatos numerant:

rant: dicet, corporis ſcheleton conſtare oſſibus, plùs quàm ducentis, quorum quodlibet ad quadraginta diverſos fines, uſúſque à Protoplaſte Divino eſt ordinatum, ita, ut octies mille fines, in ſolis oſſibus, ſibi præfixos, numeret Natura. Ulteriùs aſcendit Viringus, in anatomicis Argus oculatiſſimus, qui cuivis oſſiculo functiones ducentas ſupra octoginta attribuit, adeóque ſolam compagem oſſeam, ad ſcopos, quinquageſies ſexies millies diverſos, à Conditore deſtinatam aſſerit, & obſtupeſcit. *S.Gallen. de nat. & arte.* Quære Æſculapios, Machaonas, centúmque alia, Medicinæ Divina propemodum Nomina, & cum Galeno aſſeverabunt, non tantùm cuilibet parti aſſignatos ab Architecto divino certos fines, functiones & uſus, ita, ut centum millia proportionum in quovis homine reperiantur, ſed tantam inſuper in his omnibus connexionem, ut *horum, ſi quid immutes, totam repente utilitatem conſpicias labefactatam.* *Gale. de uſu part. l.1. c.1.* Quid igitur mirum, ſi hujus fabricæ, plùs quàm humanæ intuitu, etiam talpæ, in tenebris Ethnicis, palpârunt ſupremum Opificem, ſapientiſſimum Intellectum, & ùt Plato loquitur, *ἀιτιωτάτην διάνιαν, cauſantiſſimam Intelligentiam?* quid mirum, ſi Galenus Phyſiologiam ſomaticam, *perfectæ Theologiæ verum* dicat *Principium?* Quid mirum, ſi Theophraſtus hominem aſſerat *Univerſitatis Exemplar*: Plinius *Naturæ Epitomen*: Pythagoras, *rerum omnium menſuram*: Laurentius *parvum Mundum, Miraculum grande, Auguſtum DEI Templum*: Ægyptij *Miraculorum Miraculum?* *l.17. de uſu part. Citat. à Scarl. in Proœm.* Quid mirum, ſi in extruenda hominis mirabili fabrica, Tertullianus DEUM *deditum manu, ope, conſilio, ſapientiâ, imò totum* fuiſſe aſſerat *occupatum.*

LEUC: Et quem in finem hanc coacervas panegyrin? Borgiam, Aulæ Carolinæ cimelion, imitari me juſſeras: quid inde? *MEL:* Multùm ſanè: in Iſabella bellam obſtupeſce Artificis dexteram: *Ipſe fecit nos.* Sed quam priùs obiter, fixis jam oculis intuere, nam nullum ampliùs in aſpectu periculum. En! quæ priùs ſtetit pulchritudinis ectypon, modò jacet humanæ ſpeculum vanitatis: avertit jam omnium oculos, quos priùs in ſe convertit: amoris ſpiculis quæ proſtraverat alios, jam mortis ſpiculo corruit, quia lapillo ſepulchrali proſtrata, per peccatum reducta in pulverem, imò in nihilum: *tam citò grande nihil!* Evanuit jam formæ decor: in oculis elanguit vigor: impalluêre in fronte lilia, emarcuêre in genis roſæ: de Iſabella quid ſupereſt?

I 2 evani-

evanida vitæ vappa, mortis larva horribilis, putredinis ſentina, fœtoris cloaca, ſeminarium vermium, turpitudinis ſpectrum, naturæ nauſea, hominum terror, deforme ſcheleton: & tandem quid moror? cinis & nihilum. Vidit, & videndo obſtupuit metamorphoſin hanc Borgias. Necdum Philoſophus jam diſputabat de corpore, & ut ſanctiùs diſputaret, voto ſanctiſſimo ſanxit, ſic frequentare Peripatum, ut perſpectâ rerum labilium inanitate, deſereret mundum. Dictum, ratum: nam factus è Duce Philoſophus, è Philoſopho Doctor ſimul & Dux, quando Diſcipulos ad ſanctiorem Philoſophiam non modò inſtruxit verbo, ſed & duxit exemplo. Juvat Candidato huic, ad Peripatum pergenti, hoc offerre propempticon.

*Abi:*
*Sat ſtetiſti ad tumulum,*
*Ambulabis meliùs,*
*Si petes Peripatum.*
*Abi:*
*Sat hæſiſti in forma,*
*Ambulabis meliùs extra formas.*
*Partiales hactenus defendiſti,*
*Cadavericam*
*Impoſterum defendes.*
*Perge,*
*Favebit, ùt auguror, Philoſophia,*
*Quia necdum Philoſophus*
*jam ita bellè*
*Concluſiſti in forma.*
*Abi:*
*Alieni corporis ſat vidiſti*
*Interitum:*
*Jam meliorem tui procura*
*Ortum.*
*Necdum Philoſophus*
*Naturam mortis jam penetras:*
*Hinc*
*Meliori jam ſtude vitæ,*
*Ut novus Philoſophus*
*Novam habeas ex morte vitam.*

*Abi:*

*Abi:*
*Corruptionem tui ſat ſpeculatus,*
*Dicere potes putredini,*
*Melioris vitæ*
*Pater meus es tu,*
*Mater mea,*
*Vermibus.*
*En!*
*Ut necdum Philoſophus jam ponas theſin,*
*Quòd unius corruptio,*
*Alterius*
*Sit generatio.*
*Abi:*
*Ex diſputatione de Corpore*
*Jam factus es Doctor:*
*Brevì fies*
*Ex diſputatione de Anima.*
*Theſes novas ſi pones,*
*Hujus de corpore memento ſemper:*
Ex nihilo factus,
In nihilum ero brevì redactus.

LEUC: Magnum profectò, ex corporis Phyſica, profectum hauſit ſanctus iſte Philoſophus; & ego, ne fructu penitùs caream, majus mihi lumen expeterem: fac, quæſo, his diſcipuli votis ne deſis, brevémque humani corporis, dato anatomiam. MEL: Prolixa tu breviter: conabor tamen, & pro diſcurſu curioſa magìs ſeligam, & erudita. Tres eſſe humani corporis *regiones* ſacra docent Medicorum ſubſellia: *Suprema* in cerebro, rationis, ſenſúſque ſedes: *media* pectore comprehenſa, ſpiritus ac vitæ eſt domicilium: *Infima* ſub diaphragmate, naturæ nutrici deſtinatur in officinam. Regionis primæ, pars utique prima, Caput eſt, quia præcipua animæ ſedes. Os cranij apertum inſpice, & ſeſe mox offerent *meninges*, ſeu geminæ cerebri faſciæ, quarum unam à mollitie *piam*, alteram à craſſitie *duram matrem* appellant. His velatam cernes cerebri medullarem ſub-

ſtantiam, temperamento frigidam æquè ac humidam, ac in tres partes ordinatè diviſam. In his conſpicies innumeros fornices, & cavitates, quas texturâ mirabili *Choroides* veſtiunt, ſuíſque, mæandris ſexcentæ diſtinguunt venæ, atque arteriæ: videbis varias denique glandulas, pinealem præcipuè, è qua velut radice, nervorum ramuſculi in ſingulas partes corporis diſperguntur. En! cauſam, quæ Carteſio ſuaſerat, ut huic glandulæ animam, velut Prometheum Caucaſo, alligaret, ratus, quòd ad clavum ſic poſita, facilè impelleret nervos, funes veluti nauticos, & adhærentes nervis Spiritus pro libitu animaret, dimitteret nuntios, & pineali in ſolio, reciperet legatos. Felicem Philoſophum! qui quæcunque inaniter finxit ùt vera, non modò credere potuit, ſed in ſuis principijs etiam debuit.

*Carteſ. de trin:corp. dimenſ.* LEUC: Ita eſt: nam inter Carteſianæ fulcra Philoſophiæ, eſt illud quoque phantaſticum, *quòd quæ primò concipit phantaſia, hoc ipſo, res inter conditas, jam numeret natura.* Id verum forſitan, ſi conciperem, Carteſianos vortices, non niſi in Authoris gyrari cerebro, unde tantam re vera caput vertiginem. MEL: dentem preme: malè decet cenſuræ virgula Tyrones. Carteſij mentem non probo, ſed nec ingenium reprobo: ejus capiti forſan aras erigeret Philoſophia, ſi quàm ſubtiliter, tam verè docuiſſet hic Sophus. Cæterùm omni ætati magno ſemper in pretio fuerat humanum Caput, quia ingenij ſedes, & almæ ſacrarium Sapientiæ, Schola certè Platonica illud, tanquam Megacoſmi epitomen, eſt admirata: Cœlo id æquabat Antiquitas: nam Serapidi Olympum impoſuit capitis locò, utpote quod ejus ambitum parvitate ſua tranſcenderet, artificium compendio complecteretur. Celtæ deauratis Avorum calvarijs, veluti cyathis, coronabant menſas, & utinam minus ſuperſtitionis, plus ingenij ex illis hauſiſſent! Ægypti Flamines non niſi Jovi, Deorum Capiti, conſecraverant Caput, rati, quòd ſi per caput jurarent, Sacramento, mortalibus inviolabili, ſeſe obſtringerent. Sed nec mira deſunt, neque miracula, quibus in capite libri, vel potiùs in libro capitis, ſcriptam legimus æterni Numinis Providentiam. E fundamentis cùm exſurgeret Roma, *Plin. l. 28. c. 2.* effoſſum caput, recenti ſanguine etiamnum ſtillans, & incorruptum: ſanè multiplici omine. *Caput*, nî fallor, deſignaverat, Urbem, Orbis Caput futuram: *Sanguis,* tot ſanguinolenta Tyrannorum

norum Capita: *Integritas*, incorruptum Eccleſiæ Romanæ Caput, de quo ſcriptum eſt *poteſtas ejus poteſtas æterna, & Regnum ejus non corrumpetur.* Vidit purpuratum Caput, elapſo ſæculo, Gallia, cujus organa duplicata: hinc duplicatam obſtupuit Orbis ſagacitatem. Ægyptiorum capita ferunt adeò ſaxea, ut vix molarium ictibus confringantur: Indorum in Hiſpaniola adeò ferrea; ut ſtricti etiam ferri aciem hebetent: contrà Perſarum vertices tam molles aſſerunt, & imbecilles, ut levi diſſiliant calculo, & conterantur. *Dan. 7. v. 14.* *Richeli.*

LEUC: Id quoque mirum, cujus teſtem Cardanus Italiam cupit: fuit, quem oriente Phœbo, capitis quotidie dolor corriperet, continuo ad uſque meridiem augmento, à meridie decremento, veſpere dolorem denique finiente: adeóne Capiti inimicum, ſit iſtud benignum ſidus? MEL: non una hujus ſymptomatis cauſa eſt: calor præcipua, & antipathica Phœbo temperies: ſed nec minima capillus, dum parciùs, quàm par eſt, exſugit noxios humores: adeò non ad ornamentum ſolummodo, ſed etiam commodum dedit capiti pilos natura: hinc illos neutiquam pili duxêre Veteres. Primam lanuginem dedicârant Apollini, velut primitias Juventutis: ſic legimus de Nerone, quòd lanuginem, proprijs ipſe manibus, deportârit in Fanum, ut intelligeret Numen, nil lanugine ſanctius, aríſque dignius in Nerone. Proceræ arbori Cincinnos, conſecrare conſueverat Romana pubes, pignus Abſolonis fato digniſſimum. Meliùs, quia Germanæ virtuti convenientiùs, egêre Teutones, dum inituri bellum, capitis cyrrhum, igne ſacro combuſtum, offerrent Marti, cum juramento, non raſuros ſe capillitium, donec raſis hoſtium capitibus, redire poſſent victores. Hæc ſuperſtitio Gentium, à qua quantùm abludant illi, non dixerim, qui fictis muliebriter cincinnis litant quotidie Vanitati, dum contra Imperium Numinis, non Cœlo cæſariem, ſed cum Gentilibus Proſerpinæ conſecrant. *de var. c. 44.* *Capilli.* *Sueto.* *Scarlat.* *Tacit: de mor: Germ.* *Num. 7. v. 18.*

LEUC: Ut video, capilli quoque, velut animi ſymbolum, de homine, muta voce, enuntiant. MEL: ſic videtur; certè viſum eſt Græciæ Sophis, qui Juvenes, molliùs calamiſtratos, proclamabant imbelles, *colo aptiores quàm haſtæ.* Hinc Cajum Cæſarem legimus, quòd, ſi quem offenderet comptulum Ganimedem, mox forfice, quem hunc in finem ſecum ferre con- *Scarlat. de capill.* *Tranquillus in vita Caligulæ.*

re conſueverat, muliebrem raſerit capillum, aſſerens non ſine affuſo lixivio: *Odi in pueris puellas.* Hæc illi pro Gentis more. Id certum, Cæſariem in ſignum humanæ indolis, vitæque morúmque non rarò aſſumptam. Intonſa denotaverat Philiſtæis Samſones; Numini Sacratos Judæis; Ægyptijs attonſa indicaverat Augures & Sacerdotes; Romanis bello devictos, mortíque adjudicatos; ſparſa ſignaverat Antiquis luctum, conſperſa cinere, pœnitentiam. Imò & Populos hodiedum diſtinguit coma: Sinæ, utì & Thraces, attondent caput, ſed his, ex parte dextera, intortus è crinibus nodus dependet: illis ex occipite defluit crinitum ſyrma. Macæ ſic radunt capitis verticem, ut tamen, comis in orbem creſcentibus, ſe coronent. Euboicos cerneres capillitio fuſo per tergora: Abantes occiput crinitos, partem anteriorem attonſos, ne ab hoſtibus prehendi queant pugnantes: contrà Anaſes videres, promiſſis à fronte crinibus, occiput verò, Occaſionis ad inſtar calvos, ne à victoribus teneri valeant fugientes. Illud denique fatendum, capillum non modicum eſſe hominis ornamentum. Popeæ, Neronis conjugi, tanta fuiſſe legitur crinium venuſtas, ut ſingulis, ſpeciali plectro, applauderent Poëtæ: ſi qui fortè deciderent, puriſſimo incluſi auro, dicabantur Junoni: & quia æmulus Phœbo color, ſic faſcinaverat oculos, tota Roma, in comæ aureæ gratiam, veſtita flavis inceſſit. Et illud notum, quòd, cùm *gravaret* Abſolonem Cæſaries, detonſæ quot annis reliquiæ, ducentis ſiclis publicè vænirent: in quam auream appendicem, aureus interpres Petrus Chryſologus: *in impij capite non aliquam virtutum, ſed tantùm vitiorum ſarcinam Scriptura deſignat: ponderabat, inquit, capillos capitis ſui.* In quæ verba non nemo hanc paraphraſin Atticam.

*Plut. in vita Theſ.*

*Strabo*

*Infelix pondus,*
*Cujus ipſemet factum pondus,*
*Dum ponderati crines*
*Ponderârunt pendentem*
*Ex arbore.*
*Infelix coma!*
*Ex qua Parcæ non fila,*
*Sed fati duxêre funem:*
*Cujus pretium non ſerviit,*

*Niſi*

*Niſi ad naulum,*
*Quod ſolveret Charonti:*
*Sed bene pependit*
*In crine mortuus,*
*Qui ſic pependit à crine vivus.*
*Qui propter comam dum viveret,*
*Se ſupra reliquos extulit:*
*Hunc meritò coma*
*Supra cæteros evexit,*
*Dum moreretur:*
*Habet quod voluit,*
Ventoſus Princeps
Aëreum Mauſolæum.

LEUC: Nempe *per quæ quis peccat*: quid mirum, ſi vanitas vitæ in aura ſic evaneſcat? ſed ſupereſt alius de comis nodus, qui meritò Philoſophum ſuſpendat. Dari infantes canos quis facilè credat? paradoxum, quia hyems in vere: & tamen prope Atheſiam viſuntur fœminæ, ſemel tantùm puerperæ, ſi tamen puerperæ, quia ſenes potiùs pariunt, quàm infantes: nam lucem, cùm primùm aſpexit partus, canitiem induit. Sic Oroſium, Ferdinandi Cæſaris pullum, unius noctis in carcere ſquallor tam repentè mutârat, ut, ſi minùs induit Senem, ſaltem è canitie Aula colligeret, quòd exuerit juvenem. Eandem metamorphoſin cùm in affine, conjurationis reo, videret Gonzaga, Mantuæ Princeps, metu mortis defunctum, vitâ donavit. Polonia quoque tale quondam in Ratislao ſpectaculum eſt admirata: nam Parens Regius perfidiam ut caſtigaret, noctu dormientem, à quatuor larvatis, in lapicidinam, ſandapilâ efferri juſſit: altera nocte cùm relatus eſſet in thalamum, ſurrexit: ſed quantùm mutatus ab illo! nam niſi annos ætatis viginti duos noviſſet Aula, octogenario majorem jurâſſet; ita incanuit. Sed cur vagamur extra Patriæ limites? Ludovicum Bavariæ Ducem, ob conjugem malè ſuſpectam, pejùs damnatam, & demum peſſimè trucidatam, ſic ſpectris agitatum novimus, ut in ætatis flore repentè circumtulerit hyemem. Jam ego per omnem Stagiram te adjuro, quæ cauſâ Philoſopho digna, canitiem tam re-

*Solinus c. 53.*

pentinam? *MEL:* Sunt, qui uno ictu problematis nodum enodâſſe ſe autumant, ſi defectum caloris allegent, quem vehementia ſubiti metûs ſolet inducere: non aliter ac ſeneſcentes, ſenſim canitiem induunt, quia ſenſim exuunt calorem. Sed novam petit ſolutionem ſolutio: dicant enim, cur mortui non incaneſcunt, utut mors penitùs extinguat, timor mortis non niſi retrahat calorem? propiùs igitur punctum tangunt, qui præter caloris defectum, effuſionem ſubalbidi humoris obtendunt, quem in pilo latentem, ubi mœſtitia timórve vehementiùs premit, quà data porta, quærit effugium, ſícque ſubito pallore tinctum, decolorare capillum poteſt.

*S.Gallen.*

LEUC: Quis putet, quòd humor ejusmodi putridus tantum Senio decus, tantúmque promereri honorem queat? toti Mundo *venerabilis canities.* *MEL:* Imò venerabilis ſibimet ipſi: quis neſcit, quòd detecta capita poſtulet, glorioſa nive contectum Caput? teſtem ſi cupis, Ottonem conſidera, Imperij Caput. Ingens huic in mento ſilva, quæ venerabilem genis aſperſit umbram, inferiùs reſonante luco: & quod mirum, non ita in ſceptro & purpura, quàm in hoc cano vellere ſibi Cæſar complacuit, nunquam magis ſerius, quàm quando mulceret barbam, illáque omni annulo firmiùs, decreta ſtabiliret & juramenta. Nec Lacedæmon ille ſibi diſplicuit in cano ſyrmate, qui quæſitus, cur barbam promitteret, cor uſque defluam? repoſuit: *ut canos intuens capillos, nihil illis committam indignum.* Id facilè dabimus, ſylveſtre mentum eſſe fortitudinis ſymbolum: canitiem prudentiæ velamen, ſed tamen non unicum & neceſſarium. Fuêre Amazones ſine barba fortes: ipſum Apollinem, à Muſis Juvenem coli, eſt in comperto. Hinc Ducem de Domo Burbonica legimus (Heroum, imò Divûm de Sanguine Satum nomino, cùm nomino Burbonenſem) qui Seniori, mentum innocuum exprobranti, ſic quondam Laconicè: *non barbis, ſed enſibus pugnatur.* Eodem ſtylo, atque novaculâ raſit cavillatorem, qui dicenti ſententiam, oggerere auſus eſt: abſtineret à jure dicundo, dum barba recreſceret: nam ille breviter: *Amice non barbâ; ſed mente Judicium ferimus.* Denique cùm Henricus, Rex Galliæ, Legatos Venetos remitteret, ad deponendam priùs lanuginem, illorum aliquis Regi his barbam vellere: *ſi promiſſa facit Sapientem barba, quid obſtat, Barbatus poſſit, quin caper eſſe Plato.*

*Cuſpinus.* *Plutar. in l. conviv.* *Scarlat.*

LEUC:

LEUC: Cynicum dentem conjungit barbæ hic Venetus. Quid ergò de dentibus eruditi Philoſophi memorant? *MEL:* Pauca, relatu tamen digniſſima. Dentes invicti ignibus, quod mireris, cavantur pituitâ: dentes humani, toxicum quoddam alunt, hinc ex adverſo nudati, nitorem ſpeculi hebetant, & columbarum fœtus implumes necant: triplicem dentium ordinem, velut eximium fortitudinis ſignum, hiſtoriographi de Hercule referunt. *S. Gallenſ.* Illud Hippocrati eſt exploratum, quòd, qui dente multiplici prævalent, prævaleant vitâ: raritatem verò in dentibus, compendioſæ eſſe vitæ indicium. Ordinariâ naturæ lege, trigeſimum numerum vel adimplent vel ſuperant: Timarcho tamen Nicoclis filio non niſi geminum dentem, Pyrrho Epirotarum Regi non niſi unicum fuiſſe legimus. Glorioſum omen, & optimum, pueros naſci cum dentibus, peſſimum naſci fœmellas: teſtatur hoc Cneus Papirius, & Marcus Curio dentatus: uterque lucem, quam cum dentibus hauſerat, geſtorum gloriâ illuſtrârat: teſtatur hoc Ludovicus XIV. Rex Galliæ, quem natum cum heroico dente, quia acuto, etiam in juventute ſenſit, & doluit Hæreſis. Oppoſitum in fœmellis teſtatur quædam Valeria, quam, quia cum dentibus natam, exitio civitati futuram, prædixit Oraculum, nec fefellit. *S. Gallenſ.* Illud mirum, quòd ſicut in colubri cerebro gemma, in maris conchâ progerminat margarita, ita in Sileſij adoleſcentis gingiva dens quondam aureus protuberârit, ſi Nierembergio fides: & nunquid, *l.1.c.10.* ſi pluribus naſcerentur ejuſmodi dentes, plures haberemus chirurgos? Eodem teſte, dens albi Simij, Peguano Regi, Indíſque *l.9.c.41.* tanti pretij fuit, ut, poſtquam Conſtantino Luſitaniæ Proregi, cum gaza regia in prædam ceſſiſſet, trecenta coronatorum, quos vocant, millia in illius lytrum obtulerint. Imò legationem miſêre annuam, ingentibus theſauris onuſta navi, ut illius ſolumodo Sigillum, aromaticæ cuidam cretæ, auróque condítæ, liceret imprimere. Certè ejusmodi dentium meſſem ſi habuiſſet Cadmus, non projeciſſet, ſed erecto dentium monopolio, venales Indis propoſuiſſet.

LEUC: Quod Indis Simij dentes, hoc Perſis Nares ſunt aquilinæ, quibus in Cyri memoriam, non raro thus adolent, *Plutarch. in apoph.* ita ut non niſi ex adunca proboſcide humanam pulchritudinem metiantur. Et quid emunctæ naris Philoſophi de hoc membro

vel curioſius vel eruditius? *MEL*: Olfactûs propriam ſedem in membranulâ collocant, quæ utut nervulis, arteriiſque innumeris diſtincta, tenuiſſima tamen, interiores narium anfractus veſtit: hæc quò ſubtilior, magiſque à defluvijs depurata, eò aptiùs recipit, acutiùſque ſentit odores: hinc *odora Canumvis*, vulturiſque mira ſagacitas, quam ad milliaria quingenta cadaver invitat, irritamentum fœtentis gulæ. Sed & Ductor ille manipuli peregrinantis (Hamor nomine) obeſæ neutiquam naris fuerit oportet, qui ubi ubi locorum in orbe eſſet, odore ſolo diſtinxerat. Illud mirum, quod de D. Hilarione, & Philippo Nereo legimus; tam ſagax utrique erat judicium narium, ut iſte occultam quoque animæ tabem, à Venere afflatam: ille totum animæ ſtatum, vitiiſque prædominantis effluvia, odore ſolo agnoverit. Nil celare hic poterant Cyprij pulveres, nil tegere Sabæi liquores, quin conditam opobalſamo upupam, vel aromatis delinitum illicò hircum adverterent: etſi Amaracum induiſſent Adonides, totámque Hyblam in corpore circumtuliſſent, audiîſſent illud ſatyricon: *non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet.*

*Plin:* · *S, Gallenſ.* · *Drex. l. 2 c. 4. in amuſſi.* · *Brev. Rom.*

LEUC: Quod ergo Philoſophi de odoris natura, & indole judicium ferunt? *MEL:* Qualitatem ſecundam alij, alij atomorum motus in medium afferunt: lingua prodit Authores. Illud hìc obiter, velim, notes, quòd ſine corpuſculorum effluvijs natura non propaget odores. Neque dictatorium illud hìc à te exigo: *Ipſe dixit. Originem* propagationis explora, videbis, niſi affrices ſolida, niſi liquida agites, vel vi caloris in fumos reſolvas, odores rariſſimè exhalandos. *Medium* diffuſionis examina, & ſenties ſucceſſivam, nunc promoveri à Zephyro calidiùs flante, nunc impediri à Borea conſtringente, vel turbulentiùs cuncta difflante. *Finem* ipſum conſidera, odoris perceptionem, quam non niſi attractis cum aëre corpuſculis obtinebis. Sileo, quod odorifera corpora, aëreo Jovi expoſita, molis aliquid, odoris plurimum deperdant, clauſa verò in annos Neſtoris conſerventur. Hanc nucem mordent, qui mordicùs adhærent Peripato, nec ſine dolore dentium, & gingivæ.

*Boile.*

LEUC: Ignoſce, Atomiſmum olet hic odor, qui ſine atomis non propagatur. *MEL:* Ne tu naſutus es ſupra Rhinocerotem: clamas illorum clamores, qui ad cujuſvis corpuſculi nomen, mox Peripatum ruiturum proclamant. Nil hìc decido,

do, mentem meam ſi cupis, ad incudem alibi mitte ſententiam, & malleabitur. Id jam dixiſſe ſufficiat, odoris phænomena, etiam extra Peripatum, non deſtitui congrua geneſi. Moſcus Indicus non niſi in Patrocli ſellis pretioſum ſpirat odorem, propter antiperistaſin: ambræ particula, geminum luſtrum, minutis ſingulis, ſique linguâ utamur gnomonicâ, etiam ſecundis, corpuſcula quaquaverſùm exſpirat in orbitam, propter ſubtilitatem prorſus ſtupendam, qua conſtat, corpuſculum ſenſibile unicum in milliones inſenſibilium plurimos ſe ſe dividere. Hoc qui negat, fidem Authoribus denegat, qua meliorem nec dabit ipſe, nec habet. Audi Grimaldum, quem inſignis experientia teſtem facit, omni exceptione majorem; ait ille, lignum Braſilum neutiquam diminutum, etſi extracta ſint ſexagies, nonagies, quinquies millies millena corpuſcula. Sabæi odoriferis terræ halitibus ſtupefacti, ſulphuris hircinæque barbæ ſuffitu ſe recreant. Sic memorant Menalcam, fragrantiâ balſami, paſſum olim deliquium, nec niſi ſuetis Augiæ aromatis, ad hominem denuò rediiſſe. Imò nec Veris deliciæ, omni naſo deliciæ: quid amœnius roſâ? ab illius tamen odore ſic abhorruiſſe legimus Oliverium Caraffam, ut Veris tempore Româ ſecederet, armatâ cuſtodiâ ad conclave purpurati Principis excubante, ne quis hoſpitum roſam inferret, ingratiſſimam hoſpitem. Barbarigo ſenſum, Laurentio Uratislavienſi etiam vitam eripuit roſarum odor, ut proin meritò in clibano, calidis etiam lacrymis, eluerint tantum ſcelus. Id addo (quidquid ſit de natura & indole) odoris geneſin non eſſe niſi ex humido, ita tamen ut primariam ſibi filiam vindicent calor & ſiccitas, qui humido prædominantur: hinc illi, quibus temperamentum ſiccum & igneum, etiam in corpore felicem non nunquam alunt Arabiam: teſtis eſt ſtaturâ parvus, ſed magnus ille virtute Macedo, cujus corpus merum ſpiraverat cinnamomum, ut & ſudor, & veſtis interior, fragrantiam medicam retinerent: imò etiam ab exangui cadavere, diem ſeptimum incorrupto, tanta ſtillavit ſuaveolentia, ut DEUM facilè credidiſſet Antiquitas, niſi toties ſeſe hominem demonſtrâſſet. Nihil addo de corporum damnatorum fœtore, de Beatorum fragrantia: non enim ad naturam, quæ ſupra naturam. Scimus Simeonem ſtylitem, quòd vivus Seminarium vermium: mortuus officinam aromaticam

*Cromer.*

*Plut.*

*Muret. Or:* 10. repræſentârit. Illud non omittendum, cujus meminit inſignis Orator: ex Averno, mephiti Campaniæ, tam putridos eructari halitus, ut derepentè volucres enecet, etiam ſolummodo prætervolantes: talem Auernus; & qualem, putas, fœtorem dabit infernus?

*Cor.* LEUC: Faxint Superi, ne Sophorum ullus experiatur. Sed anatomicum diſcursûs filum ne interrumpas: quis Philoſopho ſenſus de Corde, corporis parte præcipua? *MEL:* Cor, Authore Philoſopho, *primum eſt in vivente, ultimum in moriente:* hinc meritò appellatur nobiliſſima animæ ſedes, domicilium vitæ, fons ſanguinis, quo deficiente, partes cæteræ deficiunt & exareſcunt. Euripi miracula continet motus ſiſtoles, atque diaſtoles, per quas, vivas veluti naturæ antlias, è perenni cordis ſcaturigine, ſanguis agitatur in circulum. Ampliorem cordis anatomiam ſi cupis, Momi feneſtram ab Animaſtica petas, oportet. Quæ curioſa magìs, ſuccinctiùs proſequor. Militem vulnere in cor accepto, diebus undecim vitam produxiſſe Jonptonus eſt author. Si Plinio fides, cor extincti ab aconito, cremari nequit: ſic cor Germani Cæſaris, medijs in flammis, Salamandræ inſtar, manſit illæſum: tantum frigus eſt toxico, ut etiam Vulcanum domare poſſit, domantem omnia. Leoni, Bucephalo, quibus animus major, cor minus dedit natura: Cervo & lepori majus dedit, quia minor eſt animus: hinc inter homines quoque, audaces in parvo pectore grandes alunt Leones: timidi in magno corde puſillos lepores, & fugitivos cervos circumferunt. In corde Ariſtomenis, viri armorum gloriâ celebris, apparuit hirta pilorum ſeges, ob nimium, reor, calorem, quod Alciato fortis animi Symbolum. Mauris inhæret perſuaſio, elephantem duplici formatum corde: quorum uno furores coquat ad bella, altero utatur ad pacem. Illud inter naturæ miracula numeres, quod de arbore Malabares teſtantur: huic pulchritudinis laude, florum copiâ, & odoris præſtantiâ laurum cedit vel ipſa Laurus; forma ſeminis refert figuram cordis, & meritò, nam eſt præſtantiſſimum cordis alexipharmacum. Hanc arborem, utut pervenuſto flore viſendam, incolæ Cupreſſi titulo, *triſtem* appellant, nam nocte floret pulcherrima, cùm primùm ſolis radio tangitur, angitur, cadítque triſtis, marcétque.

*de hom. c. 6. a. 1.* *Plin. l. 11. c. 37.* *emb. 127 Scarlat.* *S. Galenſ.*

LEUC:

LEUC: Nocti ſacram hanc arborem dixerim, cùm tamen Phœbo cor dedicaverint Antiqui. *MEL:* Dicârunt meritò, ſi per Phœbum intellexêre *Divinam Virtutem*: hæc enim poſtulat pro ſacrificijs *primogenita*, quod in homine cor eſſe diximus ex Stagirita. Victimas ſine corde odêre etiam Dij, quia excordes: & DEO Deorum placere putes? Sacrificante Cæſare hoſtia bis ſine corde inventa: quod omen, utique peſſimum, Marcello, Cajo Principi, ejuſque contigit ſucceſſori, quo etiam anno, fatali ferro, ſunt interempti. DEUS amator, & vel ideò Zelator eſt cordis humani: Intellexit hoc ille, quem religioſum olim incolam coluit eremus: hic munus DEO gratiſſimum, cùm nôſſe percuperet, à cœlo audiît ænigmaticum hoc reſponſum: *Dimidium Lunæ, Lunam, cum Principe Romæ:* *Exod. 13*

vel ut Bleſenſis

*Tolle caput Corvi, caput Oris, viſcera ceRvi:* *Dom. 15.*
*Hoc petit à nobis Dominus, qui conditor Orbis.* *poſt Pent.*

Sine Oedipo colligis, cor deſignari hoc gripho. Et tanto DEO quis deneget tantillum? cùm Gentiles legamus ad Idolorum vota tam promptos, ut ſolummodo Mexici, quod eſt Regni metropolis, annis ſingulis, viginti infantum millia trucidarent, eorúmque corda, immani barbarie evulſa, Dijs offerrent ſacrilegum in holocauſtum. Quòd ſi cor Numini offerre velis, edictum illud tibi dictum exiſtima, quod quondam Solon, Sophorum Princeps, Athenis juſſerat promulgari: *ne ſcilicet civium ullus cor ſuum unquam divideret.* Sed & illud obſerves, cor DEO dignum, hoc eſt, à mundi ſordibus mundum ut ſerves, Deum hoſpitem ſi velis. Superi! quàm multis accidit, quod quondam Nobili, Fridericum in venatione ad prandium invitanti: comparuit. Imperator; ſed conclave ſordidum ingreſſus, ajebat comiti: *en ſtabulum pro tuis canibus.* Mox Nobili cum ſupercilio: *Imperatorem invitaturus, ſi non ad divitem, certè mundam domum invitare debebas.* Denique non ſine ſtomacho abiens: *malo*, inquit, *ſub cœlo, quàm manducare ſub cœno.* *ex P. Zumſteg fol. 83.*

LEUC: Adverto parabolam. Sed prô dolor! rari natant Ignatij in hoc mundi gurgite vaſto, qui in corde Chriſtum, aureis inciſum notis, circumferunt, *MEL:* Ita eſt: clavim pro mortalium cordibus, quam DEO aſſignaverant Veteres, appli- *Nadaſi an cœl. 1. Feb.*

care

care ſi poſſes, cerneres plures, reor, in orbe Dalilas, quibus cor Cupidinis telo, quam Thereſas Seraphicas, quibus amoris Divini jaculo foret transfixum: videres ſæpiùs latere arma furoris, quàm inſtrumenta amoris, quæ in corde Claræ de monte Falco reperta legimus. Imò ſi, anatomico cultro, viſcera rimareris, cor ſæpe nullum in pectore reperies. Illius jaceret in arca, quod de Euclione prodit Italia: 1. hujus jaceret in ara, quod de Presbytero obſtupuit Roma. 2. Plurium corda in manu Veneris invenires, paucorum in latere Salvatoris, quod de Alphonſo Eſquiera, magno Societatis noſtræ Heroë, annales produnt. 3. *Nempe ubi theſaurus tuus, ibi cor tuum.* Noſtris Martinijs ſimiles, ego velim Philoſophos, 4. quibus Chriſtus in forma Parvuli, Cœlo delapſi, quondam apparuit, arcu inſtructus & pharetrâ, telóque pectus ſic vulneravit, ut è vulnere traxerit perennem vitam. Sed hiſteron proteron! adeſt Amor profanus, mox cor offertur: adeſt Amor divinus, mox cor auffertur. Quid ergò mirum? ſi multis accidat in vita caſus, 5. quo derepentè conciderat, ſanus olim Ferrariæ adoleſcens, cui vermis, in corde latens, Lacheſis locò, ſtamen vitæ arroſerat: qui vermis arte nulla, liquore nullo, niſi ab allijs cepíſque expreſſo poterat enecari. Non difficulter colligis, quem ego vermem, opiner. Quid denique mirum, ſi aliquando in morte cor Chriſti, toties vulneratum, ijſdem verbis alloquatur ingratos, quibus cor celeberrimi Martyris, in flammis illæſum, ingratitudinem exprobrâſſe Barbaris legimus: *Cur occidiſtis me, qui vos dilexi, qui vos quæſivi, qui veſtræ ſalutis causâ huc fui peregrinatus? dicite: cur occidiſtis?*

LEUC: Ex hactenus recenſitis, duo miror miracula humani cordis: primum eſt magnitudo in parvitate: nam ùt ajebas, exiguum cor eſſe debet, ut ſit magnum: ingentem virtutem ut habeat, habere debet exiguam molem, eò capaciùs, quò anguſtiùs, quæ parvitas alijs membris noceret, ea cordi prodeſt. Secundum: quod mundo impleri velit, quo nequit, quod DEO repleri nolit, quo poteſt. *MEL:* Non miraris immeritò, nam ſunt hæc duo prodigia primæ claſſis. Adeò amplum eſt cor humanum, ut etſi pars ſit, major ſuo tamen ſit toto: exilis hominis portio, toto homine grandior, particula mundi, & mundus ei votorum particula eſt: admittit omnia, nec impletur, poſt omnes theſauros adhuc avarum, poſt omnes delicias adhuc avidum,

*In vita.*

1. *Cornel. in Matth.* 6.

2. *Barri. to.* 1. *an. Sacr. c.* 8. *ad annum* 1636.

3. *Nilus myſt. p.* 1. *exhort.* 12.

4. *Engel, Dom* 12. *poſt Pent.*

5. *P. Zechent. de verme conſ. f.* 38

6. *V. P. Rochi Gonzolez. S. J.*

dum, poſt omnium bonorum copiam adhuc egenum, tunc etiam vacuum eſt, cùm eſt plenum: & quod magìs mirum, implere cùm DEUS cupit, recuſat: petit cor hominis DEUS, qui illud condidit, petit quaſi rem alienam & tamen ſuam, petit reſtitui ſibi, quod ipſe donavit, & munus credit, dum ſuum recipit: & ne recuſet homo, impreſſit cordi deſiderium ſui, & tamdiu inquietum reddit, quamdiu eo hoſpite caret, qui ſolus hoſpitium implere poteſt. En! amplitudinem cordis, æqualem amplitudini DEI. Meditabatur Auguſtinus myſterium Trinitatis, prætergreſſus naturam, eò ibat audaci cogitatione, quò homini ire non licet; irriſit Angelus puer, Auguſtinum ſenem, & foſſulam oſtendit: in quam totum Oceanum derivandum tum dixit, cùm ipſe totum intra ſe derivaverit DEUM. Agnovit errorem Auguſtinus, clauſit ingenium, cor aperuit, & totum excepit DEUM.

LEUC: Satìs de corde: cui iſta necdum ſufficiunt, excors eſt: reliqua, quæ adhuc de Corpore ſuperant, fac avidum ne celes tyronem. *MEL:* In diem craſtinum aures para & oculos, quo iſthæc animæ organa, animaſticæ forſan novaculæ, exactiùs ſubijciemus. Strictim modò reliquias de corpore colligam. Non adeò ignobilis manus eſt, ut illâ palpare nequeas dexteram Omnipotentis. Imò ipſis digitis, digitus Conditoris demonſtrari poteſt, & *dicier: hic eſt.* Manus certè Artium omnium ſi non Magiſtram, Miniſtram ſaltem ſe probat prorſus thavmaturgæ virtutis. Nunc coloſſos Rhodios elaborat, tam admirandæ molis, ut neque brachijs ejus pollicem ſtringeres: & ecce! *Tantum Eharetis manus tantilla.* Nunc format formicas tam tenues, ut armatum oculum membrorum exilitas fugiat: *en tanta dexteritas Myrmecidis dexteræ!* Quid dicam de tot alijs manufactis? quæ mundus velut miracula obſtupeſcit, modò ſubjunctam legat epigraphen: Manus Phydiæ *ſculpſit: pinxit* Parrhaſij dextera: Apellis digitus *delineavit.* Quid de obſequijs dicam, quæ in arte ſcribendi præſtat Ingenio dextera? Mens ſqualleret ignobilis, niſi manus accederet interpres: Intellectus foret ſine memoria, niſi Amanuenſis operâ memoriam figeret, hominémque redderet Immortalem. Imò quantum à Sapientia pretium, tantum à fortitudine pondus accedere manui, quis ignorat? etiam lanionibus notum eſt illud: *Milo ſi feriat pugno, procum-*

*Manus, & digiti.*

*Theodor:*

*Trebell: Polus in trig: Tyr.* *3, Reg. 12.* *Cœlius apud Scarlat:* *Plutarch.*

*procumbit humi bos.* Famoſus eſt Roboam, qui uno digito ſic afflixit fortiſſimos, ut quaſi ſub incude dolerent; malleóve perculſi corruerent. Sed nec pedibus ſua deſunt prodigia: fuêre, qui brachijs truncati, manus invenirent in pedibus: nam illis aſciam tractare, ludus: belliſſimè calamum regere, habitus: ſclopeta in ſcopum ſcitè exonerare, uſitatus frequenter jocus: imò fuit, qui fila pedibus duceret tam peritè, ut manum Phrygiam Arachne ipſamet juráſſet. Sed & aures in pedibus habere ſolent Tyranni: hinc Dionyſio ſupplex, cùm ad pedes accideret quiſpiam, exprobranti facinus amico, repoſuit: *Non ego in culpa ſum, ſed Dionyſius, qui aures habet in pedibus.*

*Facies.*

LEUC: Inter corporis membra, facies, credo, Regina eſt, ſummúmque prodigium naturæ. Quis enim non obſtupeſcat majeſtatem illam, quæ in facie, patente veluti ſolio, etiam ſeſe prodit invictam. *Dion.* Trajanum certè etiam in gregario præliantem ſago, *canities, oriſque majeſtas Principem prodidit.* Notum eſt illud: *Priami ſpecies digna Imperio.* Ulyſſen quovis Iro pauperiorem, quia nudum, inermem, maríſque perfidi rejectamentum, Phæaciæ incolæ, etiam ignotum, agnovêre ùt Principem, tantam reverentiam vultûs ſpiraverat majeſtas. *Mythologi.* Quis non admiretur ſympathicum fœdus, quod habet cum partibus inteſtinis? *S. Hier: ep. ad Fur.* *ſpeculum animi* meritò diceres, totiúſque corporis non compendium modò, ſed & mutam, diſertiſſimámque ſimul interpretem. *MEL:* Rectè obſervas: nam ſine vocibus ætatem prodit & ſexum: ſine litteris legendam exhibet temperiem, & valetudinem: imò, veluti verior Momi feneſtra, latentes animi motus, affectúſque oculis proponit ac manifeſtat. Sed eſt alius, qui magìs faciem illuſtrat, ſplendor: pulchritudinis ſcilicet, qua gloriatur ſe Charitum ſedem, magnetem cordium, Amoris thronum. Nec jactantiùs gloriatur, quàm veriùs: quis enim ſat capiet vim formæ flexanimem? prodigioſum venuſtæ frontis Imperium quis explicabit? ſic allicit, invitos quoque ut rapiat; ſic rapit, ut *in Phœdr.* ſpontaneis conſtrictos vinculis ducat in triumphum. Rectè equidem Plato, nil fortius in mundo dixit, ad ſubjuganda morta- *in Conviv.* lium corda, quàm formæ venuſtum jubar: nam, Xenophonte judice, vis quidem *Fortitudini* magna, ſed magnis laboribus fulcienda: *Sapientiæ* major, ſed perpetuis jungenda ſtudijs: *Pul-*

*chritudini*

*chritudini* maxima, quæ, ùt notat Carneades, perfringit omnia, ſine laborum moleſtijs, animos flectit ſine ſtudij tædijs, bella gerit ſine milite, ſine viribus debellat, ſine armis triumphat: Verbo, ſolo aſpectu, Circeo veluti philtro, faſcinat cuncta, ipſamet exarmata exarmat omnia, ſuæque ſubijcit poteſtati.

LEUC: Ita eſt: advertit quoque, nî fallor, Philoſophos veteres, nullam eſſe ætatem, conditionem hominum nullam, quæ tantæ ſeſe potentiæ ſubtrahere valeat; hinc Pulchritudinis ectypon, mulieris ſymbolo adumbrabant, quæ manu floſculos diſſuaviando, ſubſtrata pedibus animalia premeret, *piſcem* cum *alite*, cum *lepore Leonem*: en! hierogliphicum ſchema, quo tam abjectos, quàm elatos in aëra, imbelles æquè ac fortes, ſubjacere deſpotico Pulchritudinis jugo, ſignificârant. *MEL*: Enimverò non malè lineamenta hic penicillus: videt nulla non ætas, pulchritudinis throno certatim ſubſterni, nunc ligones à Titiris, nunc à Sophis epomidem, à Conſulibus faſces, Sceptra à Regibus. Imò videt & obſtupeſcit ad has aras, ipſam inclinari haſtam à Marte, ſacrari pharetram ab Apolline, ſuſpendi fulmen à Jove. Oculos, ſi lubet, immerge paululùm Hiſtoricis monumentis, & per ſexcenta prodigia confirmatum ſtupebis Pulchritudinis ſolium. Mox occurret formoſa Rachel, quæ ex Jacobo libero fecit mancipium, quia bis ſeptenni ſervitute unam emere ſervitutem non recuſavit. Occurret Thamar, quæ ex fratre ſano, fecit inſanum, quia erotica phreneſi inſanientem. Siſtet ſe Betſabee, quæ ſic ſibi ſubdidit Regem, ut ex pio faceret impium, quia adulterum, ex impio mox impijſſimum, quia adulterum ſimul & homicidam. Siſtent ſe Moabitides, quæ ex Salomone ſene infantem, ex Sapientiſſimo fecêre ſtultiſſimum, quia Idolorum ſuorum idolis thus adolentem. Imò & Herculem videbis, cui, quis crederet? Omphala extorſit clavam, mutatámque in colum androgyno reſtituit, dignum effœminato Herculе trophæum. Cleopatram cernes, quæ ſeditioſo tumultu Romanum Imperium ſic concuſſit, ut Marcum Antonium vitâ, famâ, boniſque omnibus ſpoliârit: prô pudor! virum fœmina, adeò bella fecit imbellem. Quid dicam de pulchritudine Helenæ, cui ſuis ſepulta cineribus, hoc tamen Troja elogium: dignam eſſe, ut pro illius amore *non modò Troja arderet, ſed totus mundus certaret,* Et enimverò arsêre Ilia, nam *Ælianus l. 12. variar.*

 nam

nam illuſtrari ſat iſta forma non poterat, niſi per Patriæ fumos: non ſat ardere fax belli hæc ſibi viſa, niſi Europam & Aſiam ſic accenderet, ut ſimul extingueret utramque. Quid dicam de Juditæ decore, qui ſic Aſſyrios rapuit, ut Holoferni quoque vitam eriperét? quid de Eſter? quid de Aſpaſia? quibus forma dedit, quæ non dedêre natales: imò quibus non dediſſet armorum potentia, quæ dedit inermis Amorum Domina, Venuſtas: nam è tugurijs Aſſueri ſolium conſcendit illa, hæc, abjectâ colo, ſceptra rexerat Cyri & Artaxerxis. Sileo Catharinas, quæ Maxentios; Agathas, quæ Quinctianos plùs cruciârunt vultûs amœnitate, quàm illi has Martyres tormentorum crudelitate: plùs animos uſſerant frontis decore, quàm illi corpora flammarum ardore: tam graviter ſæviît pulchritudinis caſtæ *tacita tyrannis* in ſuos tyrannos. Sileo Iſabellas, Joannam Portugalliæ Principem non commemoro, cui Angliæ, Galliæ, Auſtriæque paranymphi, Paridis pomum, unà cum Imperij pomo, non ſine Zelotypia nequidquam obtulerant: id unum aſſero, Ludovicum XI. cum Deæ iſtius ectypon contemplaretur, præ extaſi provolutum in genua, ſic exclamâſſe: *Grates tibi Creator, quòd tantæ pulchritudinis creaturæ mihi dederis aſpectu frui*: & hæc ſunt formæ prodigia, hæc pulchritudinis deſpotica tyrannis, qua premitur Mundus cum gaudio, opprimitur cum voluptate: plura non addo, ne ſi longiùs de forma, gradiar extra formam.

*Veteres.*

*Alphonſi filia.*

LEUC: Scio innumeras Syrtes, Scyllas novi, naufragijs infames, quas hoc mare pulchritudinis mortuum: ſcio quòd filiæ hominum, ipſam mundi juventam, ſuâ formâ ſic deformaverint, ut ſordes vix bene ablueret catacliſmus. Illud non penetro, unde fonti præſtigioſa adeò virtus? *MEL:* Hæc oculorum infirmitas, quæ hæret in ſuperficie; hæc animi vanitas, quam facilè perſtringit fucatus ſplendor. Edic enim Leucothee, quid pulchritudo? Soboles infirma, cujus genitrix, membrorum proportio; nutrix, colorum fluxa permiſtio; origo, lutum; cunæ, cuticula. Quid pulchritudo? flos, qui manè oritur, conteritur veſpere: Roſa, quæ cujusvis febriculæ æſtu mox elangueſcit: Lilium, quod ſeveriore Zephiro emarceſcit: fœnum agri, quod hodie eſt, cras in clibanum mittitur. Quid pulchritudo? fulgur, quod evaneſcit in ictu oculi; aurora tranſiens; Iris caduca, cujus ſtabilitas non niſi aërea. Quid denique pulchritudo?

pomum

pomum Sodomæ, cujus ſuperficies ridet, nucleus mœret in cinere: fimetum niveo contectum vellere: ſepulchrum dealbatum, mephytis ſtagnans, hamus illecebrâ tectus, coluber coloratus in herba. En! Deæ hujus horoſcopum, quæ tot in homine motus, tot in Orbe ciet tumultus.

LEUC: Utinam! in hac Phyſica, ſe magìs philoſophos probarent Philoſophi, meliúſque pulchritudinis fluxæ agnoſcerent vanitatem! *MEL:* Utinam detraherent fronti inanem cuticulam, prô! quàm deforme illicò obſtupeſcerent ſcheleton, immane monſtrum! caduca, reor, ſic illicia ſpernerent, & meliore cambio pro periturâ, pulchritudinem quærerent Immortalem. Quid enim hæc marceſſibilis, ad immarceſſibilem illam, quam revelabit quondam in corpore Gloria? Umbra eſt; ſed quid dico umbra? vanitas, lepra, deformitas eſt. Cum Apelle in unum ectypon congere, quidquid decoris in ſuis Helenis Græcia, imò quidquid venuſtatis in ſuis Amaſijs hactenus obſtupuit Mundus: ab Aſpaſia aureum capillum, vel ab Albo ſic argenteos transfer cincinnos, ut nihil fingi poſſit concinnius: ab Auguſto oculos mutua, è quibus, veluti gemino ſidere, emicent blandiores juxtà atque puriores illecebræ: à Sabino, Maximini filio, ſuaviſſima ſume labiorum corallia: Zenobiæ dentes deprome, qui eburneam conchylen, totidem margaritis ditatam referant: Hephestionis vultus efforma, Majeſtate regia celebres, qua non adæquet modò, ſed etiam ſuperet Alexandros: Narciſsi eburneam adumbra frontem, in qua caſta natitent lilia: genis adde roſas Adonidis: in venuſtiſſimo ore, velut in Cynthiæ ſolio, ſedeat venuſtas; ridenti arrideant veneres, colludant toto in vultu gratiæ: in habitu emineat dignitas, totóque corpore diffuſus effloreſcat color: accedat Cleopatræ ſuada, támque urbanus in voce lepos, ut etiam Cæſares vulneret & Pompejos: tota denique Corporis ſymmetria accedat tam elegans, ut, quod de Albio Tibullo, majeſtas & amor bene conveniant, & in una ſede morentur; & quid emendicatus hic formæ fucus, ad illum ſplendorem, quem dabit glorioſa quondam anaſtaſis? dixi: Umbra eſt, atque deformitas. In lippientes Lias, tuſſientes vetulas, in buſtuarias larvas abeunt Helenæ, ſi huic decori quis comparet. Et tamen (prô hominum ſortem præpoſteram!) & tamen amamus Æſopos, cùm aſpicimus Spuri-

nas & Democles: cadavera amplectimur, cùm ſe ſe brachijs, infundit ultrò, Angelica venuſtas: ſuperbimus de ſordibus, gloriamur de fuco, corniculæ inſtar, quam deplumabit mors improviſa, detractíſque ſpolijs, putredini vermibúſque in prædam dabit.

LEUC: Crediderim, quòd multi formæ ſuæ magìs conſulerent, ſi formas cadavericas examinarent crebriùs, quam partiales. Sed raros, niſi fallor, reperies, qui cum Lidvvina malint eſſe deformes, quàm minùs caſti. *MEL:* Sic nempe noſtra amamus pericula, ut pereamus. Non enim multis, reor, Divi Bernardini elogium competit: *quod caſtitatem egregiâ formâ repugnante ſanctiſſimè cuſtodierit.* Notum illud Poëtæ: *rara eſt concordia formæ atque pudicitiæ:* quia *difficile cuſtoditur quod plures amant: & aliquo modo & aliquando expugnatur, quod ubique inceſſitur.* Utinam non ſæpe ſæpius, hoc probaret experientia, nec in corpore, quod *DEI templum* eſt, Doctore Apoſtolo, toties renovaret mœſta Solymæi templi excidia. Surrexerat octavum hoc mundi miraculum, mera inter miracula, ex candenti marmore ſic ſeptennio creverat, ut tamen nullum audires mallei ſtrepitum, triginta hominum millia præparabant cedros atque cupreſſos: octogeſies mille lapicidæ marmora perpoliebant. Quid dicam de ſplendore & opulentia? ſuperbiebant obrizo coruſcantes parietes, Phœbi jubar prope extinxerant, decies mille candelabra aurea, die noctúque ardentia: thuribulorum viginti millia Arabiam jugiter exhalabant: ex auro puriſſimo fulgurabant Aræ, hìc oneratæ decies mille aureis phialis, ibi vigeſies mille ex argento candidiſſimo pateris exornatæ: quid multis? Sacrarium diceres, in quo excolendo omnem Sapientia humana induſtriam: in quo ditando Orientis opes natura penitùs exhauſiſſet: & tamen poſtquam ſemel deſtructum, ad priorem denuò gloriam ſurrexiſſet, tædâ unicâ, quam è turri Antonianâ, miles Titi, temerario furore, injecerat, tam ſubitò concepiſſe Vulcanum ferunt, ut tota Solyma, unà cum Romano exercitu, ad reſtinguenda incendia advolante, prohibere nequiverit, ne in triſtes cineres, iterato fato, collaberetur. En! Archetypon humani corporis: ſufficit ſæpenumero peccati unica ſcintilla, præcipuè Cyprijs ſi ſit delapſa caminis, & mox in tanta exardeſcit incendia, ut nulla gratiarum fluenta, nulla Superûm hominúmque

*S. Hier. l. 1. contra Jov.*

que

que ſubſidia, reſtinguere valeant, truculentam flammæ ſerpentis luem. Et ſic prodigioſa hæc Promethei cœleſtis fabrica, in cineres denique recidit, ſuíſque ſe ipſam ſepelit ruinis.

LEUC: Triſte fatum, cujus aſpectu non ſolùm Borgias, ſed Sophorum quilibet exhorreſcat. *MEL:* Tantum malum peccatum eſt, imò ilias malorum. Illud, in malo hoc peſſimum, quòd pejores invenire ſit homines, qui malo peſſimo non moveantur: lapillum putant, dum molari pondere ſternantur, & corruant. Vidit D. Borgias Coloſſi hujus in Iſabella ruinam, vidit, & ne ſurgeret ſolùm, ſed & elevaret ſibi ſimiles Sophos, hunc ſtylóbatæ Coloſſi incidit Gryphum.

# ÆNIGMATO-GRYPHUS
## *Coloſſo Corporis Myſtico*
## Inciſus
## *Ad Oedipum Philoſophicum.*

*Stato*
*Ad hanc Statuam Oedipe,*
*Et quid de illa ſtatuas, vide.*
*Coloſſus eſt Myſticus,*
*E nihilo grandis, è grandi denuò nihilum,*
*Hic*
*Jacet jam grande nihil.*
*Cùm ſtetit, nil mirabilius:*
*Cùm corruit, nil miſerabilius:*
*Stando oculorum illicium,*
*Jacendo vanitatis ludibrium,*
*Lapillo unico, quia ſepulchrali,*
*Sic in cinerem corruit,*
*Ut priùs tangentem Sidera,*
*Jacentem modò diſpergant venti.*
*Quamdiu ſtetit, videbatur Idolum,*

*Quam-*

*Quamprimùm jacuit, prodebat dolum:*
*Nam ex putredine patuit*
*Inane Numinis Nomen,*
*In quo nihil dignum thure*
*Præter fœtorem.*
*Contrà:*
*Si bene ſtando tulit perſecutores,*
*Injuſtè cadendo, meruit adoratores:*
*Nil pretioſius vilî,*
*Cùm nobilitat aras,*
*Nec pinguiores habet Eccleſia victimas,*
*Quàm oſſa atque reliquias,*
*Etſi ipſis cineribus condiantur:*
*Id paradoxum hoc in Coloſſo,*
*Quòd illo nil pejus, nil melius.*
*Nil pejus, ſi habeas bene,*
*Nil melius, ſi habeas malè.*
*Illius odium, amor eſt:*
*Odiſti, ſi malè amaveris,*
*Si bene oderis, amâſti.*
*Procurare illi bona non poteris,*
*Niſi procures mala:*
*Nam*
*Si ſupprimas, erigetur:*
*Si debilites, confortatur:*
*Si mortifices, vivificatur.*
*Contrà:*
*Si tractas ùt hoſpitem,*
*Experieris ùt hoſtem:*
*Fit inimicus domeſticus,*
*Si putatur amicus.*
*Nunquam habebit te pejùs,*
*Quàm ſi habeas meliùs.*
*Si nutris, ſerpens eſt,*
*Qui in ſinu necat nutricem:*
*Si mulces, tygris eſt,*
*Quæ efferatur inter blanditias.*
*Si fræna laxas, recalcitrat;*

*Et eſt*

*Et ejectum tibi injicit jugum.*
*Verbo:*
*Experieris ùt feram,*
*Nî adhibeas ferulam:*
*In ſervitutem nî redigas,*
*Redigeris in ſervitutem.*
*Illud peſſimum:*
*Quòd ſi ſervias, ſervis tyranno:*
*Quòd ſi colas, colis Idolum;*
*Vel potiùs Protheum Idolorum.*
*Nunc enim induit Bacchum,*
*Tótque victimas abligurit,*
*Ut unus omnibus,*
*Uni non ſufficiant omnes.*
*Nunc induit Venerem,*
*Et ſuas ſine numero variat ſpecies.*
*Nunc Mercurium induit,*
*Ut induatur byſſo & purpura,*
*Ruborem*
*A Mercatoribus mercaturus.*
*En!*
*In uno trunco Mercurium,*
*Imò Pantheon Idolorum.*
*At*
*Vix ſe ſuſtulit altiùs,*
*Ruit profundiùs:*
*Nam mortis lapillo cùm tangitur,*
*Frangitur,*
*Et à tantillo tantus*
*Vertitur in tantillum,*
*Imò in nihilum.*
*Hinc jam adeſte*
*Genealogici Thraſones:*
*In hoc Coloſſo*
*Ceras nobilitatis ne quærite:*
*Nam lutum fuit.*
*Idem ſub ſago & purpura:*
*Nullo diſcrimine*

*Cyrum inter & Irum,*
*Ut appareat, quanta vanitas,*
*Si lutum ſupra lutum ſuperbiat:*
*Quanta inanitas,*
*Si à lutoſa ceræ fuligine*
*Quæratur ſplendor.*
*Adeſto!*
*Sybaritica Soboles,*
*Cui DEUS eſt pinguis Venter.*
*En!*
*Ut lautè in vita paſtum,*
*Jam lauti depaſcant vermes:*
*Ut videas,*
*Non fruſtrà ſaginatum*
*Tot ferculis ferculum*
*Pro tot convivis.*
*En!*
*Quot incommoda,*
*Tua procuraverint commoda,*
*Cùm per delicias jam putreſcat,*
*Quod mortificationis ſale*
*Non fuerat conditum.*
*Adeſte!*
*Epicuri Nepotes:*
*Ænigma ſolvite;*
*Coloſſus ipſe*
*Dignum Philoſophiâ veſtrâ eſt præmium.*
*Nam truncus eſt,*
*Qui in cineres corruet,*
*Ut ſciatis,*
*In vita malè arſiſſe.*
*In truncum reſurget denuò,*
*Ut ſciatis,*
*In orco bene arſurum.*
Porcus *eſt,*
*Nam in vita adeò perverſa,*
*Non poteſt non vobis eſſe*
*Inverſum* Corpus.

SCYLLA




*B. Aloysius Gonzaga, Romæ in peripato etiamnum diſcipulus, jam Angelicæ Doctor Philoſophiæ, dum Clauſis oculis, auribúsque, meliùs videre, et loqui docet Pseudo-Philoſophos, ſolo ſilentio confutans futiles Epicuri circulos, maláque malæ ſectæ conſortia. Cxvita.* G. R. del. I. M. Gutwein sculps.



# SCYLLA, CHARYBDIS,

*Sive*

# DISCURSUS V,

## DE AURE & OCULO.

LEUCOTHEUS. Quæ tu hodie marina monſtra? quas in aure Scyllas, in oculo Charybdes? an Democritum me cupis, qui non niſi, effoſſis ſibimet oculis, didicit philoſophari? an Pythagorica ſilentia, ſurdóſque Academiæ lucos in Peripatum transferre eſt animus? paradoxam Philoſophiam, in qua Sophi ſine oculis auribúſque diſputent ſilendo; crediderim, de hirco-cervis. *MELANDER.* Næ tu buttabatta mi bone Mævi: de cortice garris, more Sciolis ſolenni, & nucleum non attendis. Sic ego cæcum te Philoſophum velim, ut acutiùs videas: ſic ſurdum, ne aures præbeas abſurdis. Abſit, ut oculos tibi eruant Muſæ, modò claudant cum Thamira, ne videas vanitatem: tyrannorum eſt aures abſcindere, ſed Sarmenti cujuſdam, vel Galbæ inſulſis ſalibus illas occludere, Philoſophorum. *Juv. Sat. 5.*

LEUC: Adverto, quos tu in aure, & oculo ſcopulos. Sed cur Charybdes, cur Scyllæ? *MEL:* Enimverò non niſi per tranſitum ſalutâſti Mantuanum Oraculum, ſi hæc ignoras: refricabo memoriam.

*Virg. l. 3. Æneid.*

*Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis*
*Obſidet, atque imò barathri ter gurgite vaſtos*
*Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras*
*Erigit alternos, & ſidera verberat undâ.*
*At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris,*
*Ora exertantem, ac naves in ſaxa trahentem.*
*Prima hominis facies, & pulchro pectore Virgo*
*Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtris*
*Delphinum caudas utero commiſſa luporum.*

Et quid aliud ſæpe oculus, niſi Juventæ charybdis? plures animas jam Cœlo rapuit, quàm iſta Herculi juvencas: imò cryſtallino gurgite plures, quàm iſta aqueo demerſit. Quid aliud auris, niſi Scyllæ caverna, quæ ubi haurit impudicos monſtri latratus, *Ora proterva canum,* in Cerbereos rictus attrahit innocuas rates, ac deplorandis ſæpe naufragijs præcipitat in profundum. Quid ſi Scyllam quoque circumſonent Sirenes, hilaris illa navigantium pœna, blandæque mortes, gaudiúmque crudele? quid faciat Innocentiæ cymba, inter ſacrum & ſaxum hìc dubia? Hercle, *niſi cæca & ſurda, peribit:* imò jam ſæpiſſimè periît: Audi, quàm Claudianus, claudicante neutiquam plectro, ejuſmodi infortunium adumbret.

*Ovid. metam. l. 14.*

*Dulce malum pelago Siren, volucréſque puellæ,*
*Scyllæos inter fremitus, avidámque Charybdim,*
*Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia monſtra:*
*Blanda pericla maris: terror quoque gratus in undis:*
*Delatis licèt huc incumberet aura carinis,*
*Impléſſéntque ſinus venti de puppe ferentes,*
*Figebat vox una ratem: nec tendere certum,*
*Delectabat iter reditus, odiúmque juvabat:*
*Nec dolor ullus erat, mortem dabat iſta voluptas.*

LEUC: Superet Ulyſſem oportet, qui in his vadis tentat evadere: capio, quòd *ſurdo & cæco ſub Duce ſola ſalus.* *MEL:* Ita eſt: Ulyſſem ſuperat Gonzaga: tam bene apud Philoſophos audiît, quia ſurdus: tam libenter viſus eſt, quia cæcus: tam feliciter, per mille pericula, deduxit ratem, quia ſeduci non potuit,

tuit, utpote Angelus, aure carens & oculo. Stupebat Peripatus, cùm inter Logicæ ſpinas videret hoc lilium, nec unquam magìs aperuit oculos, quàm cùm illos modeſtè demitteret hic Sophus. Suſpexit ſæpe loquentem, ſed plùs ſilentem, nam loquendo, bene quidem propugnavit rationis Ens phyſicum, at voces, ſilendo meliùs refutavit. Sed nec objectum auris erat quilibet ſonus, nam niſi aërem puriùs modificatum non admittebat: optimus inter Philoſophiæ Auditores Auditor, etſi ſurdus: diſertiſſimus Dialecticus, etſi mutus, utpote cujus vel ſolo ſilentio didicerant reliqui bene loqui.

LEUC: Dignus ſanè beatus iſte Philoſophus, ad cujus aras non modò oculos, ſed & aures ſuas ſuſpendat ſtudioſa Juventus. *MEl:* Ita eſt: ſi è tholo tam innocenti penderent oculata hæc anathemata, non toties à DEO fierent anáthema: *maledictus, qui errare facit cæcum in itinere*: nam utrumque ſenſum, non niſi Innocentiæ victimas, ac Sapientiæ Miniſtros, Creator cupit. Latere nec cæcos Ethnicos potuit veritas tam oculata: hinc Minervæ, Virtutum Deæ, ac Scientiarum Præſidi oculos, aures Memoriæ conſecrabant, bene gnari, quòd ſi oculos dicarent Cupidini, excæcarentur; ſi Sirenibus aures, de interitu periclitarentur. *Deut.* 27 v. 18.

LEUC: Ut video, nil utroque hoc ſenſu melius, ſi bene utaris: nil pernitioſius, ſi abutaris: pro Pharo Philoſophis ſerviunt, Pſeudo-Philoſophis pro Charybdi & Scylla. Age, ſi per te licet, ducamus jam parallelum, & uter alteri, in externa Republica ſenſuum præſtet, philoſophicâ trutinâ decidemus. *MEL:* Non diſplicet eruditum certamen: videbimus, an pro Monarchia, an pro Duumviratu ſuffragium ferat Peripatus: cujus tu patrocinium ſuſcipis? LEUC: Illius utique qui causâ cadere non recuſabit: nam ſub tali Cauſidico non poteſt non periclitari cauſa etiam optima. Quid quid ſit, de aure legi nuper non nulla, & à te ipſo accepi plurima: referam tibi nota, ut à te audiam ignota. Deciſionem litis quod attinet, tuum venerabor tribunal, ne contra Apollinem pronuntiando ſententiam, differenti de aure, longiores cum Myda fors creſcant aures.

MEL: Oculos quod attinet eorúmque ſtupendam ſtructuram, partium varietatem prope incredibilem, proportionem, ſummo Naturæ ſtudio elaboratam, quivis, etiam luſcus, ſi vi- *Oculi Structura.*

 deat,

deat, veluti totidem prodigia, meritò admiratur. Quam bellè theſaurus hic ſinu duplice, velut ciſtâ oſſeâ, concluditur, ne periculo citra tutelam eſſet expoſitus! quàm ſecurè tam à cilijs, quàm à palpebris, velut adductis valvis, defenditur! forma interior quàm affabrè concinnata! modica hominis portio eſt, & tamen major eſt toto homine: parva mundi particula eſt, & tamen æqualis eſt toti mundo: humores, quibus alluitur; tunicæ, quibus cingitur; nervi, quibus diſtenditur; muſculi, quibus movetur; venæ, quibus alitur; arteriæ, quibus micat; ſpiritus, quibus ſubſultat, totidem miracula ſunt. Quale miraculum eſt humor cryſtallinus? meretur hic tam illuſtre nomen, dum exæquat ſplendorem. Cryſtallinum ſequitur vitreus: inſeritur unus alteri, nec confunditur: amant ſe invicem, & ſe adjuvant, cuſtos eſt humoris cryſtallini humor vitreus, & pene nutricius, hic humoris vitrei alumnus eſt, & pene filius. Utrique amabiles inſidias tendit retina, utramque amanter capit, facítque, ne diffluant. Retinæ proxima eſt tunica uvea, eáque concava, ut humores ambiat; mollis, ne lædat; tenuis, ne opprimat; pellucida, ut, quod tegit, oſtendat. Utramque irrigare debet humor aqueus, ne exareſcant: ne motu perpetuo fatigentur, lenit aqua laborem: ne humor cryſtallinus à tunica cornea patiatur, interfluit aqueus, & vulnera excipit, quæ non ſentit. Quid dicam de pupilla, nobiliſſima oculi parte & amabiliſſima? hæc pars oculi minima ſimul & maxima, hæc ſedes amoris & majeſtatis: per hanc oculus amat, per hanc imperat, per hanc iraſcitur, per hanc miſeretur, per hanc parcit, & punit. Quod admiratione digniſſimum eſt, per hanc videmus. Aperit ſe oculus & mundum recipit: claudit ſe oculus, & mundum excludit. Satìs eſt, plura ad oculi dignitatem ſi cupis, ipſo oculo explora oculum, mirabitur (quod mireris) is ſemetipſum, & nunquam ſatìs.

*Auris fabrica.*

LEUC: Non inficior thavmaturgam oculi fabricam, modò Auri ſua quoque concedas eſſe prodigia. Epitomen non immeritò dixerim, quàm ideò fabricavit Natura, ut in exigua aure, artifex maxima audiret. Artificium totum oſtendit in parte: nam auriculam, quaſi veſtibulum elegans auri præfixit, ut ornaret: ex cartilagine, ne deflueret fœdiùs; non ex oſſe, ne ſæpius frangeretur. In homine minor eſt, ut major ſit pulchritu-

do:

do: conchæ figuram refert, ut ſcias, pretioſius quidpiam latitare ſub vili: ſemper aperta, ut agat excubias; hemiſphærica, ut ſonos colligat, quos hemiſphærium diſpergit. Quid de quaternis meatibus dicam? primus flexuoſo ſinu refringit aëris impetum, ne vehementiùs irruat: ſordes nutrit, ſed non niſi gratiâ puritatis: nam fovet internas, ut viſcoſitate ſua externas prohibeant. Foramen, cui *Oris petroſi* nomen, ſic meatum hunc claudit, ut tamen magìs magíſque aperiat, ad uſque *tympanum*; membranam intelligo, in qua ſubſiliunt voces, ſed ſine ſtrepitu, & tympanotribam agente impetu, gyrantur in turbinem, ſed ſine confuſione. A tergo ſi tympanum ſpectes, aperit ſpelæum, quod eſſe Cyclopicum, primo intuitu, diceres: nam adeſt malleus cum incude & ſtapede (tria oſſicula ſunt tympano annexa) quæ vocalem aërem tundunt, atque retundunt, nec tamen confundunt. Subin ſeſe aperit *Labyrinthus*, in quo tam mirabiles anfractus, ut Ariadnæ filum ipſe Theſeus peteret: tres præcipuè viſuntur conchæ, aëre plenæ, quæ velut per tubæ ſpiras ſonos agunt in circulum, ſícque recipiunt, ut receptos ulteriùs propagent. Pandit ſe denique meatus, retortus in cochleam, quem ideò, reor, *foramen cæcum* appellant, quòd non inveniat exitum: nam in nervum ſenſorium deſinit, in quo fieri auditionem ſuadet ratio, Anatomici judicant, Peripatetici confirmant.

MEL: Oculi fabricam oſtendi, ſed necdum in fabrica culmen perfectionis: quæ attuli, fundamenta ſunt potiùs, quibus nihil non paradoxum ſuperinſtruit Natura. De oculi objecto quid dicam? dicuntur tam multa, tam varia, ut, quid dicam, ignorem: ne tamen ſilentij tenebris involvam hoc Phœbi jubar, dicam pauca, ſed non pro foro, ut contentioſiùs lites decidam, ſed pro colloquio, ut de litibus te ad diſcurſum erudiam. Uniſona Sophorum omnium vox eſt: objectum oculi Lux eſt & Color. Sed audi, in quam diſſonos clamores hæc tandem deſinat harmonia. Qui ad Ariſtotelis organum modulantur, Lucem *qualitatem* eſſe pronuntiant, *à corpore luminoſo productam.* Pauca verba, myſteria plurima, quæ luce indigent, ut naturam lucis, magìs illuſtrent. *Qualitas* eſt, quæ ſubſtantiæ inſtar reflectitur: *abſoluta*, quæ tot radijs in pupillam confluentibus, non intenditur: *perfectiva* eſt, quæ tamen non penetrat opaca. *Qualitas* eſt, quæ tranſiens per plura media, in ipſo refringitur

*Lux.*

ſringitur aëre: *abſoluta*, quæ tamen reſpicit homogeneas partes, ſitum rectum, poróſque, ut permeet: *perfectiva*, quæ tamen ſpeculum cauſticum, utut diaphanum, tranſire nequit, quin ſeſe colligat, & reflectatur. En! qualitatem mirabilem, quia *ſpecialem*, nam ita tenet proprietates ſubſtantiæ, ut ſimul retineat qualitatis nomen: ſic ſequitur corporis, cui inhæret naturam, ut illam tamen non aſſequatur. Sed nec clariùs lucem illuminant, qui, plenis igniculorum effluvijs, ſeſe dicunt à Cynthio illuſtrari: nam, cum Empedocle, lumen eſſe contendunt ſubtiliſſimam flammam, à corpore lucido quaquaversùm diffuſam, & propagatam uſque ad oculum. En! oppoſitam qualitati mirabili, non mirabilem minùs ſubſtantiam. *Subſtantia* eſt, quæ, qualitatis inſtar, propagatur ſic *in inſtanti*, ut ad minimum ſex milliones ſupra ducenta ſeptuaginta octo milliarium millia emetiatur. *Subſtantia* eſt, quæ infinitis effluvijs, per ſeptem & ſexaginta jam ſæcula, Phœbum minimè minuit, etſi diebus ſingulis, quantitatem emitteret, globo terraqueo æqualem. *Subſtantia* eſt, quæ occidente Phœbo, vel momento deſtruitur ſine cauſa, vel latet in diaphano aëre, quin videatur. Taceo, quòd in decuſſationis minimo puncto, infiniti igniculi, omni ex hemiſphærio confluant, quin confundantur, ſeſe uniant, quin penetrentur, ulteriùs pergant, quin retardentur. Sileo innumeras pororum ſeries citra obſtaculum, rectiſſimas corpuſculorum lineas citra impedimentum. Non commemoro, viſionem nil fore, niſi titillationem meriſſimam, aliáque innumera, quæ Grimaldo Judice, *videntur tam dura, ut non niſi à robuſtiſſimo Struthionis ſtomacho poſſint concoqui.* Id ego ſentio in hac lite, nil in Philoſophia obſcurius luce, quæ quò magìs elucidatur, eò majoribus involvitur tenebris.

*Color.* LEUC: Forſitan de colore certius feret Judicium Philoſophia? *MEL:* Falleris: fatendum, quod res eſt: cum multis, qui tamen oculatos ſe credunt, judicamus ùt cæci; nam judicamus, non quod videmus, ſed potiùs quod non videmus: colores permanentes videmus, & cum luce dicimus tranſeuntes. Percipe paradoxa judicia, quibus forum Philoſophicum perſtrepit. Clamant, quos Peripatetici ſpiritus animant, Color *Qualitas* eſt: ita Philoſophus Veritatis interpres: ſic unico verbo, litem longam decidunt Laconici. Sed reclamant illi, qui Veritati, non Philo-

Philoſopho Sacramentum dixiſſe ſe autumant: qualitatem hanc, illegitimam criminantur, quia incerti ſobolem parentis, obſcuris fotam cunis, nec niſi in Peripato adultam. Edicant enim, ſi *ſola attritione* marmor nigrum, abit in pulverem ſtabiliter candidum: ſi *ſola commixtione* coloris nigri cum albo, prodit ſtabilis cæſius: ſi *ſola liquatione* nix perdit albedinem: ſi *ſola agitatione* atramentum fit candidum, *ſoláque* atramenti *tincturâ* aqua colorem induit conſtanter nigrum: edicant, amabo, quæ cauſa productiva coloris novi, quæ deſtructiva antiqui? qualitatum temperiem fortè allegant, ſed fabuloſam, quia Protheam, utpote, quæ immutata ſæpe mutat colorem, id quod centum experientiæ ad oculum demonſtrant. Taceo difficultates, quibus qualitates qualitatibus augent, ut hiſce levis armaturæ ſubſidijs ſtipati, ſe ſe recipiant tutiùs, in ignorantiæ aſylon. At his glaucoma objicimus, & interim nobismet ipſis, obtrudimus forſan palpum. Quos hi, apertis oculis, non vident colores, nos etiam clauſis, palpare credimus in textura, quæ nunc in ſtrias depreſſa, nunc in conos erecta, jam lævigata in ſubtiliſſimas laminas, jam in ſphærulas gyrata, illapſæ lucis radios, aliter alitérque poſſit colligere, ac variare. Specioſum inventum, ſi tantum habet ſoliditatis, quantum ſplendoris. Id fatendum, quòd ſi Peripatus Democraticum tribunal appellet, communi plebeculæ ſenſu, causâ cadere fas eſt: nam non niſi apud Poëtas, *nox abſtulit atra colorem*, & quivis, etiam noctu, Europæos manere albos, Æthiopes nigros, aurum intra terræ viſcera eſſe fulvum, argentum in arca candidum judicabit. Sed *nimium ne crede colori*: falluntur perſæpe ſenſus, & fallunt, etiam ſemetipſos: oculi præſertim, quos oculatos ne leviter credas, niſi rationis lumine illuſtrentur. Nec illud in Peripato novum, quòd ſenſum, etiam communem, corrigat ratio; rationem inſtruant experimenta, quibus habemus, colorem ſtabilem, niſi mutatâ ſuperficie non mutari, texturiſque varijs, varios reſpondere colores; quæ conjunctio mutua, certis experientijs conteſtata, non obſcurum præbet indicium, colores à textura, veluti fundamento, non diſtingui, niſi ab illis, quibus volupe eſt, multiplicare Entia, abſque ſolido fundamento. Sed de coloribus ſatìs, quos exactiùs terendos tyronum circulis reſervamus.

*Sonus.* LEUC: Fateor: illuſtre eſt oculi objectum, vel ſolùm ideò, quia obſcurum: mirabile, quia clariſſimè videtur, nec intelligitur. Ecce! lux illuminat oculum, & intellectum obſcurat: videmus colores, imò palpamus propemodum, & tamen Naturam non penetramus. Sed nec, objecto auris, ſua deſunt prodigia, quæ dum arrectis auribus capimus, minimè capimus. Quot non reſonant de ſono ſtrepitus, de vocibus voces, de clamoribus clamores? qui ore Peripatetico loquuntur, more ſuo ad qualitates confugiunt, auxiliatrices non immeritò diceres, cùm in ſubſidium toties advocentur. Qui Atomiſmum ſic reprobant, ne tamen penitùs averſentur, naturam ſoni conſtituunt in tremore, & impetu corpuſculorum modificato. Bellum ſyſtema, niſi forſan nimiùm ſeſe fundet in aëre: ſic autem explicant, nî fallor. Colliſio corporum mutua, in ſubjecto ſonoro, ſonum parit *primarium*: quem motum dicunt, non qualemcunque, ſed certo modo modificatum: exprimunt hunc per tremores, & preſſiones: per vim elaſticam corporis, partiúmque interiorum, qua ex agitatione reſultant vibrationes innumeræ, nunc acceleratæ, nunc retardatæ, nunc interruptæ per morulas. Subin hic tremor ſeſe communicat vicino corpori: hinc ſonus oritur *ſecundarius*, per quem vibrationes intelligunt, motúſque tremulos, undulationes, aëríſque criſpationes, aptas ad nervum acuſticum agitandum: ſive dein hæc propagatio accidat per vibratas aëris ſubtilioris particulas, uſque ad aurem: ſive fiat per communicationem impetûs homogenei, prout patet in aquæ circulis, injecto lapillo ſeſe agglomerantibus. Hic denique tremor in auris concavum receptus, atque in membranam cochleæ effuſus, per nervi acuſtici fibrillas, determinat animam ad eliciendas auditiones. Quòd ſi propagationis tam paradoxæ cauſam indages, *vim elaſticam* aëris tenſi, compreſsíq; obtendent; quin & *tremorem* corporum ſolidorum, *motúmq;* aëris externi, ad aurem uſque continuati, mox allegabunt. Si interponas obſtacula, indagando, qua ratione criſpationes & undulationes tam variæ, permeare poſſint invariatæ? hærebunt paululùm ad hunc nodum, quem quia extricare vel nolunt, vel nequeunt, Peripato ſolvendum relinquunt, qui & ipſe in qualitatis ſuæ vehiculo, non impendiò minorem ſentit d[illegible]tatem.

MEL:

*MEL:* Aſſequeris Authorum mentem, qui poſt multos de ſono clamores, ravim dum ſentiunt, tamen diſſentiunt: habemus Hercle, cur miremur Naturam, quam etiam per aures loquentem non intelligimus, oculíſque viſam non penetramus. Pergo ad alia, quæ oculum comendant, prodigia. Vide quanta illius celeritas! momento ad Cœlum evolat, momento ſolem & ſtellas luſtrat, momento ſe Cœlum inſinuat, nec oculum implet: mirabiles ſunt Cœlorum motus, ſed velociùs non eunt orbes cœleſtes, quamvìs impellantur ab Angelis: impellunt ſe ipſos oculi, & ſiſtunt ſe; hoc libertatis eſt privilegium, ſiſtere ſe poſſe & movere, gaudent libertate oculi, qua carent Cœli. Aperit ſeſe oculus, & arboris umbroſæ ſpeciem recipit impreſſam, quacum anima mox producit expreſſam, quam dicimus viſionem. Hæc arboris viſio, per nervos opticos, ad uſque cerebrum propagat ſpeciem impreſſam ſui, organóq; ſensûs interni, ſive cerebro imprimit: hæc ſubin ſpecies unà cum anima cerebri, producit ſpeciem aliam viſionis, arboríſq; viſæ expreſſam, quam cognitionem, phantaſma, appellant. Sed necdum ſatìs: phantaſma, ubi animâ adjutrice, in ſenſitiva memoria, reliquit ideam ſui, quam vocant, rememorativam materialem, ſeſe cum intellectu jungit poſſibili, ipſámque generat intellectionem umbroſæ arboris. Intellectio, poſtquam cum anima produxit ſpeciem rememorativam ſui ſpiritualem, partiali virtute concurrit ad deſiderium voluntatis, umbrâ fruendi frigidâ. Tandem, ut myſterium abſolvam, volitio, relicta ideâ, ſui rememorativâ, potentiæ motivæ imperat, ut voluntatis imperium exequatur, citatíſq; pedibus hominem transferat, ad umbram arboris deſideratam. En! quot negotia perficiantur ſine negotio: momento peracta res eſt; imò tanta in cunctis celeritas, ut non notetur, hoc ipſo, reor, prodigioſa, quia notari nequit. *Viſio.*

LEUC: Mira quoque ſono celeritas, ſed non tanta: hanc tamen ſupplet intenſio, quam inter paradoxa phyſica jure numerat Philoſophia. Memini, à me viſam ingentem Aulam, ab artificioſo fornice celebrem: in oppoſitos angulos converſi Achates duo, ſic invicem taciti colloquebantur, ut ſtantes in medio Zoili, nec verbulum audirent, nec intelligerent. Pavimenti medium ſi pede modico pulſares, tantus inſonuit fragor, ac ſi tormentum bellicum exploderet hoſtilis furor. De natatore *Soni intenſio.*

tore quodam, ex Panthoto Medico ipſe mihi narraveras, illum in campana, ùt vocant, urinatoria, infra aquas demiſſum, venatorium inflâſſe cornu, ſed ob immanem, ex omnibus campanæ punctis repulſum ſtrepitum, illicò vertigine & ſurditate correptum. Quid dicam de tubo acuſtico, qui etiam ſurdaſtris tympanum pulſat, ſopitúmque excitat auditum? quid de ſpeculi parabolici foco, in quem ſonori radij ſic concurrunt, ut ore eidem oppoſito, vocem reddat Stentoream? quid de ſpecubus, ciſternis, cavis Muſicæ inſtrumentis? quid de ſcalis in cochleam circumeuntibus, quid de tympano prope urbis mœnia pulſato? in quibus omnibus, mirabili naturæ ludo, ſic ſeſe voces intendunt, ut Auditorem, niſi Philoſophum, in ſtuporem meritò rapiant. Sed minora ſunt iſta, quàm ut moveant peritos Phyſicæ Cultores. Stagiritam cornu cujuſdam mentionem facere perhibent, quo inflato Pellæus Heros exercitum, Orbis domitorem, ad multa ſtadia diſperſum, ſive collegerit, ſive in aciem diſpoſitum ad triumphos ſic animârit, ac ſi ſingulos militum præſens alloqueretur. Sed fidem propemodum ſuperat Morlandi tuba, quam non niſi pro Fama confectam crederes, ut nempe glorioſum Authoris nomen, totum per orbem faciliùs ſic divulgaret. Tam prodigioſo artificio hæc tuba ſonum intendit, ut Architalaſſus ſua Imperia ad integram claſſem, abſque emiſſarijs lembis, in momento diffunderet: ut civitas, preſſa obſidione, amicum exercitum, de maturandis ſuppetijs, per ſigna ſubitò edoceret, cujus inſigne ſpecimen dedit ultima urbis Tanger, in Africa ſitæ, obſidio, ubi reſciſſo ab hoſtibus vallo, cùm intercluſus in urbem eſſet nuntijs aditus, uterque tam valli, quàm munimenti Præfectus, per ejuſmodi tubas, de ferendo ſubſidio, ejúſque modo & tempore colloquebantur, & quidem idiomate Anglico, à Mauris hoſtibus non intellecto. Sed hìc nondum ſeſe finit utilitas: cape tubam Morlandicam, & unius litui, eidem inſerti, clangore imminentem exercitum ſimulabis: modico ſclopo, intra illius cavitatem exonerato, tormenta bellica æmulaberis. Infla hunc lituum, & diſperſa inter procellas navigia contra naufragium: militum cuneos, in tenebris palantes, contra hoſtiles aſſultus, conſilio & ope tutus, præmunies. Imò utilitati neque deeſt jucunditas: plures ejuſmodi tubas inflare ſimul ſi jubeas, Martialem muſicam, è diſſitis locorum interval-

*in l. de Secretis ad Alex.*

tervallis, phonaſco nullo comparente, in campo libero adornabis. Si altiore è ſpecula, fraudis ſive ignarum, ſive immemorem, curſum ſiſtere jubeas, voce quaſi cœlitùs delapsâ, ad meliorem frugem animabis attonitum, joco ſerio, ſi non invitum. Hæc omnia velut prodigia, cùm ſtupet rudior popellus, ridet Philoſophus: ſcit enim cauſam, ſoni ſcilicet intenſionem, ortam ab aëris reflexione: nam cùm ſonus diffundatur in ſphæram, in ejusmodi machinis ad ſingula latera alliſus, vocali radio dupliciter flagellat aurem, directo ſimul & reflexo: quid ergo mirum, ſi vis conjuncta ſonum efficiat fortiorem? hinc è contrario muri periſtromatis tecti obtundunt voces, pluviæ & nives campanarum clangorem minuunt; planities libero aëri expoſita, reciprocos ſonos nunquam progenerat, & frequens auditor contentam declamantis vocem propè elidit: quia nempe ſonus, his objectis, vel langueſcens, vel omninò abſorptus, ampliùs reflecti nequit.

*MEL*: Reflexè tu iſta, nî fallor: oculum intendis deprimere, quia ſonum tam artificiosè intendis. Sed recurris ad machinam. Quòd ſi ab artefactis laudari oculus poſſit, hydraulicum aſpice ſyphonem, dabit iſte ſpectaculum Cœlo dignum. Iridem de Cœlo lapſam, in arcum imbrificum, ipſa Juno ſtupeſceret, adeò mira colorum varietas oculum extra oculum rapit. Quid dicam de microſcopio? nil in iſto reperitur exiguum, præter nomen & molem: nam nil tam exiguum, quod non reddat eximium: nil tam parvum, quod oculo non exhibeat magnum: nil in natura eſt tam occultum, quod non faciat oculatis apertum: ipſe oculus cæcus foret, niſi duce microſcopio uteretur. Certè naturam inviſibilem hactenus, viſibilem reddidit, dúmque prodidit, fecit mirabilem, in ipſa fidum proditione. Sed nihil mirabilius fecit ſe ipſo: maximum in minimo: nam objectum vigeſies millies majus facit ſe ipſo: format Elephantem ex muſca; pulices reddit monſtra, dum monſtrat; motum ſiſtoles in pulice exhibet, ſanguiníſque in venis curſum: imò illo vides ſpirantem, & reſpirantem: quòd ſi tubulum auri aptare poſſes, ùt oculo, fors tuſſientem quoque audires. Miras profectò experientias legimus, quæ fidem non facerent, niſi fidem illis facerent Authores, omni fide digniſſimi. Sturmio hoc divinum inventum oſtendit in ovulo erucæ, omnes corpuſculi partes: has ipſas Malpigio in

ovi ſaliente puncto: Harvæo in fœtu humano, etſi formicam magnitudine non exceſſiſſet. Armato ejuſmodi oculo deprehendit de Lanis vermiculos adeò tenues, ut eorum milliones viginti ſeptem, granulum tritici vix æquarent, quorum totidem pedes, ſi in unum colligeres, craſſitiem fili ſerici, etiam ſubtilioris, non ſuperarent. Imò Caſſato ſi fides, particula caſei in exiles adeò vermiculos eſt reſoluta, ut primò armatum etiam oculum fugerint; ſed ubi, calore ſolis, animati ſe moverant, tunc enimverò exercitum deprehendit, cujus numerum innumerabilem nec Cyrus ipſemet inivisset. Et quæ prodigia de teleſcopio memorem? oculum in Cœlos attollit, & ſidera ad oculum detrahit: Cœlum à celando fruſtrà jam dicimus, nam, teleſcopio invento, nihil amplius mortales celat. Fruſtrà in remotiſſimis ſpatijs abſcondit ſeſe Saturnus: nullum illi jam Latium ſupereſt ad latendum: emiſſarijs vitreis à fuga retrahitur, unà cum ſatellitio, quod tamdiu callidus celârat Senex. Fruſtrà gloriatur jam Jupiter, ſua eſſe ſecreta ſibi, quæ nec Junoni leviter in aurem: nec ipſam Dyphteram ſat tutam ſentit & tectam, poſtquam exploratore oculo detecta in faſcijs; poſtquam per ſuos Comites ſe quoque proditum ſentit,& ſtupet. Mars ipſe armatum formidat oculum, nam technas in umbone ſcit obſervatas: imò nec tutam ampliùs novit conjunctionem cum Venere, niſi iteratis ludibrijs, per ipſos homines, velit exſibilari. Mercurius quoque jam fugit lucem, & in hominum conſpectu rarus comparet, ſcit nempe ſuos clariſſimè exploratos errores: nec tuta novit jam eſſe furta, ubi in ſpeculo noctes excubat oculus, ſat oculatus, quia vitreus; ſat vigil, quia potiùs in Argo centum, quàm hic unicus ſopiretur. Nec ſplendente fuco, ſat tegit nævos pallida Cynthia: nec ſcintillantibus radijs ſat cornua jam occultat gippoſa Venus. Phœbus ipſe tot ſæculis non tam illuxiſſe, quàm illuſiſſe Mundo convincitur, dum aureo purpuriſſo ſic nequit jam maculas tegere, ne detegantur, nunquam clarior mundo viſus, quàm in maculis, nunquam magìs illuminatus, quàm ubi teleſcopium ſplendores nimios non nihil fregit, & obſcuravit. Quid multis? oculum Deorum arbitrum facit hæc machina: ſtationes luſtrat, conjunctiones obſervat, explorat diſſidia: retrogrados ſignat, notat abſentes, venientes præoccupat. Stupeſce Antiquitas,plus oculus jam ſcit de Dijs, quàm

tui

tui de oculo ſciant Dij. Ejuſmodi machinam ſi habuiſſent Gigantes, montes montibus non accumulâſſent: in ſilentio aſcendiſſent Coelos, ne notarentur: Jovis fulmina explorâſſent, ne ferirentur: ſtratagemate vitreo decepiſſent Deos, ne fugerent: tubis opticis, veluti totidem tormentis, expugnâſſent Cœlum, ne expugnati Cœlo dejicerentur & interirent. Verbo: tam mirabile eſt hoc inventum, ut ipſa quoque inventio fuerit pene miraculum: nam debetur partim Fortunæ, partim Hollandi cujuſdam Ingenio, qui circa annum milleſimum ſexcenteſimum octavum, cùm una manu lentem teneret convexam, alterâ vitrum concavum oculo applicaret, improvisò notavit, apparentem objecti magnitudinem ingenti augmento excreſcere. Sed hæc rudimenta ſolummodo, quia ſat rudia, niſi illa ad opticæ leges Philoſophia perpoliviſſet. Debetur hæc gloria Galilæo de Galilæis, quem Academia Florentiæ ab ingenio Aquilam, ab oculo Lincem eſt admirata; utpote qui tubis opticis effecit, ut oculi pupilla, plùs quàm cryſtallina Archimedis ſphæra, omnes aſtrorum motus, ſola jam circumferret. Celebret ſeculum decimum quintum Columbos, qui novum Orbem; plus celebrat decimum ſeptimum Galilæos, qui in firmamento tot novos Orbes invenerat, quot in Galaxia, Orione, & Pleiadibus nova ſidera, centies ſpectabili hoc Mundo majora, detexiſſe ſe gloriatur.

LEUC: Neſcio, an teleſcopium oculo, an teleſcopio oculum magìs illuſtres: ſed ſeponamus paululùm machinas, & apparebit, num oculo, vel auri Natura plures delicias. Echo è latebris prodeat, fugitiva Nympha, ſéque judicandam ſiſtat ad Philoſophicum tribunal. Quid de hujus natura & indole? quid de origine, & natalibus memorem? illius ectypon adumbrare ſi tentem, notâ dicacitate, quod quondam pictori, mihi oggeret forſan Satyricon.

*Vane, quid affectas faciem mihi pingere, Pictor,* *Auſonius Epig. 11,*
*Ignotámque oculis ſollicitare Deam?*
*Aëris & linguæ ſum filia: Mater inanis*
*Judicij, vocem quæ ſine mente gero:*
*Extremos pereunte modos à fine reducens*
*Ludificata ſequor verba aliena modis:*
*Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo,*
*Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.*

ipſamet

Ipſamet de ſe annuntiet, de ſuo ſtemmate reſpondeat quæſita: námque ſat eſt vocalis, ut loqui poſſit; ſat garrula, ut loqui velit. Et ecce! quàm ænigmaticâ locorum mixturâ ſuam ipſa ſibi effigiem. *Genealogiam meam,* ſi quæritis, pro matre agnoſco linguam, pro patre Jovem aërcum, aurem pro obſtetrice, pro incunabulis fauces, pro nutricibus pulmones. Illud malum eſt, quòd caream tutore, licèt pupilla: nam cùm me parturiunt labia, fugant: cùm me recipiunt aures, extinguunt. Hinc vix nata, denaſcor denuò, nec eſt ſpatium vitæ majus, quàm quantum itineris à faucibus eſt ad aures. *Nomen* ſi indagatis, *reſonantiam* Latini, *filiam vocis* Hebræi me nominant. Alij *jocoſam* me dicunt *imaginem:* alij montium incolam, ſermonis nuntiam, loquacem auram, animam ſaxorum, ſororem ſuſpirij, ſylvarum oraculum appellant. *Studia* ſi inquiritis, fateor nulla ſunt, & tamen adeò ſum erudita, ut omnes linguas loquar, atque intelligam: adeò ingenioſa, ut quidquid ſemel audivi, didicerim, parata toties reſpondere, quoties quis paratus eſt quærere. Elinguis ſum fateor, nec tamen incapax ad loquendum: nam muta montium culmina ſic loqui me docuêre elinguem, ut novo miraculo voces reddam ſæpiùs mortuas, ſemel vivas, ſibi ſuperſtites, & hæredes ſui, quæ inflexis ſaxorum ſcrobibus, veluti tumulis, clauduntur, ut iterum naſci poſſint infeliciore ortu, quàm funere. Muta ſum, fateor, & tamen loquaces adeò reddo lucos, ut vocales Dodonæ quercus, fatidicúmque nemus præ ſtupore mutum jam torpeat, & conticeſcat. *Formam* nôſſe ſi cupitis, ſine forma eſt, neque tamen deformis: nam Nympha ſum, ſed ſine corpore; imago, ſed ſine facie; anima, ſed ſine vita; unica & tamen ſæpiùs multiplex; vox ipſa & ſimulacrum vocis, ſermo verus & tamen pictus, non alia artifice, quàm me ipſa. Quòd ſi *indolem* inveſtigetis, volare ſoleo ſine pennis, ſine ore loqui, ſine auribus auſcultare: ſæpe minitor, ſed abſque cholera: ſæpe amanter blandior, ſed abſque corde: ſæpe ratiocinor, ſed abſque mente: promitto multa, nihil obſervo: nil volens, poſtulo, tota vox, & vocem non habeo: eadem ſum diverſa: nunc criſpata in modulos, aures mulceo: nunc vehementiùs intenſa, terreo: nunc fracta emollio: ubi vitam non habeo, operor, úbi operor, non vivo: ſtans in ore in plura loca diffugio: habito ibi, ubi non ſum: in vicinia moror, & loco

*Echo.*

*Hor. l. 2. ode. 12.*

carco:

careo: ſæpe per tranſitum auſculto, & ultima furor clamantis verba: hinc ſermone malè accepto, pejùs mutilato, peſſiméque inverſo ſæpe ludere ſuevi, atque illudere. *Caſus vitæ* ſi ſcire eſt animus, innumeris ſum ſubjecta: nam ſæpe incido in cavernas, nunc rupibus allidor, nunc per ſaxa præcipitor: ſed quæ mea eſt in iſthac infelicitate felicitas: cùm inter ſilices confracta corruo, illæſa ſurgo: cùm intet petras percuſſa quatior, nil incommodi patior: cùm cautibus truncata diſſilio, integra tamen permaneo: imò, fractis inter ſcopulos viribus, reſumo vires: inter ſaxa dum morior, orior, & in tot caſibus nunquam penitùs concido, ſed rediviva ſemper per iteratam ſurgo anaſtaſin. *De Virtutibus* rationem ſi petitis, non me laudo: virtutem etſi nullam haberem, ſaltem facerent Zoili, ut haberem tot inter opprobria patientiam. Nunc *garrulam* calumniantur, utut loquar nunquam, niſi quæſita: *protervam* dicunt, etſi fari nunquam audeam prima: *vagabundam* aſſerunt, utut latebras amem, nec niſi ſolitaria degam in ſpeluncis: *impudentem* proclamant, etſi nullum unquam aſpiciam, nec ſim unquam ab ullo viſa: *tetricam* criminantur, licèt ludibundum naturæ jocum, jocantémque ludum, nunquam non ſatagam, mortalibus me exhibere: taceo ſcommata, quibus me exſibilant veluti ſtrepitum volantem, fragilémque ventorum prædam: quibus me contemptim exſufflant veluti nubem inſtabilem, levem ventum, inanem flatum, umbram, & nihilum. Hæc ſileo, nam dudum aſſuevi ludibrijs; his meam debeo metamorphoſin: nam *vidi, arſi, flevi, triſtémque heu fata! repulſam ſpreta tuli, ſum nunc* *Sanazar.*
*vox, ſonus, aura, nihil.* Fecit ergo contemptus, ut ſim, quæ ſum: abſit jactantia (nam more meo relata refero) *Miraculum natu-* *Plin. l.*
*ræ:* non ergo faciet contemptus, ut ne miraculum perſeverem. *36. c. 15.*

*MEL:* Facit Echo ex nihilo aliquid, hoc ipſo reor, quòd, Authore Plinio, ſeſe faciat miraculum naturæ. Nec ego huic nihilo nihil conceſſerim: prodigioſum adeò fateor, ut illo nil mirabilius habeant aures. Percepimus, quid Echo ſentiat de ſe ipſa, judicio philoſophico jam decidemus, de illa quid ſentiamus. Si in pugnum contrahimus, quæ illa, Nympharum more, per longiorem paraphraſin, apparebit, nil aliud eſſe, niſi *Sonum reflexum, vocem reciprocam, & repercuſſam.* Sed qua ratione, quibúſque circumſtantijs reflectatur hic ſonus, *adeò eſt incog-*

O *nitum,*

*nitum*, inquit curioſiſſimus Phonurgiæ Interpres, *ut quidquam aliud.* Fatetur ipſemet, quòd miris artibus fugitivam Nympham conatus ſit ſiſtere, ſed incaſſum: nemorum abdita luſtravit, vallium ima, & ſumma montium eſt perſcrutatus, nihil non intentatum reliquit, ſed in vanum. Nam ùt de ſe ipſemet: *dum eam perſequor fugit: dum fugio perſequitur: dum blandè loquor, blandè eludit: dum valde clamo, quaſi, aſſeclis ſibi vocibus adſcitis, voces congeminat, cedere neſcia: ſubinde veluti indignabunda, reſponſum averſa, ſubterfugit, nonnunquam ad unum verbum, garrulitate penitùs inſolenti, decem alia refundit: hac varietate ſæpe illuſus, nunc cantibus, nunc inſtrumentis muſicis fugaciſſimam ſiſtere, modiſque omnibus placare conatus ſum; ſed illa ſylvis aſſueta, cicurari neſcia, conatus omnes eluſit.* Sic ille: en vagam indolem! citiùs credo Mercurium figeres, quàm hanc Deam: ſed fugitiva licèt, & omni Partho velocior, Philoſophiæ tamen oculos fugere nequit, atque effugere: detegit iſta nativis latebris tectam, & eruit proprietates, utut in imis abſconditas cavernis. Nam à Philoſopho edocta, conſtanter tenet, quòd Echo tunc animetur, cùm ſonus incurrit in corpus læve & concavum, ubi, pilæ inſtar repulſus, reſilit in aurem: ex quo ſua ſponte jam fluunt conditiones, quas reſpicit 1.mò quidem corpus oppoſitum debet eſſe, ad ſonum ejúsve ſpecies remittendas, *idoneum* 2.dò *concavum*, ut ſonum colligat: *phonocampticum* ſeu reflexivum, & ſi Conimbricenſibus fides, aliquo modo politum: requitur 3.iò certa diſtantia, in qua determinanda ipſimet Authores inter ſeſe longiſſimè diſtant.

*Kircher. l.1. & l. 9. p. 4. Muſurg. univerſ.*

*l.2.de an: c.8.text. 80.*

LEUC: Eſt unum & alterum erotema, quod mihi ſcrupulum: id proponere ſi per te liceat, aurem commodabo, velut ad oraculum Delphicum. Quid cauſæ ſubeſt, quòd Echo plerumque non niſi perfida ſit verborum interpres, cùm non referat, niſi voces aut mutilatas, aut in ultimis ſyllabis inverſas, & imperfectas? ſi clames: *tace Nympha, tecum non colloquar:* dicacula reponet *loquar.* Fuit Echo polyphona, quæ in eodem loco ſtanti, continuò aliter, alitérque reſpondit: ſi clamâſſes; tibi verò grates reponam quo *clamore*? mox reſpondiſſet *amore, more, ore, re.* *MEL:* Ita eſt: ordinariâ lege corrumpit verba, nec niſi ultimis ſyllabis inhiat pantomima. Ea forſan eſt ratio, quòd ſonus ex labili, quia aërea indole, per partes continuò dilabatur:

labatur: quid ergò mirum, quòd non niſi ultimæ ſyllabæ, maligno fato ſuperſtites, redeant ad Authorem? adde, quòd priores ſyllabas turbare ſoleant poſteriores, adeóque expeditus non niſi ultimis pateat regreſſus, quæ proin ſe ipſis juniores, ſed magìs fractæ, nota ſpatia relegunt, & jam ſemimortuæ auribus illabuntur, veluti in cunabulis tumulum quæſituræ, cùm puduiſſet extra patriam ſepeliri.

LEUC: Ut quid igitur Echo, quaſi ſuæ ipſamet pertæſa perfidiæ, ſubin integros reddit ſonos, ſubin tetrica omninò ſtupet & obmuteſcit? nota ſunt mœnia Cadurci, ad fluminis Olthi ripam, in quibus Echo, urbem aliàs exoſa, præter naturæ indolem, tam pervium ſibi ſolium erexit, ut ad Majeſtatis prodigioſæ alloquium neminem non admittat. Neutiquam hìc balbutiens, dimidiatas deglutit voces, ſed pleno ore, reddit omninò integras, & clariores quidem, magíſque, quàm ipſa receperat, articulatas. Imò periodos integras, Muſicæ longiores concentus eodem ordine repetit, ut ne unicam quidem ſyllabam hæſitando corrumpat. *MEL:* Nullum hoc in puncto myſterium: perfectiùs reſpondet Echo, cùm in phonocamptico corpore, meliùs correſpondent requiſitæ ſuperiùs conditiones. Fac enim adſint in gradu mediocri, loquetur Echo, ſed moroſa, nec niſi dimidiata verborum funera, referet ad aurem: quòd ſi in gradu perfecto ſimul concurrant, ſine ore oris vincet miracula, loquetur expedita, ſéque vel ex ultimis verbulis, probabit Nympham, hoc eſt litigioſam, quæ nunquam tacebit prima: garrulam, quæ multa ad linguam, nihil ad limam: improvidam, quæ quidquid venit in buccam, ſine mente effutit, nihílq; conſiderat: verbo fœminam, ad cujus gerras tu citiùs audiendo, quàm illa loquendo defatigabitur. Confirmat muliebrem genium, in obſervantijs ſuis ſuperſtitioſa religio: unica ſi deſit conditio, obſtinata tacet, ut ex Pythagora citiùs ſatyram, quàm ab illa verbulum: hinc ſi objectum aſperius, vel etiam mollius; ſi hiatibus abundet, ſonum non repetit, ſed diſpergit: imò ſi loci commoditas ceſſet, ceſſat & ipſa, ac in ſpeluncis vivere mavult deſerta, quàm in ædificijs erectis incommoda. Illud prorſus fœmineum, quod conſtanter inconſtans, ſibíque ſemper diſſimilis: mutatur ad locum, nam in iſto mutilat voces, in illo multiplicat: variatur ad tempora, nam

O 2 obſerva-

obſervata, quod quæ de die ſolummodo ſepties, de nocte bis ſepties repetat, ob aëris nocturni tranquillitatem: deprehenſa eſt alia manè, alia veſperi, Prothei in morem. Imò vento quolibet vertitur: Romæ Boreâ flante reſumit vires, flacceſcit ſpirante Auſtro: humoribus regitur, nam cadentibus pluvijs, nivibúſque obtuſa & melancholica, poſt nubila ſplendente Phœbo mox alacrior reſonat: verbo, ſi Lunaticam dicas, dicis quod res eſt, nam mutabilior Lunâ, Vertumno levior, in ſingulas ſeſe variat anni partes.

*Kirch. phonurg. l. 1. ſect. 1. proluſ. 3.*

LEUC: Agnovit quoque Lucretius Echûs muliebrem indolem, ex hoc præcipuè, quòd adeò ſubin loquacula, ut candem vocem ſæpe ſæpius repetat:

*Carus l. 4. de rer. nat.*

*Sex etiam, aut ſeptem, loca vidi reddere voces,*
*Unam cùm jaceres: ita colles collibus ipſis*
*Verba repulſantes iterabant dicta referre.*

Et verò in Ticini caſtro (Baſilicæ Ducali hoc nomen eſt) ter decies vox eadem repercuſſa redit, adeò exactâ ſyllabarum omnium emphaſi, ut multi non naturæ id eſſe opus, ſed latentis dæmonis illuſionem, ſibi penitùs perſuaderent. In villa agri Mediolanenſis palatium viſitur, non minùs oculo ab arte, quàm auri ab Echo mirificâ ſtupendum. Nam proſpicit ex alto feneſtra, per quam ſi vocem emittas, plùs quàm trigeſies, novo ſemper prodigio, mortua ſimul & rediviva, attonitam relabitur in aurem. Sed adhuc ſonantiùs præ dolore immugijt Mauſolæum, quod defunctæ Cæciliæ ex vivo, vocalíque marmore erexerat Metellus: nam eo erat artificio conſtructum, ut plorantium ejulatus, & clamores, repetitáq; in hoc verſu elogia, *ſemper honos, Noménque tuum,* Cæcilia, *laudéſque manebunt*, in immenſum ſeſe multiplicarent, dum in defunctæ glorioſam memoriam duplex illa Hecatombe, ludíque funebres celebrabantur. Nec rupes illa ſilentio prætereunda, cujus artificio Abyſſinos Popas ſæpe legimus abuſos. Hanc Natura in montibus Provinciæ Goyanæ eâ excavârat induſtriâ, ut voces in oppoſitæ rupis cacumine, demiſſiùs prolatas, Stentoreas redderet: clamantis verò ſonos, in morem exercitûs, inter jubila tripudiantis, intenderet, ac multiplicaret. Simile ſpectaculum Veſuvius exhibet, Mons in Campania famoſus, quia malè fumoſus. Hinc, poſt

*Kirch. Muſurg. l. 1.*

poſt exoneratum incendio ultimo craterem, per varios canales meantem undam, cum undâ voces, in vertice prolatas ſic propagat ad ima, ut in radice, loquacem undam, vel redivivum in undis Narciſſum, tibi colloqui jurares. Hinc audias, hoc in loco Paſtorum colloquia, ſolâ naturæ garrulitate, licèt neminem videas, in vicinia exiſtentem: cane unico, in vertice montis latrante, audias venationis integræ fremitus, adeò ſonus, ab effoſſis canalibus interceptus, interditur, ac repercuſſus multiplicatur. Addo denique jocoſum Carpati prodigium: Mons eſt in Hungaria celebris: in hujus Vertice ſi ſclopum manualem explodas, vel tenuem diſſolvas lapillum, mox ſtrepitus, confracto baculo initio ſimilis, per ſylvas & valles ſic circumfunditur, ut tormentorum fragorem, ac diſcurrentia fulmina referat, atque totius montis ruinam, cum innumeris vacillantibus ſaxis, tracturus videatur. En! ut cum Lucretio pariter finiam, quàm in multas voces *vox una repentè diffugiat?*

*Quæ bene cùm videas, rationem reddere poſſis*
*Túque tibi, atque alijs, quo pacto per loca ſola* *l. c.*
*Saxa pares formas verborum ex ordine reddant?*

*MEL:* Duo ſunt, quorum cauſas à Philoſopho Lucretius petit: 1.um, unde polyphoniſmi echonici? 2.um, unde intenſio illorum tanta? Echo ſæpius multiplicata ex eo originem trahit, quòd vox ſemel repercuſſa, in alias & alias incidat cavitates, è quibus orta ſucceſſivè reflexio eundem ſonum reverberat ſæpius ad aurem. Et hoc eſt myſterium illud, quod à Natura Ars didicit, Naturæ ſimia: hinc videas erectos in Eccleſijs choros, eo artificio, ut tres cantores id ipſum præſtent, quod centum, magno pſallentium commodo, majori ædificationis Eccleſiaſticæ emolumento. Videas Principum aulas ita diſpoſitas, ut etiam parietes ſint auritæ; nam nihil dixeris tam demiſsè, quod altiùs in conclavi non percipiat Princeps. Videas acuſticas fabricas, quæ hominum inſtar loquantur: Tubos quibus ad milliaria quinque Italica & alloquaris abſentes, & abſentium reſponſa intelligas, ut tamen ſtantes in intermedio arbitri nihil percipiant. Intenſionem echoniſmi quod attinet, eandem pro cauſa reflexionem in tuba Morlandica allegâras: nec ego diſſentio; id ſolùm

*Kirch. l.1.phon: Cornæus.*

ſum addo ( quod ibidem , ne interrumperem diſcurſum , diſſimulabam ) hanc reflexionem , cauſam unicam non eſſe, quia minimè ſufficientem : nam præter radios primigeniæ vocis reflexos , juvat plurimùm eorundem collectio ; qua per impreſſum tubo impulſum phonicum, recto tramite exporrecti, ſphæram ſuæ activitatis, rectâ lineâ longiore compenſent. Demonſtrant hoc centum experientiæ: hinc ſi funiculo aures obſtruas, eóque ferreum inſtrumentum duro corpori allidas , ſonus ingens , Erfortianæ campanæ ſuppar , per criſpatum funiculum,
*Pauſan.* auditûs organo illabetur. Sic littus Ægæi maris ſonum cytharæ;
*Laërt.* mons oræ Quatomalenſi finitimus harmoniam pnevmatici organi æmulatur,ob variam è magnitudinis variæ cavernis,ortam aë-
*Solin.* ris reflexionem : ſic ob ſitûs ſinuoſi latebras fons Haleſinus quie-
*c.* 10. ſcit, ſi ſileas; ad cantum tibiæ ſubſultat, ſpumat, ac turgeſcens
*Plin. l.*2. denique exundat. Sic ſi in ſpecum Dalmatici littoris projicias
*c.*45. lapillum, orietur turbo: ſi in ſpeluncam illam Finlandiæ ani-
*Olaus M.* mal vivum præcipites , erumpet ſonus tam ſtupendæ virtutis ,
*hiſt.gent.* ut aſtantium aures ſuffocet , & veluti bombardæ ſtrepitu pro-
*ſepten.* ſtratos interimat, quod, Kirchero teſte, non niſi internæ ſpe-
*l.*11.*c.*4. cuum figuræ , quæ ſoni radios colligit, reflectítque, eſt adſcribendum. Sed infinitus ſim , ſi cuncta ſoni miracula animus ſit recenſere : ſufficiant iſta, quæ qui non ſtupet, eſt ſtupidus, quia ſurdus , cui fruſtrà tu fabulam.

LEUC: Gaudeo, quòd ipſemet agnoſcas prærogativam, quam ſupra oculum auris: nunquid Pæana huic meritò intonem? *MEL:* Si velis ante triumphum: næ tu, finitâ nondum luctâ, curules jam in Capitolium dirigis. Magna ſunt auri prodigia, ſed nec oculo deſunt majora. Sonum miraris in aure, in oculo ſtupeſce ſpecies. En! exeunt ab objectis, per aërem volitant, ſéque inſinuant ſenſibus: quot verba, tot paradoxa: ſi exeunt ab objectis, intra objecta debuerant naſci: at quo Parente? quo partu? qua obſtetrice in lucem exeunt? an ſunt pelliculæ objectorum? at quis eas abſtraxit? an imagines rerum? quis eas pinxit? an ſigilla? quis ſculpſit? an objectorum nuntij? quis emittit? ſi per aërem volitant, dic, quibus pennis? ſi impelluntur, quo impetu? ſi aſcendunt, qua levitate? ſi deſcendunt, qua gravitate? ſi rectà eunt, quo tramite? aërem implent, ſed quo modo? ſi plures ſimul, quàm ſubtiles? ſi permix-

tæ,

tæ, quàm exiles? ſi diviſæ, quàm tenues? ubique ſunt, nam ubique exhibent objectum: permixtæ, nec confuſæ; diviſæ & continuæ; ſejunctæ & unitæ. Nunc impelluntur à ventis, quin loco cedant: obruuntur à pluvijs, quin madeſiant: exuruntur à ſole, quin inflammentur. Nunc premuntur ab ingredientibus, nec opprimuntur: fugantur à currentibus, nec confunduntur: turbantur ab occurrentibus, nec perturbantur: nam in ipſa confuſione ordinem ſervant, ſuccedúntque partibus partes, totis totæ, mortuis redivivæ. Novas ſpecierum ſuppetias continuò ſubmittunt objecta, ſemper plena, nunquam exhauſta, ſuppetiæ ſuccedunt ſuppetijs, nec tot cladibus decreſcunt vires, nec minor eſt numerus poſt tot jacturas. Ut tamen tutiores ſe præſtent, per humores oculi natitant, & in retinæ latebris ſe occultant: ibi reſident ſine pondere, vagantur ſine ſtrepitu, compenetrantur ſine confuſione: oculum excitant ſine murmure; per eas videmus, nec illas cernimus; per illas ſentimus, nec cadunt ſub ſenſus: cadunt tamen ſub intellectum, ſed ita, ut propemodum illum vincant. Atque ideò inter Doctores oculatiſſimus Aquinas, hiſce ideis convictus, utpote tenuioribus, & à materiæ fæce liberioribus medijs, quibus oculus, functiones ſuas exercet, primatum inter ſenſus non immeritò huic ſenſui videtur deferre, atque adjudicare. *p.3.q.78. a.3.*

LEUC: Túne ad Angelici cortinam decides hanc litem? an ex ejus judicio feres ſententiam? *MEL:* Enimverò oportet, niſi tribus Anti-Cyris caput inſanabile geram: & eò quidem fidentiùs, quòd cum Angelico ſentiat Sophorum torrens. Veteres Pulchritudinis ſedem in oculo collocant, unde Antiquitatis laureati Flamines, Dearum formam celebraturi, non niſi ab oculo, veluti pulchritudinis animâ, ſumebant initium. Divinus Plato, *diviniſſimam partem* oculum appellat: cujus benefi, *Citat. à* cio in poſſeſſionem cognitionis philoſophicæ perveniſſet. In *Scarlat.* eandem ſententiam abit Philo, dum ait: *defluxit Philoſophia de Cælo in hominum animos, ſed oculis ſequeſtris deducta eſt in hoſpitium.* 1. & alibi *quod mens in animo, hoc in corpore oculus.* Orpheus *naturæ* *Hom.55.* *ſpeculum* nominat; Galenus *membrum divinum*, in cujus gratiam *in Joann.* conſtitutum ſit cerebrum. D. Chryſoſtomus 1. *membrorum no-* 2. *biliſſimum, corporis gubernatorem, microcoſmi Solem* pronuntiat. *l. 10.* D. denique Auguſtinus 2. *oculos inter ſenſus Principes* eſſe aſſerit, *Confeſſ.*

quorum *c. 35.*

quorum gratiâ Divinus Architectus prata floribus pinxerit, diſtinxerit colores, ſtabiliverit elementa, Cœlum ornârit ſideribus, & hac pulchritudine variâ, ac pulchrâ varietate, ſpectabilem hanc Mundi machinam procreârit. Atque hanc ob cauſam pronuntiâſſe crediderim Stagiritam, magìs à nobis diligi oculos, quia plura docent; ſcientiæ autem cupiditas omnibus ſciatur eſſe congenita. Hinc ubi rem,in paucis nobis acceptam, paucis exprimere cupimus, cariorem ipſis oculis, vel ocellum noſtrum compellamus. Nec à vero aberravit nominatiſſimus ille Sapientum Thales, palàm edicens, tantum eſſe oculos inter, atque aures diſcrimen, quantum veritatem inter & mendacium: omnibus quippe uſitatum novimus, teſte Seneca, ut ampliorem oculis fidem tribuamus, quàm auribus nimioperè fallacibus: ac licèt vera referant, ſegniùs tamen irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus. Atque inde factum autumo, quòd natura auribus, quia vilioribus, humiliorem in capite ſtationem deſignârit, & famulorum inſtar, à latere incedere juſſerit; viſum verò, quia *Regem Senſuum*, teſte Philone, in vultu, veluti regali ſolio, ſublimârit. *l.de Abr.*

LEUC: Ingratam de auditu tu auribus cantilenam: nec deeſſent, quæ contra ſententiam tam abſolutam exciperent, Stagiritæ præprimis favor, qui auditum, teſtimonio publico, *Senſum diſciplinæ* appellat: proteſtaretur Democritus, qui facto planè heroico, ſibi oculos eruit, eum in finem, ut aptiorem ſe redderet Philoſophiæ. Quia tamen, oculorum amore, excæcatum jam ſentio Philoſophiæ tribunal, ad Ethicum appellare compellor. Non ego hìc in medium afferam, centum in oculo maculas, quibus glorioſus adeò ſplendor hebetatur, ſi non penitùs obſcuretur: non dicam, tam eſſe miſerum, ut, cùm primùm aſpicit lucem, mox effundatur in lacrymas, ac ſi calamitatem ſuam ipſe agnoſceret, & deploraret: non commemorabo tam eſſe delicatum, ut quavis feſtucâ, veluti lanceâ; quovis pulviſculo, radióque ſolis intenſiore, veluti ſpiculo, vulneretur: tam eſſe timidum, ut ad umbram periculi nictitando ſeſe abſcondat, 1. *primúsque* omnium *in pugna vincatur*. Tam imbellem, ut Galenus 2. ultra centum infirmitates enumeret, quibus ſubjicitur: tam denique fragilem & caducum, ut omnium primus in morte langueſcat, & extinguatur. Hæc prætereo cuncta, non enim

*1. Vegezius.*
*2. in introduct: obſerv.*

mens

mens eſt ex oculi maculis, auribus emendicare ſplendorem: pro auditûs defenſione allegâſſe ſufficiat palmare gentium Apoſtoli teſtimonium, quo mundo atteſtante aſſeruit, perfectæ felicitatis noſtræ fundamentum & originem haberi ab auribus, eas eſſe virtutis omnium primæ radicem, illius nempe virtutis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO: nam *fides eſt ex auditu.* *Rom.* 10.
Capiantur oculi Phœbi lucidiſſimis radijs, at excellentius lumen *v.* 17.
per aures illabitur: res præſentes oculi mirentur, per fidem auribus exceptam, futura quoque penetramus: coloribus delectentur oculi variegatis, ac cæruleo Cœlorum aſpectu: at aurium ſubſidio, ſic mentis acies, ac fides roboratur, ut, eâ illuſtrante, ſaltem in ænigmate contemplemur DEUM, nullo corporis oculo ſpectabilem; ut æterna gaudia, ut profundiſſimum damnatorum carcerem, aliáque myſteria, cæteroquin obſcuriſſima, ſi non clarè, indubitatè tamen perſcrutemur. Jam verò, quæ malorum excogitari ſeries poterit, quam non contexere ſoleat par unicum oculorum? *vidit* Mulierum prima *pulchrum oculis pomum:* & quia vidit, ſerpentis invidiâ periit: aperuit oculorum *feneſtras*, & ſtatim *intravit mors*, ac per omnes homines pertran- *Jerem.* 9
ſivit: en! lamentabilem caſum, ſupra quem Mellifluus aculeatam apoſtrophen: *quid tuam mortem tam intentè intueris? quid ſpectare libet, quod manducare non licet? etſi aſpicere culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt:* en! *ſerpens porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.* Quid, amabo, in cauſa eſt, quod Divinus Pſaltes, & DEO & homini fidem tam perfidè ruperit, niſi oculus? dicere poterat: *ùt vidi, ùt perij, ùt me malus abſtulit error:* quem in errorem bellè D. Baſilius: *ipſis Juſti oculis uſus eſt diabolus pro telo, & momento à via virtutis abreptum deturbavit in præceps.* Quid igitur mi- *Seleuc.*
rum, quòd Seleucus Locrenſium Legislator adulteris evelli ocu- *or.* 17.
los juſſerit, *tanquam Duces & raptores ad culpam?* quid mirum, quòd illos Salvianus *naturales animæ cuniculos* appellârit, qui unicâ ſcintillâ laſcivi intuitûs incendantur, ſtragémque edant, nullis lacrymis reſtinguendam. Quid mirum, quòd Seneca chriſtianè omninò dixerit, *oculos ſcelerum omnium Duces, & irritamenta ma-* *l.* 2. *de*
*lorum,* ut ipſa jam cæcitas, eſſe *pars Innocentiæ* credatur, ſuffragan- *Provid.*
te Clarevallenſium Abbate Petro, qui perdito, vi morbi, oculorum uno, gratias agebat Numini, quòd *unum ex hoſtibus perdidiſſet.* Quid de ſpectaculis dicam, quæ ubi maximè comica, per

oculum fiunt maximè tragica, nam in ferali cataſtrophe plerumque inſonat lamentatio Jeremiæ: *oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Quid dicam de peſtilentibus libris? ſatìs dixi, ſi partus dixero, patre diabolo dignos, æterníſque illuſtrandos incendijs. quid de laſcivis archetypis? faciunt hæc ex oculis Baſiliſcos, de quibus Paoletus, *quòd quæcunque viſa inficiant, ſolòque aſpectu necent, imò ſe ipſos proprio viſu interimant.* Liceat jam reſolvere erotema illud Eccleſiaſtici: *nequius oculo quid creatum eſt?* audacter in Orbem declamo: *nihil.*

*Thren.3.* *Serm. 3. de purif. B. V.* *c. 31.*

*MEL:* Næ tu Argo es oculatior in oculi probra: multa coacervas; pauca, quæ oculum tangunt, plura, quæ abuſum oculi feriunt. Et ego oculum damno, malè oculatum, cupióque, probóque oculum prudenter cæcum. Aloyſium oculis ſuis ophtalmicum eligat juventus: diſcat clauſis oculis bene videre, Sophi hujus exemplo: acutum in illo viſum mirantur Cœleſtes Aquilæ, & tamen tam erat cæcus, ut in Aulæ Gynæceo fœminam nullam, nec propriam quoque matrem unquam aſpexerit: tam cæcus, ut in triclinio neſciret illius ſedem, quem tamen præ reliquis jure ſemper ſuſpexit. Et nihilominùs tam erat oculatus, ut oculorum Evergetam, etiam poſt mortem, centoculum probent Aræ. Admirentur ſaltem adoleſcentes, ſi minùs imitentur illam Partheniam columbam, quæ ubi cerneret procum, oculorum ſuorum ſplendore, Cupidinis inſtar, jam excæcatum, ſibi oculos eruit, erutóſque transmiſit cæco, opportunum collyrion, nam quod oculi fecerant vulnus, curârunt, ſuáque cæcitate meliorem cæco dedêre viſum. Id cuperem, ut ab exemplo generoſæ Aquilæ (D. Aquilinum intelligo, Ebroicenſem Epiſcopum) non degenerarent lippientes pulli. Hic fortè incidens in illa verba: *ſi oculus ſcandalizat te, erue eum:* factus eſt Cœlo ſupplex, ut ſi ſcopulum prævideret in oculo, excæcaret. Res mira! continuò pro reverentia eſt exauditus: uno miraculo excæcatus, ut extra Eccleſiam cerneret omninò nihil: altero ſic viſum retinuit, ut ritè Epiſcopali munere fungeretur. En! fatum cunctis optandum, quo ſimus cæci ad profana, oculati ad ſacra; quo ſic oculi ſentiamus emolumenta, ut detrimenta timere non debeamus. Quòd ſi aulæa, Cyprijs lituris oblita, ſeſe oculis ingerant, Regium Ludovici XIII. exemplum ſequere. Hic invitatus à Procere, conclave vix ingreſ-

*Soph. pr. Spir. c. 60*

ſus,

ſus, regreſſus eſt denuò: cauſam quærenti Nobili, hæc ille ver-
ba, Laconicâ cedro digniſſima: *duc ad locum, ubi oculos aperire*
*poſſim:* acutè inſinuans Gallica lilia, etiam pictos, è quibus quon-
dam prodierant, formidare bufones. Venenatos librorum par-
tus quod attinet, ſapiens ab inſipiente conſilium capiat Juven-
tus: en! quid in arte Magiſter:

*Eloquar invitus: teneros ne tange Poëtas;*
*Submoveo dotes impius ipſe meas.*

Imitetur factum Sophi illius heroicum, qui amore Partheniæ *Auri-*
Matris, cùm laceráſſet centonem Tibulli putidum, factus ex im- *gemma.*
pio pius, ex pio Religioſus, ex Religioſo denique Sanctus: ava- *p. 2. f.*
ros non nimiùm, ſi Cœlum emere nolumus papyri fruſtis. Et 112.
quia commune Juventæ vitium eſt, oculi glaucoma, juvat ex
Theologia Sandæi medica medicamen apponere. Recipe: fi- *l. 3. com.*
culnei perizomatis Evæ folium unum: ſtatuæ ſalis Uxoris Loth *23.*
grana quinque: plantaginis, à Dina Sichimis collectæ, manipulos
duos: lacrymarum Davidis uncias tres: in mortario cordis con-
tunde, piſtillo crucis, inter tundendum influant lacrymæ tuæ,
ut melior ſit compoſitio: fiat faſciola, ex linteo, quo Chriſti
velata ſunt lumina, dictóque collyrio oculi oblinantur, ſimúl-
que fœdus cum oculis percute, ut ne quidem de virgine cogi-
tes, nec unquam videas vanitatem. Recipe: probatum eſt.

LEUC: Enimverò, occipite toto aſſentior, oculum, ejus-
modi collyrio emendatum, ſua ab erudito Orbe mereri enco-
mia: ſed oculus non eſt, quia cæcus: laudo ophtalmicos Alo- 1.
yſio ſuppares, oculos non laudo: manent illi in laſcivo 1. *amore* *Propert.*
*Duces,* & cruces: 2. *Cupidinis Sedes, Veneris latebræ,* 3. *impudici Cordis* 2.
*nuntij*, minimè pudici: quod dixi, dixi: *nequius oculo creatum nihil.* *Philoſtr.*
*MEL:* Næ tu pertinaciter extra rhombum: ſi errorem tuum 3.
non vides in oculo, ſaltem percipe in aure. En! tuam arguen- *Aug.*
di aſſumo methodum. Quid nequius creatum eſt aure? id
ego affirmans affirmo, quódque in aure audis de aure, prædica
ſuper tecta, Innocentiam, plerumque primò in auribus naufra-
gam. Cæcum finxêre Cupidinem Poëtæ, ſat nocivum rati, ſi
loqui poſſet: cùm quot ſpuat ex ore verba, tot jaciat ſpicula.
Hoc agnovêre D. Athanaſij tempora, quibus ait, Chriſtianos
à ſolutiore verbulo, velut à morſu Ptiæ abhorruiſſe: hæc ſer-

pens eſt contagioſi adeò toxici, ut ſolo halitu necet, excæcet
ſputo, morſu, venenatâ veluti ſagittâ ictos, derepentè interimat.
Illud mirum, quòd vulneret, quin videas cicatricem; quòd le-
thaliter ſauciet, quin ſentias dolorem: contabeſcis hilariter, de-
lectabiliter exſpiras. En! ectypon laſcivæ vocis: ſed nempe ve-
teri penicillo eſt adumbratum. Alia vivimus tempora, quibus,
quæ Proavi horruêre, ùt aſpides, animoſi Nepotuli rident ùt
*ad He-* muſcas. Errâſtis Hieronymi, dum veluti *ſolœciſmos magnos* Chri-
*liod.* ſtianis laſciva exprobrâſtis colloquia: ſolœciſmos non curant
noſtri temporis hirci, quibus ingenium acuit ſtercus, gloriam
adauget fœtor. Scrupuloſi nimiùm fuiſtis Regij Pſaltes, dum
*Pſal. 5.* illotas ejusmodi fauces *ſepulchra* dixiſtis *patentia*, quæ quot ver-
ba, tot putrida eructent cadavera. Per auxeſin locuti eſtis Am-
*ia Luc.* broſij, dum crocitantes ejusmodi corvos ad Hircaniæ relegâſtis
*c. 6.* ſentinas, eò quòd *communis eſſent pernicies Civitatis.* Concionâ-
torio æſtu abrepti eſtis Baſilij & Iſidori, dum turpiloquia dixi-
*Hom. 24.* ſtis *viam* ad facta turpiſſima: dum *oblectamenta inanium fabularum*
*l. 4. de* nominâſtis *incentiva libidinum.* En! veſtra refutant oracula Sa-
*ſum. Bon.* bellici nepotes, dum ſine fronte oggruñiunt effrontes: *laſciva eſt*
*nobis lingua, at vita proba eſt.* Enimverò proba eſt: non tangit
*Polit. l. 7.* hos Sophos, Sophorum Principis effatum: *quia ex turpiter lo-*
*in fine.* *quendi licentia ſequitur, & turpia facere:* abſit; negatur ſequela:
cum Minerva de puritatis laureolâ decertant, etſi quid quid Cy-
pridis olet Camarina, plenis ructibus propinent. Mente malâ
nil proferunt, ſed intentione turpiſſimâ, Apoſtoli implentes
verba, per *prava colloquia* non ſegniter *corrumpunt mores.* Æqui-
voco cortice obvelant fimum, moroſiùs ut illum eruant nati
per noctem fungi: Joviales eſſe non poſſunt, niſi ex Augia cu-
*Argento-* pedias, putidi Ganymedes miniſtrent. Verbo nullam agnoſcunt
*nius.* lætitiam, niſi cum illo Rege, vel potiùs Regum probro, punge-
re nefrendes poſſunt, ut gruñiant. Vah dedecus noſtri tempo-
ris! reviviſcant Gentiles Sophi, Sophorum circulos auſcultent,
& mentiar, niſi Diogenes Cynicus multos allatret, velut porcos;
niſi lucernam arripiat, & inter Sophos quærat Philoſophos; ni-
ſi Epicurus in plerorumque auribus obſtupeſcat ſe redivivum.

LEUC: His ſordibus oppletas aures non tueor, tueatur
Hercules, ſi denuò purgare velit Augiæ ſtabulum. Aures ego
Philoſophis velim, quales Macheti fuiſſe legimus, qui ad ejus-

modi

modi aphrodiſia verborum, mox in ſomnum delapſus, evigilare priùs non poterat, quàm ſaniora ſererentur colloquia. Aures ego Philoſophis velim, quales in D. Koſtka ſtupuêre quondam Peripatetici Viennenſes, qui dum extra formam malè diſputarent de forma, hic in deliquium incidit, nec ad ſe ampliùs rediiſſet, niſi illi ad ſaniorem diſcurſum pariter rediiſſent. Audi, quàm ex hoc facto nuper paræneſin Poëta extemporaneus ad Juventutem.

*Num Saulus, num Koſtka bonus, benè noſce, Sodalis!*
*Verbis iſte ſuis ſe probat, ille* ſuis.

*MEL:* Non fallit hæc linguæ characteriſtica: nam in Sociorum delectu nihil melius, quàm judicium aurium. Sed ſpero, quòd ex hactenus diſputatis, & tu judicium corrigas, tam de oculo, quàm de aure: ſpero, quòd in meam ſis conceſſurus ſententiam, nil utroque hoc ſenſu melius, ſi bene, nil utroque pejus, ſi malè utamur, & abutamur. En Threnodiam, quam nuper ſtylo Attico inciſam, anathéma cum oculo ſuſpendi ad Aram Aloyſij, oculorum Evergetæ.

# NAUFRAGIUM INNOCENTIÆ
## *Ad oculi ſcopulum, in teleſcopio Peripatetico, Juventuti exhibitum.*

### Obſtupeſcite Cœli, & portæ ejus deſolamini vehementer:

Jer.2. v.12.

*Tam pauci per Portas has intrant,*
*Quia tam multi per Oculum egrediuntur.*
Animæ porta eſt Oculus:
*Hanc malè ſi aperis, clauduntur illæ:*
*Hanc bene ſi claudis, illæ aperiuntur:*

*Cœli portæ, animæ portus ſunt,*
*Sed deſolantur,*
*Quia tot in Oculo animæ naufragantur.*
*Obſtupeſcite:*
*In unico Oculo innumeri ſcopuli:*
*Etſi ſufficeret unicus,*
*Ut omnes animæ perirent.*
*En Paradoxum!*
*Naufragantur tot in Oculo animæ,*
*Quia navigant in ſicco:*
*Nam non perirent,*
*Si in lacrymis naufragarentur.*
*Obſtupeſcite:*
*Nullus in Oculo Æolus, ſed ſerenitas vitrea,*
*Quæ tamen plures, quàm Æolus, excitat tempeſtates:*
*Non turbaretur anima, ſi Oculus turbaretur.*
*Nullæ in oculo procellæ,*
*Sed pejor procellis malacia,*
*Quia oculata malitia,*
*Quæ ſine ſtrepitu ſubvertit ratem.*
*In Oculo nulla tonitrua,*
*Sed improvisò te obruunt fulmina,*
*Periîſti, nec periîſſe te advertiſti.*
*Illud mirum,*
*Quòd raró bruta ſine fulmine fulgura.*
*Neque flamma extinguitur,*
*Etſi tranſeat per humores:*
*Imò intenditur,*
*Et ipſis aquis demerſam incendit cymbam.*
*Obſtupeſcite!*
*In mari Oculi vitreo, ſine cantu nocent Sirenes:*
*Influunt per humores, ut inficiant mores:*
*Sordes non abluunt in ſtagno uveo,*
*In aqua lotæ, manent illotæ,*
*Nec eſſe deſinunt impuræ,*
*Etſi in puro natitent cryſtallo,*
*Tam ſunt contagioſæ,*
*Ut ſola ſufficiat ſpecies,*

*Ad de-*

*Ad deformandam animæ ſpeciem:*
*Imò quò pulchrior earum forma,*
*Eò magis deformat.*
*Tam ſunt nocivæ,*
*Ut blandiendo furant, illuminando obſcurent,*
*Oblectando crucient, alliciendo inficiant,*
*Præſentiâ inquinent, aſpectu necent.*
*Nec innocens ipſa eſt Retina,*
*Quia retina,*
*Foret melior retina, ſi formas non retineret.*
*Hinc fit ex retina remora,*
*Nam remoratur ſalutem, dum retinet mortem.*
*Accedit,*
*Quòd tricuſpidis Neptuni vices*
*Malè ſuppleat Cupido,*
*Nam unico telo triplex ſæpe infligit vulnus;*
*In humore piſcatur pellucido,*
*Et tamen capit:*
*Imò nil caperet,*
*Si in turbido piſcaretur.*
*Hamum projicit igneum,*
*Mordemus, & morimur,*
*Sic in undis natam is igne nutrit*
*Degenerem Venerem.*
*Obſtupeſcite Sidera,*
*Quòd nobis occludat Sidera hoc frontis Sidus:*
*Lux ipſa, qua nihil melius, nihil oculo pejus:*
*Splenderet meliùs, ſi non ſplenderet,*
*Videret meliùs Oculus, ſi nil videret,*
*Nec per lucem ingereret tenebras:*
Si cæci eſſemus, peccatum non haberemus. *Joan.* 9. 41.
*Dum ergò nos malè illuminat, excæcat,*
*Nec patitur unquam majorem eclypſin*
*Microcoſmi hic Cynthius,*
*Quàm cùm ſplendet.*
*Obſtupeſcite,*
*Quòd etiam optima, Oculo malo ſint peſſima,*
*Et ipſe peſſimis pejor,*

*Cùm in-*

*Cùm Innocentiæ ultrò demergat cymbam.*
*Superi! quale naufragium:*
*Projicimus ſponte cæleſtes opes,*
*Tot lacrymis acquiſitas:*
*Ceſſamus à remis,*
*Hæc vada ne evadamus:*
*Abſcindimus ultrò ſpei reſiduæ anchoram:*
*Invitamus pericula,*
*Faciliùs ut pereamus.*
*Ipſam Innocentiæ gemmam*
*(Heu! fluite lacrymæ,*
*Plorate fatum, nunquam ſat deplorandum!)*
*Ipſam Innocentiæ gemmam*
*Inconſulti demergimus,*
*Damno lacrymabili, quia irreparabili.*
*Ceſſate Urinatores,*
*Non referetis hanc gemmam,*
*Nam merſa eſt in profundo,*
*Quòd ſine fundo.*
*Denique*
*Nos ipſi fragilem confringimus cymbam,*
*Ultrò ruimus in Charybdim.*
*Obſtupeſcite Cœli,*
*Quia ſponte mergimur, & læti demergimur,*
*Perimus inter tragica gaudia,*
*Et luberet perire ſæpius,*
*Si liceret.*
*Plorate igitur Oculi,*
*Quia Innocentiæ ſcopuli,*
*Lacrymis eluite ſcelus,*
*Quod commiſiſtis in gaudijs.*
*Sanate vulnus, quod inflixiſtis.*
*Vos verò Juvenes Sophi,*
*In ictu Oculi ſæpiùs icti,*
*Semel jam ſapite:*
*Eſſetis inſanabiliter icti,*
*Si etiam icti non ſaperetis.*

LEUC:

LEUC: Et ego auri non poſſum non exprobrare auditum, quia tot ſcelerum reum. Si tamen culpam potiùs rejici cupias in Auditores, dente Cynico vellicabo aurem illis Philoſophis, qui hactenus in Peripato; tam mali fuerant Auditores. Noveris de Dionyſio Siciliæ tyranno, quòd carceris ſui ergaſtula, in auris concavæ ſpiram ſic efformârit, ut per foramen exiguum in conclavi, & facilè audiret captivorum gemitus, & mixta ſingultibus lamenta perciperet, quibus, veluti ſuavi muſicâ, identidem ſe recreabat purpurata hæc in ſolio tigris. Quòd ſi inferni ergaſtula, hanc in formam formata, damnatorum ululatus emitterent, quid, quæſo, audirent Philoſophi illi, tyrannis omnibus magìs tyrannici, qui laſcivis colloquijs tot in ſtygium carcerem detruſêre captivos? quid audirent? ſi ignorant, huc aurem accommodent, audiant, ùt anima petatur pro anima, ùt clametur vindicta: percipiant Diras, nunc è longinquo, quas, niſi reſipiſcant, brevì percipient propiùs in Inferno.

# DIRÆ
## *Per Tubum acuſticum ex orco miſſæ ab Anima ſeducta ad Seductorem.*

*Audi maledicte,*
*Et audiendo tibi tinniant ambæ aures;*
*Nam peſſimè dictis, me tam malè feciſti audire,*
*Ut audiam æternùm jam maledicta.*
*Illa ego,*
*Quæ caſtos quondam columba gemitus:*
*Illa ego,*
*Quæ non niſi innocuos balatus ovicula:*
*Sed te crocitante, didici crocitare cum corvis;*
*Te ululante, ululare cum lupis;*
*Te grunniente, grunnire cum porcis.*
*Stupeſcat Antiquitas metamorphoſin!*
*Quod impudentes Ovidios puduit fingere,*
*Hoc te non puduit loquendo facere:*
*Habent nefrendes, quo glorientur,*

*Nam modeſtiùs grunniunt, quàm tu loquaris.*
*Mentiris Philoſophum,*
*Nam fœtor Epicureum te probat hircum:*
*Tam crudi ex ore ructus*
*Stagnantem probant cordis mephitin,*
*Quæ ſolo halitu afflat necem.*
*Id in te optimum,*
*Quod verba volent;*
*Nam ſi fixa manerent in aëre,*
*Continua mundum afflaret peſtis.*
*Mentiris Philoſophum,*
*Nam Philoſomatum lingua te probat monſtrum:*
*Deformas Philoſophiam, dum diſputas de formis:*
*Diſcurſus peſſimos formas,*
*Quia concludunt ſemper in forma.*
*Nil tuis circulis eſt vitioſius;*
*Nam in illis nil niſi vitia reſonant,*
*Diſceptantur Paridis lites, quas poma decent,*
*Sed Tantalea Stygijs in undis.*
*Fallor!*
*Non mentiris Philoſophum,*
*Pythagoræ probas Metempſychoſin:*
*Nam anima tam laſciva*
*Non poterit non migrare in porcum,*
*Ex porco in orcum.*
*Habet tua lingua prærogativam,*
*Quam ſibi cuperet ſtygius Sophiſta:*
*Nam Mundum citiſſimè perverſurus,*
*Aliter non loqueretur.*
*Fallor:*
*Aliter loqueretur, quia modeſtiùs:*
*Nam laſcivè adeò loqui, etſi vellet, non poſſet,*
*Etſi poſſet, non vellet.*
*Et tamen,*
*Laſcivi hæc verba proci, ſunt joci:*
*Stupete Inferi, ſic jocatur!*
*Quid ageret, ſi seriò ageret?*

*Stupe-*

*Stupeſcunt Tartara jocantem,*
*Contremiſcerent ſeriò perorantem.*
*Sunt joci, nam ſunt acumina,*
*Quæ iram DEI dum acuunt,*
*Animam pungunt, & libro vitæ expungunt.*
*Sunt joci, ſed ſerij,*
*Nam nunquam magìs dæmon eſt ſerius,*
*Quàm inter hos jocos.*
*Sunt joci, quia ſales,*
*Sed nimiùm inſulſi:*
*Nam nulla in ſale ſalus,*
*Si purulentam animæ putredinem afferat.*
*Sunt joci,*
*Sed Stygijs luendi focis:*
*Nam hos jocos ſeriò condemnant Superi,*
*Meritò caſtigant inferi,*
*Semper luunt, & nunquam eluunt damnati.*
*Sunt joci, minimè joci,*
*Nam poſt ſe trahunt æterna lamenta.*
*Et inter hos jocos*
*Tu ſolus rides,*
*Riſus crudeles, quia Sardonicos:*
*Nam occídis, & óccidis ridendo.*
*Tu ſolus rides,*
*Et venenata ſerpentum ſibila,*
*Cachinnando exſibilas.*
*Ergò ride:*
*Nam ſolus habes prærogativam,*
*Ut ridendo ruas ad Tartara.*
*Rue, ſed rue citò,*
*Nam inter fletus exſpecto ridentem,*
*Cachinnantem inter ſtridores dentium.*
*Rue,*
*Nam fauces meritò tibi aperit Cerberus,*
*Quas malè toties aperuiſti:*
*Deglutieris mortuus,*
*Qui deglutire nil poteras vivus.*

*Rue,*
*Ad Sodales, quos peſſimè ruere feciſti:*
*Ad dæmones, quorum vices optimè obiîſti.*
*Si non ſat mali ſunt pro tua malitia,*
*Pervertere poteris perverſos.*
*Nam teſtor,*
*Dum à te avulſus, inter dæmones crucior,*
*Nullum audivi, te magìs ſceleſtum.*
*Sufficis unus pro omnibus:*
*Nam collectos in te Socio habebo dæmones,*
*Totum in tuo conſortio infernum.*
*Ergò rue,*
*Exſpectant te Ixionis rotæ,*
*Promethei Vultures:*
*Exſpecto repetens Repetitorem,*
*Reſumam verba, repetam dicta;*
*Ob tua dicta*
Æternùm ſis maledictus,
Æternùm ſis maledictus.

VIRGU-




S. Sylveſter hicenus quondam Philoſophus, vanitatis ſomniis diu abreptus, æternùm obdormiſſet, niſi ad deforme formoſi Iuvenis cadaver, oculos fortè aperiens, exclamâſſet: Heu! sum, qui fuit: ero, qui est. Sanctiorem dehinc Philoſophiam profeſſus, sic vigilavit, ut etiam alios, lethargo ſimili ſopitos, excitaret. ex Ferrar:

G. Rogg deline. Iohañ Melchior Gutwein sculpsit. C.



# VIRGULA MORPHEI,

*Sive*

# DISCURSUS VI,

## DE SOMNO, ET SOMNIO.

LEUCOTHEUS. Te celare non auſim, quòd quæ ſapuit hactenus, penè hodie Philoſophia deſipuit. *MELANDER.* Et quid tam ſubitò palatum corrupit? LEUC: Percipe: dum, quæ herì contulimus, mente relego hodie, non advertenti obrepit Morpheus, placidóque ligatum ſomno, in inſomnia abripit jocularis Indio. Superveniens fortè Evander, ſoporem excuſſit: huic ſomni expono ſomnia; rationem peto à Philoſopho pridem jam Laureato: hìc ille hærere, & vel vigilans ſomniare de Morphei Virgula, ineptus fabulator: credo ronchos ad Apollinis lyram peritiùs duceret auritus ille Rex Phrygiæ, quàm hic in Peripato Somniator diſcurrat. *MEL:* Adverto, omnes Philoſophos tu Sophos putas: ſed falleris. Midas ille purpuram tulit, cur non & Davus Epomidem? LEUC: Id enimverò probroſum: frangat barbiton Delius, ſi ludere ignorent illi, quos vulgus æſtimat Homeros. *MEL.* Non eſt, cur mireris: ſunt quibus volupe eſt ſubtilitatibus acuere, vel potiùs obtundere Ingenij aciem; hinc iſta vel contemnunt, vel negligunt. LEUC: Sed quanto de-

decore! cùm obvia ignoret Philoſophus, & hircocervos venando, ad ea, quæ in ſe ſentit, cæcutiat. *MEL:* Tu quidem bene: ſed de guſtibus Philoſophorum, cave, ne diſputes: expone potiùs, quæ de ſomno & ſomnio priùs Evandro: curabo, ne ſomnijs te deludam.

LEUC: Quid rei ſit ſomnus, quid ſomnium? quæ utriusque cauſæ, quæ proprietates animus erat percipere. *MEL.* Somnum, quod attinet, ſi fides eſt Stagiritæ, *paſſio* dicitur *primi ſenſitivi,* quod vocant ſenſum communem. Sed nunquid hac In luce etiamnum ſunt tenebræ? quid rei ſit ſenſus communis indagas? hujus ergò naturam ut penetres, ſcire oportet, *præter ſenſus externos dari quoque ſenſus internos, non in hominibus modò, ſed etiam brutis.* Veritas hæc eſt è Philoſophiæ decalogo, quam qui negat, hæreſin ſapit Carteſianam. Et nunquid vertiginem patitur, ſenſúque caret, & ratione, qui bruta dicit automata, omni ſenſu carentia? videre bruta nemo ſanæ mentis non videt: nemo non ſentit, ea ſentire per ſenſus externos. Quòd autem & ſentiant per ſenſus internos, operationes manifeſtè demonſtrant. Nam finge tibi Actæonem, Dianæ latebras perſcrutantem: cervum, quem videt, perſequitur; ſed à cervo, quem videt, revocantis *diſcernit* vocem, quam minimè videt: quòd vocem perceperit, *percipit*, & ut percipiat meliùs, utramque arrigit aurem: Lares *quærit* abſentes: ſcipionem *horret*, non *ignarus* doloris præteriti: ligatis ſenſibus ſomniat, ſomniando *latrat.* Hæc ſi ſenſibus externis attribuas, oculus diſcernet, extra ſphæram, colorem à ſono, auris audiet operationem, qua audit, ſenſus percipiet objectum abſens, præteritum ſentiet; quæ omnia ſunt paradoxa, Philoſophiæ principijs adverſantia. Senſus igitur ſit oportet, qui diſcernat objecta, ad diverſos ſenſus externos ſpectantia: qui percipiat operationes eorum elicitas, qui cognoſcat abſentia, repræſentet præterita, quem ſenſum dicimus eſſe internum.

LEUC: Capio: ſed an idem de hoc ſenſu Philoſophi ſentiunt? *MEL:* Unanimi calculo probant omnes: utut in ejus diviſione & organo nonnulli diſſentiant. Ego minora Sidera veneror, Solem ſequor Angelicum, qui ſenſum internum quadrifariam diſpertit. 1.mò, *in ſenſum communem,* quo potentiam denotat, quæ ſenſationes cognoſcit externas, & harum adminiculo

culo ipſa quoque objecta præſentia. *Communis* meritò appellatur, eò quòd commune veluti centrum ſit, ad quod ſpecies, ſenſationum vicariæ, confluunt, quarum varietate, & ipſa diſcernit ſenſuum diverſorum objecta. 2dò, ponitur *Phantaſia*, quæ potentia, veluti ſedula nutrix, relictas conſervat, à ſenſatione præteritâ ſpecies; quarum operâ percipit res quoque abſentes; & prout has ſpecies, pro innata levitate, non rarò ineptè combinat, à Stagirita *Imaginatio* nuncupatur. Huic affinis eſt *Memoria*, quæ ſpeciali tamen modo, in objecta tendit, ùt jam præterita: in homine ſubin excitari ſolet diſcurſu, & tunc induit nobiliorem naturam, quia ſpiritualem, & titulo *Reminiſcentiæ* gloriatur. Quarta potentia ab Angelico dicitur *æſtimativa*, quæ percipit ipſas quoque negationes, futura, præterita, nulli ſenſui externo perceptibilia: hæc ex officio proponit convenientiam, aut disconvenientiam rerum, ut appetitus, aliquo modo, hoc eligat, & illud reſpuat, hoc fugiat, id proſequatur. De hac potentia Philoſophiæ tribunalia perſtrepunt, & etiamnum ſub judice lis eſt, quam alibi pluribus decidemus.

LEUC: Injeciſti priùs mentionem de Organo ſensûs interni: huic, nî fallor, ſedem in corde fixit Philoſophus: hoc domicilium quis mutare præſumat? *MEL:* Facultas medica, quæ uno ore reclamat, vocem Principis Galeni ſequuta: hic dum ſtabilem in cerebro ſedem ſenſui interno aſſignat, clariſſimis experimentis demonſtrat, veritatem in Philoſophi cerebro non ſemper ſtabilem fixiſſe ſedem. Et nunquid ſomniorum phantaſmata experimur in capite? in quo ſi liges cerebri nervos, ceſſabit: ſi liges cordis arterias, etiam ceſſante pulſu, non ceſſabit ſenſus internus. Structura igitur cerebri aptiſſimum ſensûs communis eſt domicilium, quia ſpirituum genitrix, nervorúmque origo: per quos ſicuti ſpiritus animales ad ſenſus ſingulos devehuntur, ita commercio mutuo, ſenſationum externarum ſpecies, ad ſenſum communem, veluti centrum, facillimè revehuntur. Cæterùm ex illo Medicinæ phœnomeno, quo una cerebri parte, fortè fortuitò læſa, una ſolummodo læditur ſenſûs interni functio, certum eſt, internos ſenſus non eundem in cerebro habere ſitum: ſed qualem habeant, incertum; divinet Apollo, ſi poteſt. Maurus ſenſum communem locat in fronte: conclave interius æſtimativæ aſſignat potentiæ: phantaſiæ dat

ſynciput,

ſynciput, memoriæ occiput: an bene, viderint Anatomiſtæ. Sed relinquamus incerta, ad certiora, unde per ambages ſenſim ſumus delapſi, jam revertamur.

LEUC: Bene mones, nam ex dictis apertiùs jam lucet lumen, quod accendit Philoſophus, dum ſomnum dixit: *paſſionem ſensûs communis.* Sed quod diſcrimen jam dabit deliquium inter & ſomnum? *MEL:* Ejus locò id aſſignat arcanorum peritiſſimus arbiter, ac interpres Maurus, cùm è Philoſophi mente ſomnum dicit, *ligamen ſenſûs*, ſed eò ſine, *ut ſpiritus reparentur:* id, quod deliquio aptari nequit. Contingit igitur ſomnus, quando ligatur ſenſus interior, quando ſpiritus internuntios inhibet, ne vim ſenſitivam miniſtrent, quando externis ſenſibus indicit ferias, reparandis ſpiritibus opportunas. Ligari autem ſenſus ſolet interior, à vaporum aſcendentium nebulis, qui dum frigore cerebri condenſantur, nervorum ora, ac meatus ſingulos obſtruunt, atque adeò viam ſpiritibus, ad organa ſenſuum derivandis, occludunt, quibus proin deſtituti ſenſus externi, à functionibus neceſſariò feriantur.

*Quæſt.* 49

LEUC: Nec Morpheus, credo, depingeret coloribus alijs Somni naturam, & indolem. Sed quæ cauſa ſubeſt, cur non nulli ſomno utantur tam tenui, ut dormientes veluti vigilent: alijs verò ſit adeò fortis, ut nec Capitolij anſeres, nec ipſe Stentor facilè eos ad officium revocet: aliquibus denique adeò profundus & pertinax, ut nec Salmonei currus, neque æmula Jovi tonitrua turbare quietem poſſint. *MEL:* Uti ligamen ſenſuum eſt ſæpè diverſum, ita & diverſus ſæpè eſt ſomnus. Fac enim remiſſiùs ligentur ſenſus, ut ſpiritus aliqui ad eos permeent, utut ad plenum uſum non ſatìs idonei, ſomnus erit, ſed imperfectus: dormies, ſed velut oculis cum Leone apertis; nam dormiendo audies, loquéris, & ambulabis. Fac autem vinculo ligari ſenſus tam arcto, ut nulli ſpiritus penetrent, virtutis ſenſitivæ miniſtri, ſomnus erit perfectus: quòd ſi meatus à viſcoſis vaporum nebulis ſic obſtruantur, ut diſſolvi ampliùs nequeant, orietur Lethargus.

LEUC: Et hæc ipſa, nî fallor, declarare ratio poterit, cur pleriſque ſponte, alijs nonniſi clamoſis orientis Phoſphori nuntijs ſolvatur ſomnus. Sed & ſcire percuperem, quomodo hæc ipſa fiat ſive ſpontanea, ſive violenta ſomni diſcuſſio. *MEL:*

In

In oppoſitis eâdem argutari methodo ſolet Philoſophia: hinc ſomnus *ligatio ſenſuum*, vigilia verò *ſolutio*: illi natura dedit pro fine, *ut reparet ſpiritus*; huic, *ut operetur* per ſpiritus reparatos: illum inducit gelata vaporum *conjunctio*; hanc *diſſolutio*: ille fit ſpiritus *retinendo*; hæc *communicando ſpiritus retentos*. A ſomno igitur excitari quid aliud erit, quàm vapores cerebri diſſipari? quod ſi fieri contingat à calore nativo, tua ſponte evigilabis; ſi horrore ſubito, vel terrore, qui nervos concutiat, ac torpentes ſpiritus ventilet, alieno arbitrio excitaberis.

LEUC: Frigus igitur cerebri, quo vapores, in meatibus condenſati, viam ſpiritibus obſtruunt, prodigioſa eſt illa Morphei Virgula, cujus attactu nos in ſomnum delabi fabuloſa finxit Antiquitas? *MEL:* Eſt ſomni cauſa non minima, minimè tamen eſt ſola: ſunt, quibus ſomnum conciliat *fatigatio*: ſiquidem intenſus labor ſpiritus diſſipat, quorum defectu, utut ſenſuum nervi non obſtruantur, facilè quis labi ſolet in ſomni grata deliquia. Alijs caput inclinat *refectio corporis*, maximè ſi ſit facta ex cibo potúque fumoſioris ſubſtantiæ, puta, vini, papaveris, abſynthij, opij: tunc enim vapores, craſſiori agmine è ſtomacho elevati, vagabundos ſpiritus aggrediuntur, opprimunt, jugulant, ſenſúsque ligant captivos. Sed & *muſica* conciliatrix ſomni eſt non inamœna: nam harmoniacis Orphei blanditijs intenta anima, & velut extatica, facilè ſolet ſenſuum obliviſci: hinc ſpiritibus eos deſtituit, quos ad auditum convocat, & ad muſicos concentus invitat. Hi proin pro innatâ indole humorem, ſi quem ibi inveniunt, ſolvunt in halitum: atque ita auditum vaporibus obnubilatum, ſenſúsque reliquos, ſpiritibus deſtitutos, facillimè ſubire ſolet jucunda quies.

LEUC: Non caret cerebrum nativo calore, niſi fallant, ſive fallantur inter Philoſophos multi: quo igitur pacto congelabit vaporum aſcendentium globos? quo pacto congelati ſuos obſtruere meatus poſſunt? *MEL:* Non caret cerebrum omni calore, ſed nec caret majori frigore; nî enim fallat, ſive fallatur inter Philoſophos Princeps, cerebrum magìs omnibus partibus abundat frigore. Id ſaltem non ibis inficias, eſſe frigidius corde: utì ergò, teſte Philoſopho, vapores, ſolis calore è humidis terræ viſceribus ſurgentes, in regione aëris mediâ, ſic congelantur, ut in aquam verſi, ad ima ſuo pondere recidant; ſic *l. de Som. c. 3.*

calidiores ventriculi halitus, in Zonâ cerebri frigidâ, nullo negotio conſtringuntur, ut deorſum denuò truſi, viam ſpiritibus intercludant.

LEUC: Fatigatio ſæpe, ſi non ſemper, eſt genitrix ſudoris, adeóque & avia ſiccitatis, quam ſudor in membris generat: unde igitur illa ſuppetet halituum copia, quæ obnubilet cerebrum, feſſóſque oculos ad ſomni quietem claudat? *MEL:* Quod *fatigatio* ſudorem corpori exprimat, nemo negaverit, niſi pulvillo ſemper affixus Endymion: ſed & eodem calore humores, quos in membris hinc inde diſperſos, conſtrictóſque frigore invenit, ſolvit, liquefacit, & alimenti locò evaporat ad cerebrum. Quod, ſi deficiat ejusmodi humor, deficit ſomnus, laborem vigilia excipit. Hinc ſi nimio, ſubitóque motu exhauſtæ ſint corporis vires, ſomnus ad uſque deliquium obeſſe poteſt: nam cùm caloris reliquias ad interna cordis penetralia revocet, moles corporis ſpirituum vigore deſtituta deficit, & collabaſcit.

LEUC: Et alimenta quoque, Te Judice, ſomnum vel movent, vel promovent. Ut quid ergò multis, variíſque edulijs gravatos, ſomnus fugit, utut votis omnibus invitetur? *MEL:* Ignis ſuffocatur nimiâ lignorum congerie; & quid nî calor quoque nativus, alimento nimio obruatur? hinc tarda concoctio, tardus vapor, qui ſomnum conciliat. Ciborum varietas ſtomachum in officio non tam juvat, quàm variat: hinc eructatio frequens, quæ corpus huc illuc verſat, & vapores, ne ſurſum ſeſe tollant, à via directa avocat, diſſipátque.

LEUC: Utut non nimium, multum tamen, imò plus alijs melancholici comedunt: cur nihilominùs minùs alijs dormiunt? contra Æthiopes, quos inclementiùs allatrat Syrius, indolem, à ſuo climate, præ alijs nacti ſunt torridam: cur nihilominùs ſomnolentos plùs alijs vides, præcipuè dum urit æſtas calidior? refellunt iſta, quæ de ſomno ſtabiliebas, principia. *MEL:* Minimè gentium: nam quibus melancholicus abundat humor, temperamento utuntur ſicco, ſed & ſimul perfrigido: appetitum acuit ſiccitas; ſed & frigus atra bilis intendit. Quid ergò mirum, quòd alimento non perfruantur, quódque calor ventriculi modicus, coquere ſomni nutritios vapores nequeat? Æthiopes, Aphrodiſæo Judice, torrentur calore externo, vix calefiunt

*Ariſtot. c. 3. de ſomn.*

interno:

interno: hinc in capite coacervant pituitam, quæ ſolis æſtu ſoluta defluit, ſomnóque parat patentes aditus.

LEUC: Superſunt alia, quæ dormiendo equidem ſentio, vigilando non capio, infelix Philoſophus, qui quod ſtertendo expertus ſcit, expergefactus philoſophando ignorat. Edic enim, cur ſomnus primus eſt arctior? cur in latere dextro eſt ſuavior? cur matutinus jucundior? cur veſpertinus, imò diurnus omnis moleſtior? *MEL*: Rem habe paucis: ad ſomni initia abundat humor, qui copioſiùs calore primo exſpirat: hinc paulatim abſumptus, ſomnum gignit liberiorem. Pars autem dextera Philoſopho eſt motûs principium, hinc quia per diem fatigatur frequentiùs, noctu quieſcit etiam ſuaviùs. Denique ſicut orientis Phœbi anaſtaſis, propiore radio, è terra vapores, ita & ex corpore humano ſoporiferos excitat halitus, qui denuò caput obnubilant, & ad placidam quietem invitant. Contrà recedente ſole, innati caloris nutritio, plùs nocent omnia noxia: quid ergò mirum, ſi, cùm importunitate temporis noceat ſomnus omnis diurnus, plùs noceat veſpertinus?

*Prob. ſect. 6. q. 6. & 7.*

LEUC: Audivi ſæpiùs, quòd dormiendo nonnulli operentur rationi conformiùs, quàm alij vigilando: nam ſæpe diſcurrunt in roſtris ùt Tullij, in ſynedrijs conſultant, & judicant, velut Catones: carmina pangunt ad æmulationem Maronis: in Peripato diſputant ad uſque invidiam Socratis. Ut quid ergò deſtitui ratione in ſomnis dicimur? *MEL:* Non abs re deſtitui dicimur rationis uſu, ſi intelligas plenum illum, quo fruimur vigilantes. Variat enim hunc uſum ipſa ſomni varietas. Plerumque ſomniantibus nobis phantaſiæ imagines fluctuant, atque ita quoque titubat ratio, ſuo minùs ordinatè functa officio. Quòd ſi vivaciùs phantaſma objecto inhæreat, in intellectu quoque, ex ſympatico utriusque commercio, meliori ordine ſpecies, vel excitantur, vel generantur. Neque ego tibi jugulum frangerem, ſi ſuſtineres, ligato tam molliter Intellectu, voluntatem quoque, ſuo non penitùs deeſſe officio. Id ſolùm contendo, libertatem non fore perfectam, quam tamen requirit Theologica Themis ſive ad meritum, ſive grave demeritum. Quod enim in prætextatis eſt ætas nondum excocta, quod in Juventute præceps animi paſſio, quod in Viris ebrietas,

R 2 hoc

hoc eſt in omnibus ſomnus, qui neceſſariâ vaporum nebulâ rationem minuit, ſi non penitùs tollit.

LEUC: Planiorem ſomni Phyſicam enodaveras hactenus: ſuperſunt aliqua, quæ mihi quidem videntur mira, ſi non miracula. Horum cauſas cognoſcens cognoſcam, ſi per te licet. Martialem evolvi nuper, apud quem è gliribus unus ſic poë-
*L.* 13. tatur: *tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo tempore ſum, cùm me nil niſi ſomnus habet.* Felix ſomnus, qui curat famem, ſimúlque procurat pinguedinem! Apuleius multa *de nebula ſomni,* quam extaſis ſequitur adeò fortis, ut nec Brontes, nec Steropes, nec ipſe credo Pyracmon ſoporem diſcuteret: plura hiſtoriæ de ſomnis adeò diuturnis, ut dormiendo ſæculum ſuperârint ſemivivi Endymiones. *MEL*: Multa in cumulum congeris: penſiculatiùs ſingula arbitremur. Quod Martialis de gliribus, arcanum non eſt, quod ſuperet Philoſophiæ tribunal. His enim, dum hybernis ſe ſe latebris continent, obtorpeſcit nativus calor, qui cùm lentiùs humorem abſumat, pituitam, in penario velut domeſtico, aſſervatam, vertit in eorum ſubſtantiam, qua nutrimenti locò paſti, quid mirum eſt, ſi dilatentur? Soporifera Apuleij
*Flacus* nebula nec unam, nec planam adeo ſortitur originem. Natu-
*l. 7. de* rali virtute exſpirant illam venena: hinc de Medæa Valerius:
*Argon.* *Colchis ſpumare venenis, cunctáque Lethæi quaſſare ſilentia rami perſtat.* Ex Marone ſi quæras, medicamentis illam adſcribet; ſic Cumæa
*Æneid.* 6 Cerbero *mille ſoporatam, & medicatis frugibus offam objicit.* Si ex Naſone, herbis adjudicabit & ſuccis: ſic enim ille de Colchide:
7. *Met.* *pervigilem ſupereſt herbis ſopire Draconem, Lethæi ſpargendum gramine ſucci.* Sed & Magia ſæpe, ad excitandam hanc ſomni nebulam, ſua applicat pharmaca, non alio niſi orci ſive Genio ſive Mini-
*Ovid.* 7. ſtro. Nunc maleficia exhalant verbis: *verbáque ter dixit, placidos*
*Met.* *facientia ſomnos:* nunc cantibus inſpirant: *Tu quoque relictis per-*
*Apud Se-* *vigil Colchis ades, ſopite primùm cantibus ſerpens meis:* nunc ſopiunt
*necam.* ferali fumo, quem excitant aduſti cadaverum digiti: nunc fœ-
*Del Rio* tore, quem exſpirant tabo manantia mortuorum hominum
*c.* 2. membra: nunc fatali lumine, quod ſubobſcurum exhalant, certo oleo inunctæ, certo lychno inſtructæ, certis ritibus incantatæ faces: nunc centum alijs Theſſalicis artibus, quas in Orci Peripato diſcit & docet præſtigiatrix impietas. Somni tempora, diutiùs à quibusdam protracta, quod attinet, haud dubiè mira

de illis

de illis hiſtoriæ memorant. Urſi totam hyemem dormiunt, &
neque vulneribus excitantur. 1.Sub faſce ſtramineo poſt meſſem 1.
cœpit quieſcere, totúmque autumnum ac hyemem dormiendo *Rad. in*
tranſigere ruſticus Teuto: tam dulcis poſt laborē eſt quies. 2. Ad *aul. ſan.*
ſepulchrum D. Clementis totum annum dormivit Juvenis; evi- *c.* 10.
gilavit tandem, dixítque: dormitum ſatìs eſt ad ſepulchrum, 2.
dormietur longiùs in ſepulchro. Quin & quandoque bonus dor- *Greg.*
mitat Homerus, ſed ſeptem horas excedere nefas, quæ ſatìs ſunt *Turr. l.* 1.
Juveníque ſeníque. Excedunt hos ſæpe alumni Palladis, quos *mir. c.* 36
inter ille, 3.qui cubili ſuo incluſus ſeptem annos, libris incumben- 3.
do, conſumpſit: magno utique ſcientiæ damno hic dormiît, ma- *P. Schal-*
jore alij otiantur. 4.Epimenides Cretenſis, ovem dum quæreret, *lerer*
æſtu fatigatus annos 77. in ſpecu dormiendo quievit: evigilans *Conc.* 17.
tandem, quærendæ oviculæ inſtitit. Sed &, teſte Laertio, 5.Epa- 4.
minondas quadraginta propemodum annos; Sancti Fratres, *Pauſan.*
quos cognomento dormientes appellant, tempore Decij, mon- 5.
ti Cœlio prope Epheſum incluſi, ipſos centum, nonaginta & *L.* 1. *c.* 11
unum annos continuos dormiendo exegerant: verè Sancti mi- 6.
rabiles, quia dormientes, quos tot inter Sanctos tantùm ſep- *Rader. l.*
tem invenies. Aſſerunt Olympiodorus & Ariſtoteles, oculatus *c.*
teſtis, inventum eſſe hominem, qui per totam vitam ſuam nul-
lum cibum ſumpſit, nunquam dormivit, quíque ad inſtar Ca-
meleontis ſolo aëre, & ſolis calore, vitam conſtanter produ-
xit. Horum proin eventuum, ſi à ſaniore Philoſophia cauſam
exquiras, nunc illos adſcribet vaporum exundantium copiæ;
nunc obſtructis pertinaci pituitâ nervis; nunc temperamenti,
loci, & temporis circumſtantijs; nunc pinguedini calorem nu-
trienti, viſcoſo humido, calori modico, defluxionibus capitis;
nunc denique divinæ Providentiæ, cujus cauſas ſi indages, re-
ponam cum Lyrico: *tu ne quæſieris, ſcire nefas.*

LEUC: Profundiùs ſomno immergimur, vix tempus ſup-
petet ſomniandi. *MEL:* Decerpemus aliquid ſomno, ut vigi-
lemus de ſomnio: edic quæ hac nocte tibi pinxerat Phantaſus? *de Som-*
LEUC: Tam confuſa & varia, ut quæ vidi, non viderim, ſom- *nio.*
niando dubius, evigilando perplexus. Si per te licet, colores te-
ram pro more, tu Apellem imitando, duc lineam, & primam qui-
dem in fronte, ut ad oculum pateat Somni ectypon, natura,
proprietas, indoles. *MEL:* Eloquentiæ oracula ſi conſuleres,

forſan diceret Tullius, ſomnia eſſe muta naturæ ſpectacula, ubi loquimur ſine voce, ſine oculis videmus, tangimus ſine ſenſu, Aſſueri convivijs fruimur ſine guſtu; ubi varias ſine geſtu perſonas agimus Joculares Mimi, ubi comœdias mœſtâ, Tragœdias lætâ finimus cataſtrophe, mirabiles Roſcij. Diceret, eſſe Ludos phantaſiæ umbratiles, ubi vanæ ſine viribus iræ, ſine manibus luctæ, duella ſine hoſte, pugnæ ſine armis, ſine ſanguine vulnera, ſine damno clades, ſine emolumento victoriæ. Diceret, Illuſiones eſſe Phantaſticas, ubi in obſcurâ mentis ſopitæ camerâ, nunc inter divitias videmur Iri, inter centones Cræſi; nunc ſine vinculis victi, ſine Lauris Victores; nunc Actiacas cernimus Cleopatræ clades, nunc glorioſos Cæſaris ad Capitolium uſque comitamur triumphos. Sed Tullijs relinquamus hæc paradoxa, qui penicillo Rhetorico ſic expreſſam Somnij venditare ſolent Effigiem. Philoſophi ſumus, qui quod Orator in plano fuſiùs, in pugno dicunt ſuccinctiùs. Hinc à Principis noſtri mente non aberrabis, ſi Somnium *phantaſma* nomines, *durante ſomno elicitum*: phantaſmata enim, quæ mollibus, ſed tamen tenacibus cerebri fibris inhærent, atque ergaſtulis, ſi ſomni tempore à quibuſcunque agentibus excitentur, imaginationi occurrunt, variáſque ſive fingunt imagines, ſive formant ſpectacula, ad moventis arbitrium paratiſſimi hiſtriones. Somnium igitur veluti paſſio Phantaſiam præcipuè afficit, licèt & intellectus ſociam non rarò operam jungat, dum ſomniamus de DEO, de Angelis; dum formamus diſcurſus, quæ omnia potentiæ materialis ſphæram longiſſimè ſuperant, atque virtutem.

LEUC: Et quænam tu agentia putas, quorum nutu è latebris ſuis proſiliunt phantaſtici ludiones? *MEL:* De his varij varia non tam philoſophantur, quàm ſomniant. Syneſius Phantaſum ſibi fingit, Somniorum Authorem, Author ipſe omni Phantaſo magis fanaticus. Plato, aliàs divinus, de ſomnio ſentit ùt homo, quia à veritate diſſentit, dum ſolos ſpiritus ſomnij adminiſtros eſſe affirmat. Porphyrius bona ſomnia bonis, mala tribuit Genijs malis, utrobique non malè: ſed ubi ſomnij geneſin ſtatuit per innatas quoque animi notiones, quas ex alterâ vitâ mens detulit, hìc enimverò non modò ſomniat, ſed delirat, ineptus metempſichoſis Sectator. Stoici inter alias cauſas ad Fatum quoque confugiunt, notum inſcitiæ communis aſylon:

*L. de inſom.*

*In Conviv.*

lon: & ipſe, quod mireris, Philoſophus dormit, cùm agit de ſomnijs, DEUMque excludit Authorem. Minùs cæteris Sopitus hac in re fuit Hypocrates, dum ſomnia adſcribit Naturæ & DEO. Solus pro veritate vigilat D. Gregorius, dum tria aſſignat principia: *Naturam*, unde ſomnia *naturalia*; *Dæmonem*, unde *dæmoniaca*; *DEUM*, unde *Divina*, Del Rio Interprete, ſuam trahunt originem. *L. de div. per inſomn.* *L. 8. mor. c. 13. l. 4. dial. c. 48*

LEUC: Nî me fugit memoria, plura è Magno Gregorio cauſarum genera affert Pererius. *MEL:* Affert: ſed quæ ad tres hóſce fontes ſuâ ſponte veluti confluunt. Natura ſiquidem pro diſpoſitione varia mentis & corporis, varia quoque movere ſolet inſomnia. Fac enim in corpore, atra bilis prævaleat, & ſomniantem terrebunt ſpectra, quæ in ſpelæis Colchicis creat thavmaturga Medææ Soboles: nunc eum in fugam agent annoſæ Stryges, aut è Circes Gynæceo equeſtres in hirco vetulæ: nunc fumoſos in capite vortices gyrabit nubilus; per vaſtas ſolitudines errabit tetricus; vagabitur per triſtes tenebras, horridáque noctis ſilentia formidoloſus: nunc obſcuros ingredietur Dionyſij carceres: nunc ſentire ſibi videbitur Ixionis rotas, Diomedis equos, vel humano ſanguine fumantes Buſiridis aras. Si imperium inter humores teneat cholera, videbis nunc ſomniantem Bellonæ faces, vexilla flavis coloribus horrida, fatales rixas, horrenda prælia: nunc videre ſibi videbitur Martis furore everſa funditùs Ilia: nunc Neroniana ſtupebit Romæ conflagrantis incendia. Si ſanguis ebulliat, jam læta ſomniabit Floræ palatia, mirabitur Tulipæ crocum, ſtupebit Adonidis purpuram, cum aviculis per arbores ſaliet, per aëra volitabit cum Icaro: jam occurrent phantaſtica Bacchi orgia; ridebit Democriti riſus, ſaltabit ad Amphionis cytharam, tripudiabit inter convivia, convivabitur inter tripudia. Si dominium exerceat Phlegma, ſomnians modò gemet ſub onere Siſiphus, ſæpè tardam & mille obſtaculis impeditam molietur fugam: modò inſpiciet pellucidos Narciſſi fontes, modò balneis ſe recreabit cum Cynthia: nunc implebit Danaidum inania dolia, nunc fugitiva cum Tantalo piſcabitur poma, vel mœſta cum Ulyſſe patietur in mari naufragia. Inſuper & illud amat contingere, ut, quæ corpus dormiendo patitur, patiendo animus ſomniet: ſic in ſomno amiſit viſum Ruffinus Cornelius, & eundem in ſomnio ſibi viſus eſt *Plin. l. 7. c. 50.*

*Galen. in l. de præſagijs.* ſus eſt amiſiſſe: ſic ille dormiendo tactus paralyſi, ſomniando in lapidem, velut alter Battus, ſe credidit immutatum. Animi diſpoſitionem, quod attinet, Protheam non immeritò dixeris, tam varijs Morpheum inducere formis aſſolet. Quid enim ſomniat *timore* mortis penè præmortuus, in carcere Manlius, niſi Parentis furores, niſi cataſtas & mille tragica mortis imminentis præludia? quid Niſus *amore* ſaucius, niſi Eurialos? quid Vatiniano incenſus odio Hannibal, niſi Romæ ruinas, Capitolij buſta? quid Columbus, *ſollicitudine* plenus, niſi novos in Orbe Orbes? nempe *multas curas ſequuntur Somnia*, non aliter ac fides cytharæ, ceſſante etiam manu, ulteriùs tremunt, ac tinniunt. Sed & illa, quibus aſſueta eſt vitæ conditio, ſæpe animo ſomnianti oberrant: ſic ſomniat piſcator *æquora, ſtagna, lacus, vada, flumina, retia, piſces:* Venator, *& nemora, & ſaltus, volucrésque, canésque, ferásque:* Bellator, *tympana cum lituis, colliſos enſibus enſes, vexilla & Clypeos, vulnera, mille neces.* Denique alia Somnia movere ſolet intrinſeca corporis, ſive plenitudo, ſive inedia: alia extrinſecus aër, vel ſubin varius quoque influxus Siderum, quæ ſicuti varias in lapidibus, metallis, & plantis generant formas, ita in phantaſia quoque varias, vel movent, vel gignunt etiam ſpecies, virtuti à Sideribus illis promananti conformes.

*Perer. de Som. Annib. Eccleſ. 5. v. 2.*

*S. Greg. l. c.*

*Del Rio l. 4. c. 3.*

LEUC: Lippis oculis ſim oportet, ſi poſthac ſomnia non diſcernam, quæ naturæ ſuos natales debent. Sed illa quis nôſſe poterit, quæ ſive DEUM, ſive Dæmonem Authores habent? *MEL:* Ex Authore partum, ex partu noſces Authorem: malus Genius immittit ſomnia; immittit & Genius bonus, ſed hic ab illo diverſa, uterque in modo diſpar, in fine contrarius, ut facilè ex cauda ſerpentem, & radio ſolem deſumas. Ingrediamur, quo Morpheus filum porrigit, Regionem Somni ſilentem, luſtremus diverſos Somniantium thalamos, & ecce! hìc in fano Serapidis dormit Pelleus Juvenis, diſcítque occulta pro Ptolomæi ſalute medicamina, Serapidi tamen Stygio facilè cognoſcenda: ibi dormiunt tres Orientis Legati, diſcúntque arcana, ſed quæ intimis Herodiani pectoris abſtruſa receſſibus, patére nequeunt, niſi illi, qui dicitur cordium Scrutator DEUS. Hìc in pſychomanteo Paſiphaës audiunt Spartani futura, ſed quæ naturalibus connexa cauſis facilè divinat hæc orci interpres: ibi futura pariter audiunt Joſephi Ægyptij, ſed quæ à cauſis li-

*Ariſtophanes in Plut.*

*Matth. 1. & 2.*

*Cic. Tuſ.*

*Gen. 37.*

ſis liberis dependent, omnémque intelligentiæ creatæ ſphæram longè excedunt, & ſuperant. Hìc in lectiſternijs Amphiaraus ſomniantium turbat humores; hunc ad fatales iras incitat Æſculapius, illum ad libidinem movet Gazæa Venus: ibi ſua ſomnia ſomniant Joſephi nutritij, ſed ſomniando Mundum vigilantē confundunt, dum in ſomnijs diſcunt myſteria fidei, ad quæ Mundus in vigilijs ſomniat. Quid jam dicam de modo? non uno ſe inſinuat cœleſtis Morpheus: nunc terrore concutit Nabuco- *Dan.* 2.
donoſorem; nunc placidâ ſopit Virgulâ Jacobum, ad pedes myſticæ illius ſcalæ attonitum; nunc velato vultu monſtrat ſe Pharaoni; nunc apertâ fronte apparet Danieli. Id tamen luculentum in modo Genij utriusque diſcrimen: Stygius planè horret agnoſci: hinc ementitâ obſcurus larvâ, hominem ſic reddit perplexum, ne primâ ſtatim fronte prodatur. Cœleſtis & ipſe, obſcuriore peplo, non nunquam velatus, ſic tamen ſe prodit, interiori quodam lumine, quo mentem illuſtrat, ſuaviori quodam influxu, quo voluntatem inclinat, ut homo de fide ſomnij planè certus, DEUM non poſſit non ſentire Authorem. Sed quo quis ſpiritu agatur in ſomnijs, è diſpari fine, velut lapide lydio facillimè colliget: tenebrarum Princeps reſpicit Occidentem, Orientem Angelus lucis. Is revelat occulta, ut paſcatur curioſæ mentis inanitas, foveatur ſuperſtitio, ſtabiliatur ſuperbia: hic, ut promoveatur propria, vel aliena utilitas, declaretur
fidei veritas, deſtruatur error: *per ſomnium loquar ad Prophetas.* *Num.* 13
Is illudit per tela Cupidinis, ut malos impellat ad vitia, bonos *v.* 6.
perturbet, fervidos à pietatis ſtudijs retrahat: hic ſanctiores movet Ideas, ut à vitijs malos retineat, conſoletur bonos, ſegnes
incitet, omnes à malo deterreat: *terrebis me per ſomnia.* Ille pan- *Job. c.* 7.
dit futura, ut perplexitate mentem confundat, erroribus im- *v.* 14.
pleat, præſtigijs elidat: hic ut avertat pericula, in dubijs doceat,
in agendis, cavendíſque præmoneat, inſtruat: *per ſomnium eru-* *Job. c.* 33
*diens eos inſtruit diſciplinâ.* Verbo ille pro ſcopo habet, ut no- *v.* 15.
ceat, hic ut proſit: ille ut ſeducat, hic ut ſeductos reducat: ille
ut ſpoliet, hic ut donis cœleſtibus ditet: *Senes veſtri ſomnia ſomnia-* *Joël. c.* 2.
*bunt:* quia *effundam ſpiritum meum.* Evolve, ſi placet ſacros anna- *v.* 28.
les, & horum ſexcenta leges exempla, in quibus DEUS per ſom- *Gen.* 20.
nia nunc à malo abſterret Abimelecum; nunc ad bonum horta- *Jud.* 7.
tur Gedeonem; nunc Magos in Orientem reduces inſtruit; nunc *Mat.* 1.

Salomonem ditat; nunc denique per Danielem prædicit Regnorum revolutiones inexpectatas, quæ omnia lubebit potiùs legere, quàm audire.

LEUC: Ita eſt; id jam pluribus me, quæſo, edoceas, quænam ſit ſomnijs habenda fides? *MEL:* Neque hac in re, quod mireris, inter Philoſophos convenit; imò mirareris fortaſſe, ſi conveniret. Pythagoræ tribunal ſi adeas, in Stoicorum conſeſſu, non ſine ſupercilio dicet ſententiam, ſomnijs omnibus fidem adſtruet, venerabitur ùt mera Naturæ ſilentis oracula, quibus vel declarantur obſcura, vel futura præfigurantur: nam rerum omnium, inquit, menſura eſt humana conditio: hujus exiſtimatione, non ipsâ rerum naturâ, veritas conſtat, vel falſitas: tale igitur erit unumquodque, quale videtur homini, ſive ſano, ſive inſano, ſive ſobrio, ſive temulento, ſive vigilanti, ſive dormienti. En! bellum argumentum, Philoſopho fanatico, & Stoicorum applauſu digniſſimum. Contrà Xenophanes Colophonius, antiquitate celebrior, quàm veritate, cuncta ſomnia ridet, velut aniles fabulas, & mera cerebri aberrantis deliria. Quid enim? inquit, an non una eadémque omnium ſomniorum natura? par igitur credendi aut omnibus, aut nullis eſt ratio: ſed plerisque negandam fidem, quis negat? nil ergò cauſæ eſt, cur, plerisque rejectis, ſit aliquibus tantùm habenda fides. Adde, ſi certa tibi ſunt aliqua ſomnia, certa ſit illorum effectrix cauſa oportet: at quænam illa? num naturam prætendis? peſſimè; natura eſt ordinis amica, atque conſtantiæ: in ſomnijs, quid niſi confuſio? niſi plena temeritatis eſt inconſtantia? quid niſi ludibria Morphei, quem non immeritò dixeris nugivendulum, jocularem Mimum, naturæ Simiam, fallacem Mercurij Nepotem, cui natale ſolum eſt mendax Creta, cui Sinon nutritius, cui mores Prothei, cujus ſtudia inanes umbræ, cujus Pater de ſtirpe Grajugenum, cujus Mater fabuloſa Antiquitas. An forſan DEUM pro Authore allegas? ſed quàm indignè! nunquid DEUS obibit dormientium lectos, concurſabit grabatos, ſtertentibus injiciet ſomnia, quæ expergefacti vel non ampliùs recordentur, vel non intelligant, vel quod pejus, contemnant? apage ſis: nam DEO digniùs ſenties, pro utilitate humana conſultiùs, rationi quoque convenientiùs, ſi dicas à DEO dari viſa, non ſordidis, non indoctis, ſed optimis & ſapientibus; non dor-

dormientibus, ſed vigilantibus, quia magìs ad intelligenda diſpoſitis; non per ænigmata, ſed apertè indicando, quæ ab homine cupit intelligi. Ita iſti nictantes, & pandiculantes balbutiunt, per extrema, veritatis devia, aberrantes, dum Bæotico ſtupore abrepti, vel omnibus, vel nullis fidem ſomnijs adhibent, oppoſitâ quidem ſtoliditate, pari tamen vecordiâ: nempe ſcitum eſt illud Oratoris Romani, nil eſſe tam ἄλογον ſeu ἀδύνατον, quod non à Philoſophorum quopiam aſſeratur. Nos veritatis ſequamur veſtigia, & viâ mediâ incedamus. Pleraque ſomnia eſſe meriſſima ſomnia, omníque prorſus indigna fide, nemo negaverit, niſi qui ſomniavit nunquam, vel ſemper. Hoc enim liquidò probat phantaſtica ſomniorum natura, quæ per ſpiritus malè diſtortos, per Metamorphoſes imaginum ſubitas conſtanter illudit: demonſtrat experientia, quæ continuò fallit: definit ipſa Scriptura: *ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ vanitates.* Quòd denique *ſomnia non omnia viſa ſint errare*, veritas eſt, quæ nec ipſos fabuloſos aliàs Mythologos latuit: audi Homerum.

*Cic. 2. de divin.*

*Eccleſ. c. 5.*

*Odyſſ. 7.*

*Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur*
*Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:*
*Altera candenti perfecta nitens elephanto,*
*Sed falſa ad Cælum mittunt inſomnia manes.*

Nempe, more poëtico, fabuloſo cortice veritatis involvitur nucleus, quam qui cum Xenophane negat, ſuperſtitionis poſtulat tot peritiſſimos Podalyrios, qui ægrorum ſomnia ad agnoſcendos, vel curandos etiam morbos dijudicant: inſcitiæ accuſat tot Phyſiologos, qui tanto ſtudio ſomniorum cauſas, ac portenta rimantur: falſitatis arguit ipſa Scripturæ oracula, quibus veriſſima ſomniantes refert Jacobos, Joſephos, Pharaones, Salomones, alióſque ſexcentos, quod jam non eſſet cum dormientibus ſomniare, ſed delirare cum ebrijs, cum phreneticis inſanire.

LEUC: Quòd ſi quæ vera ſunt ſomnia, obſervare vera nil oberit: quod ergò de Onirocriticis tibi judicium? *MEL:* Illud Eccleſiaſtis: *qui attendit ad inſomnia, quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum:* quia *multos errare fecerunt ſomnia.* Cujúſque ſomnij, quoquo modo contingat, etſi raró, etſi temerè atque

*C. 34.*

fortuitò, habere curam, *Fatui* eſt. Ita pendere à ſomnijs, ut vitæ normam ad eorum amuſſin quis dirigat, faciat aliàs omittenda, omittat aliàs facienda, *Stolidi*, & ſupra Stoicos fanatici eſt. Exiſtimare, quòd futurorum indicia, ſomnijs, etſi nullam connexionem habentibus, inſint, *Impij*: quòd promiſcuè quibusvis à DEO præſignentur futura, *Superſtitioſi*: quòd à Dæmone præſignari omnia poſſint, *Sacrilegi*: denique ſomnijs, velut è Diphthera Jovis, colligere & divinare futura, eſt prorſus *Idololatrici*. Sed horum abuſus prudenti Philoſopho Onirologiæ non tollit uſum, atque licentiam. Sunt ſomnia, quæ nec malè, nec imprudenter obſerves: nam ſolent, neſcio, quo pacto per tenebras, dum quieſcimus, noſtrorum ùt vitiorum, ita & virtutum ſpecimina, quibus multùm aſſuevimus, ſeſe prodere, & in ſomno plerumque palàm facere, qui, qualésque fuerimus, antequam dormiebamus. Memini ego, ait Author acroamaticus, fuiſſe, qui ſua alijs facinora, nullis alioqui fidiculis exprimenda, per ſoporem intempeſtivè diſerti, prædicarent: memini viſos, qui noctu præliarentur, ſtrictóque pugione domum percurrerent: & experimur, aliquos noctu culullos & vina, aliquos fritillos & aleam poſcere. Nempe *qualibus in rebus multùm ſumus antè morati*, ùt canit ille, noctem quoque, ſomnúmque traducimus. Hinc adeò dormientes inſuêrunt, *Cauſidici cauſas agere, & componere leges: nautæ contractum cum ventis degere bellum.* Idque non aliâ causâ, quàm quòd animum his ijſdem curis, ſtudiíſque vigiles occupârunt. Quid igitur mirum, ſi conſopitus, animum à Simulacro Cypridis non divertat, qui oculos antè, per omne Cupidinis theatrum, traduxerat? quid mirum, ſi ſomnians Tibulli lepóres aucupetur, venetúrque Catulli paſſeres, qui vigilans Propertij Cynthias, Biblidásque lectitârat. En! non inanem Onirologiæ uſum, atque licentiam. Fac enim tibi Morpheus ſordidis phantaſiam illuſionibus inquinet: occaſiones de die datas examina, deprehenſas cave. Quòd ſi terriculamentis animum turbet, ſæpiúsque infeſtet, ſcrutare originem, & humorum intemperiem temperando, te à moleſtijs libera. Si denique nunc ad flagitia, nunc ad virtutes impelli te ſentias, in Authores inquire, malum ut fugias, bonum verò ſequaris. Juvat hìc addere Syneſij monitum, non utique ineptum, ſi Phantaſum illius in ſenſu veriore intelligas. Ait hunc

ſpiri-

ſpiritum moderato victu, ingenuis ſtudijs, tenore vitæ ad ratio-
nis leges exacto, ſedandíſque animi perturbationibus præpa-
randum, ſi grata, quietáque habere ſomnia animus ſit: Pytha-
goras certè cubitum non conceſſit, niſi priùs ſuavi cantu de-
mulſiſſet Phantaſum, cytharæque modulamine, ad læta ſomnia
invitâſſet. Sed quod Pythagoræ cythara, hoc Chriſtiano Phi-
loſopho ſunt nocturnæ preces; his fidibus delinitus, fidem non
franget infidus aliàs Morpheus.

LEUC: Teneo cryſin de Onirocriticis: ſuperſunt Noctam-
bulones, quos vocant, de quibus tuam quoque mentem perci-
pere, etiam atque etiam cuperem. *MEL*: Mira horum ſymp-
tomata oculati teſtes confirmant: Morphei excubitores, ſom-
níque portenta diceres, adeò vigilantium more loquuntur, re-
ſpondent, diſputant, ſcribunt, ambulant, operantur. Sed de-
bentur hæc paradoxa virtutis imaginatricis potentiæ, quam in
talibus propemodum thavmaturgam ſtupet Philoſophia: huic
quoque febricitantes ſua ludibria, phantaſtici imaginarias exta-
ſes, deliria ſua phrenetici, prægnantes ſuos non rarò debent ab-
ortus. Fuit nonnullis phantaſia adeò turbida, ut quamvìs Iro
affines, crederent ſe Mundi Monarchas: imò ut ipſimet ſeſe
mortuos promulgarent, facti & ſui funeris comites, ac veſpillo- a.
nes. Hi malè delirant in phantaſia; pejùs alij de phantaſia, dum *L. de an.*
ejus vim ſeſe porrigere, in remota quoque corpora, autumant. *ſ.4.c.4.*
a. Avicennam ſi conſulas, dicet, te ſolo animæ præſtantioris im- 2.
perio, remotiſſimos faſcinaturum, vel ſanaturum: 2. ſi Alkindum, *L. de*
admittet, per phantaſticos quoſdam radios te moturum loco *Imag.*
res etiam diſſitas: ſi Michaëlem Montanum 3. tuebitur aucupem, 3.
virtute phantaſticâ, detracturum de Cœlo volucres: ſi Paracel- *L. 1. des*
ſum, 4. concedet per ſpiritus, vi imaginationis expulſos, te dedu- *eſſais c.2.*
cturum de Cœlo imbres, tonitrua, fulmina: ſi Pomponatium, 4.
5. aſſeret, per ſpecies imaginarias aurei montis, producturum te *L. de*
aureos montes: & ſi quæ ſunt alia fanaticorum ſive ludibria, ſi- *Imag.*
ve incantamenta, quibus ut fidem adhibeas, phantaſiâ pari, pa- 5.
ríque helleboro indigebis. In eo tamen ſaniores inter Philo- *L. de in-*
ſophos convenit, virtutem phantaſticam plurimùm poſſe in cor- *cant. c.3.*
pus imaginantis, multùm quoque in alienum, ſi accedat arcta
conjunctio, & ad recipiendam affectionem habilis diſpoſitio.
Probat hoc Jacobi Patriarchæ induſtria, qui de ſe canere illud *Gen.30.*

a. Poëtæ poterat. a. *Me docet ipſa Pales* (Angelum putat Theodo-
*Calpurn.* retus 2.) *cultum gregis: ut niger albæ terga maritus ovis naſcenti mutet*
*Eclog.* 2. *in agna.* Demonſtrant tot ſtigmata, quæ à prægnantum phanta-
2. ſmate infantibus impreſſa, quotidie oculis uſurpamus: teſtantur
*Q.* 88. *in* hiſtoriæ, 3. quæ à matribus, aſpectu animalium territis, nunc gli-
*Gen.* ris, nunc urſi, vel ſimiæ ectypon prodiiſſe, authoritate minimè
3. vulgari perhibent, & obſervant. Jam corpus imaginantis, quod
*Delrio* attinet, nemo facilè Divo Thomæ 4. diſſentiet, juxta quem facul-
*l.* 1. tas phantaſtica in ea, quæ naturali ordine illi cohærent, poteſt
4. omnia; in ea, quæ inconnexa, poteſt omninò nihil. Phanta-
*C.* 3. *q.* 3. ſia certè non adjicere poterit ſtaturæ tuæ cubitum unum, alios
tamen poterit, cóſque ſat miros in corpore producere effectus.
Nam finge tibi hominem, quales eſſe ſolent Noctambuli, cui
apprehenſio vehemens, acris imaginatio, cui perturbatio fre-
quens; in hoc ſi, ſopitâ etiam mente, ſeſe levent phantaſmata, ſi
vivis coloribus rès, ſenſibus hauſtas, adumbrent, excitabitur mox
appetitus ad timorem, vel ad amorem, nunc ad iram, vel ad tri-
ſtitiam: his motibus jam aliter atque aliter affectus, nunc frigo-
re torpebit, & impalleſcet, nunc calore rubeſcet, atque exiliet:
nunc loquetur, nunc operabitur, nunc objectum proſequetur,
vel fugiet, quæ omnia in Noctambulis cernimus, & admiramur.

LEUC: In mentem hìc mihi venit ſymptoma aliud, quod
non ita pridem ſomniantem turbaverat. Somniabam, neſcio,
quas ingratas cum Hecateâ nuru aliqua rixas: luctabar inaniter,
conflictabar, ſed ſine viribus; clamare parabam, ſed non pote-
ram, quia oppreſſus à pondere incubantis, ac vocem, & penè
ſpiritum ſtrangulantis Canidiæ: quid quid ſit, dejectam ex hirco
ſtrigem, rebar, edentulam, quæ verſis in me furijs, infami pon-
dere non tam luctantem premeret, quàm opprimeret. *MEL:*
Vulgi errore abriperis; quam tu volaticam Camillam exiſti-
mas, græco nomine Ephialtem Philoſophi nominant: quod
ſymptoma gaſtrimargiæ ſuum debet horoſcopum. Nam ubi af-
fluit alimenti ſatietas, impar culina eſt, ſuccumbit labori ſtoma-
chus, unde mala concoctio: quid ergo mirum, ſi crudi vapo-
res, ſi ſanguis minimè defæcatus, ſi ſpiritus obſcuri & tetrici
evadant in cerebrum, ſi ſuo pondere aggravent, & velut incu-
*L. de di-* bi terrificam moveant ſomnianti imaginem? accedit, quòd ob-
*vin. c.* 1. ſervante Philoſopho, ea quæ ſomniantes percipimus, majora

longè

longè videantur eſſe, quàm ſint: cùm enim ſenſus ſopore obtuſus, limatâ criſi, diſcernere objecta nequeat, quibus afficitur, ad notiſſima in eo genere, adeóque majora longè convertitur: fac enim, pituita aliquantulùm dulcis, defluat in dormientis palatum, in Samſonis favos incidiſſe ſe ſomniabit: ſi ſonus exiguus aures pulſat, Jovis tonitrua, Enceladum fulminantis, audire ſibi videbitur: ſi calor modicus partem corporis occupet, Phalaris tauros ſibi finget, iiſque cremari vivum ſe judicabit. Hinc eſt, quod & tu nuperrimè, ſpiritus cerebro incubos ſentiens, injecto te opprimi Caucaſo, vel à furiatâ Circe te ſuffocari putaveris; quod onus ut quis excutiat, conatur, luctatur, ſuſpirat, ſuccIamat, & tamen *in medijs conatibus æger ſuccumbit, nec lingua valet, nec corpore notæ ſufficiunt vires, nec vox aut verba ſequuntur.* Habes mali originem ſtomachi debilitatem, humorum colluviem, quam, ſi te amas, cave: ſunt ejusmodi ſymptomata morborum gravium certa & formidanda præludia. *Virg.* 12. *Æneid.*

LEUC: Superſunt leviora de ſomnijs dubia, quæ abſque Alexandri gladio, nî fallor, ſolves. Et imprimis quidem, cur ſomniantes, multiplici varietate fallaciæ, nunc ſibi videntur audire, nunc intueri, nunc legere, nunc cum Eurialis colloqui, cùm tamen res ita ſe minimè habeant? cur videre ſe putant nunquam aliàs viſa? cur audire nunquam audita? cur animo obverſantur tam nova, tam extranea & portentoſa, ut aliquando nec pes, nec caput debitæ reddantur formæ? *MEL:* Eam habent imagines, quas ſenſus interni formant, naturam mirabilem, ut artem longiſſimè ſuperent. Adonidem pingit Apelles, ſed mutum ſine voce, immobilem ſine geſtu: eundem tibi phantaſia depingit, ſed viventem, ſed loquentem, ita ut, clauſis etiam oculis, actiones videas, ſopitâ aure percipias ſermocinantem: ſed nempe hæc eſt phantaſmati virtus, ut non modò repræſentet rem ipſam, ſed rei quoque adiuncta, loquelam, formas, figuras, loca, & actiones: unde cùm ſenſus ſopiti operentur quaſi per umbram, & ratio ligata errorem diſſimulet, hæc omnia non aliter obveniunt ſomnianti, ac vigilanti. Alterius dubij cauſam in vapores & ſpiritus Stagirita refundit: hi enim in cerebro divagantur ſine lege, turbant ſimulacra ſine ordine, commiſcent tumultuarij, hebetant confuſi: unde eſt, quòd, animâ otio indulgente, vicarium regimen imaginatio occupet, quæ

proin

proin, pro ſua indole ineptâ, ſpecies, velut pendentes in aëre nubes, nunc in hanc, nunc in illam mutat figuram, ex ijſdem variè combinatis, nunc hæc, nunc illa formare ſolet Idola, ut nil tam præpoſterum, nil tam monſtroſum cogitari queat, quod ſuâ Virgulâ creare nequeat Morpheus, etſi imagines nullæ de novo ſenſibus internis accedant. Ex his jam facilè liquet 1mò, cur hæc ipſa non accidant vigilantibus? animâ enim, ad clavum ſedente, ceſſat confuſio, vapores turbidi non obnubilant cerebrum, nec ſpiritus, vagâ licentiâ, tumultuantur, ſpeciéſque perturbant. Liquet 2dò, cur ſub auroram clariora, minúſque diſtorta ſint ſomnia? quia nempe vaporum copia, ſomni decurſu jam diminuta, ipſáque ſpirituum agitatio jam facta remiſſior, non ita ſenſuum internorum functiones perturbat. Liquet 3tiò, cur ineunte ſomno, præſertim ſi à menſa ſtatim ad culcitram, non illicò appareant ſomnia? quia vapores vehementiùs agitati, ſic confundunt imagines, ut veluti in aquâ motâ, ac turbidâ evaneſcant. Hæc ipſa ratio declarat, cur temulentis & helluonibus, vel nulla, vel confuſa appareant ſomnia? nam ſicut radios rotæ, citatiſſimâ vertigine circumactæ, non percipis; ſicut circulorum Mæandri, per plures lapillos, ſtagno injectos, ſeſe interſecant, atque confundunt, ita turbulenti vapores, motu ſuo perplexas reddunt imagines, ſomnianti non facilè diſcernendas. Liquet denique, cur aliqui totâ vitâ non ſomnient? quia ſpiritus habent tam agiles, tantámque exſpirationum vim ejaculantur in cerebrum, ut oſtendendis per quietem imaginibus locum minimè concedant.

LEUC: Mihi certè jam non occurrit, quod de ſomnijs curioſus indagem. Haſtam ſuſpendo, ſi quid occurrat tibi, & Sphingem age & Oedipum. *MEL:* Occurrit ænigma unicum, quod diſcurſui noſtro imponet epilogum. Datur in rerum natura *malum lætificans*, datur *bonum contriſtans:* quid illud? ſomnium dices, & meritò: nam ſomniavit Principum non nemo, ſceptro ſe ſpoliatum, & purpurâ, non jam Cræſi palatia, ſed Iri mappalia ſeſe incolere: evigilavit, & unà cum ſomnio fallaces umbras lætus diſcuſſit: en! *malum lætificans.* Fuit & alius, cathedrali honore conſpicuus, qui, cùm gemino in loco, Epiſcopos vita ſimul & dignitas deſeruiſſet, utriusque honoribus inhians, noctu per ſomnium, duos ſibi baculos offerri conſpexit,

iiſque

iíſque geminum ſibi pedum portendi credidit, vanus Augur: nam altero die, ex equo graviter in terram afflictus, cùm crus utrumque fregiſſet, grallásque ſibi ad promovendum corpus dari conſpiceret, exclamavit: ô fallax ſimul, & verum ſomnium! & ecce! hic *bonum contriſtans.* Bene igitur ſomnium dixiſti illud, quod bonum evigilantes amiſiſſe dolemus, quod malum experrecti evaſiſſe gaudemus.

LEUC: Hoc ænigma, credo, illi quondam Philoſophi ſolvent, qui dum in vita ſomniârunt, in morte tandem, ſed ſerò nimìs evigilant. *MEL:* Ita eſt; quærant, ſi lubet, qui ſomniando Mundum adorant, quærant, inquam, quid ſentiant jam vigilantes, poſtquam in cogitationibus evanuêre ſic ſomniantes.
Heu! 1. *veluti ſomnium ſurgentium, Domine, imaginem noſtram ad nihi-* 1.
*lum redigis.* 2. Turbati ſumus *inſipientes corde, dormivimus ſomnum* *Pſ.* 72.
*noſtrum, & nihil invenimus in manibus noſtris.* 3. *Quid profuit jam no-* 20.
*bis ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt* 2.
*illa omnia, tanquam umbra.* 4. *Ecce! velut ſomnium avolans non inve-* *Pſ.* 75. 6.
*nitur exiſtimata felicitas, tranſiît, velut viſio nocturna.* Quærant, 3.
ſi lubet, inter Philoſophos Regem, inter Reges Philoſophum, *Sap.* 5. 8.
ſapientiſſimum, niſi Aras poſuiſſet mundanæ vanitati, feliciſſi- 4.
mum, niſi ſomniando nimiùm indulſiſſet vanæ felicitati: quæ- *Job.* 20.
rant, & gemens ingemiſcet: *omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non* 8.
*negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur: ſed* *Eccl.* 1.
*in omnibus inveni vanitatem, & afflictionem ſpiritûs.* Verbo: *vani-* & 2.
*tas vanitatum, dicit Eccleſiaſtes,* & omnia vanitas. Quærant inter Doctores, Doctorum Phœnicem, Auguſtinum, & ſuam exprimet in hæc verba ſententiam: *omnes iſtæ felicitates ſæculi, quæ videntur, ſomnia ſunt dormientium: nam quomodo qui videt theſauros in ſomnijs, dormiens dives eſt, ſed evigilabit, & pauper erit: ſic omnia iſta vana hujus ſæculi, de quibus homines gaudent, in ſomno gaudent. Evigilabunt, & invenient, ſomnia illa fuiſſe, & tranſiiſſe, ſicut dicit*
*Scriptura, velut ſomnium ſurgentis.* Quærant inter Sapientes Mun- *Ep.* 105.
di Octavum, Bernardum intelligo, & ex híſce præmiſſis deducet concluſionem: *ergò ſi ſapis, deſine ea ſequi, quæ & aſſequi miſerum eſt: beatus, qui poſt illa non abiît, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant: an non ea ſatiùs cum honore ſpernis, quàm cum dolore perdis? an non ea prudentiùs Chriſti cedis amori, quàm morti?*

LEUC: Onirocriticos hóſce, ſi Philoſophi in ſuis ſomnijs conſulerent ſæpius, dormirent, credo, ſecuriùs, certè feliciùs evigilarent. Sed ignoſce, unum eſt, quod in te miror; quòd præter morem, tu nullum diſcurſui Patronum hodie; quòd nullum in tua Poëcile ſanctiorem tu mihi Morpheum, cujus exemplo ſic dormiamus in poſterum, ut ad ſanctiorem vitam evigilemus. *MEL:* Rectè mones, ſic in avia me deduxit diſcurſus, ut in epilogo quærendum mihi exordium. En! Beatum Sylveſtrum, fabuloſum minimè Morpheum, qui ſuo exemplo faciet, ut ſi minùs dormiamus, ſaltem oculos claudamus, ne amplius videant vanitatem. Auximi natus, in Piceno Juventutem trivit, vel attrivit potiùs: nam Philoſophiam ſomniando exegerat, Profeſſore Phantaſo, qui per formas varias, deformaverat potiùs, quàm formaverat hunc mollem Sophum. Illius ſtudium, vigilare noctes, dormire dies, vivere Mundo, & mori Cœlo, elegantium formarum eſſe amorem, & amatorem: ſed lethargum illi excuſſerant veſpillones; nam fortè fortunâ ſarcophagum eruebant, quo non ita pridem reconditum corpus adoleſcentis, dum viveret, nobilitate & divitijs inclyti, nec non elegantiâ formæ, ad miraculum exculti. Aderat ſpectaculi arbiter Sylveſter, cúmque occidiſſe oculorum tam lucidas ſtellas, defluxiſſe turpiter aureos illos capillos, turbatam putore illam frontis ſerenitatem, exſpirâſſe illam oris ambroſiam, illum genarum dulciſſimum riſum, illum denique, quem tota urbs ardebat, ignem omnem in pauculos ſubſediſſe cineres videret: *heu mihi!* exclamavit, *niſi cum mente ſanâ, oculos etiam abſtulit Venus, in hoc ſpeculo meum video vultum. Video planiſſimè: ſum, quod hic fuit, & verò ero non multò pòſt, quod hic eſt:* verba hæc gemitus interruperant, lacrymis deinceps loquentibus: abiît, ſed melior, quàm acceſſit: excuſſit ſomnum, & ex ſuſpirijs ſenſit, tandem aliquando ſe vigilare: aperuit oculos, vidítque formas, quas hactenus credidit ſubſtantiales, fluxas nimiùm eſſe, & accidentales. Agnovit ex hoc Naturæ ludo, à Phantaſo conſtanter ſibi illuſum, ſomniâſſe ſe ſomnia, nec niſi inanibus umbris hactenus inhiâſſe, Hinc, relictâ Patriâ, deflevit ſolus, quod cum multis peccaverat. Sed nihilominùs diu ſoli eſſe non licuit: accivêre gemitus, ſimiles ſocios, quíque ſomniantem ſecuti ſunt, ſecuti quoque ſunt vigilantem: quos ipſe meliore Philoſo-

loſophiâ excultos, ad laureolam feliciter promovit, quam Diſcipulis, atque Magiſtro Cœlum dedit glorioſiſſimam.

LEUC: Admiror hac in Laureolâ tam fauſtam Philoſophiæ coronidem: ſed quibus putas, doctrinam hanc, Mundo novam, ſtabilivit principijs? *MEL:* Dabo illorum Epitomen. *L. de reſur.* Theſin primam deſumpſit ex D. Ambroſio, qui Philoſophiam nil aliud eſſe dixit, quàm *meditationem mortis:* hinc Plato prorſus divinè: *rectè Philoſophantes ſoli morti ſtudere* aſſeruit, utpote *In Phædone.* quorum meditatio unica, *animam ſeparare à corpore:* addit Macrobius, accomodè in Platonis ſententiam: *mori etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore conſtituta, corporeas illecebras, Philoſophiâ docente, contemnit, & cupiditatum dulces inſidias, reliquáſque omnes exuitur paſſiones.* Theſin ſecundam poſuit ex Regio Davidis Oraculo, *homo vanitati ſimilis: dies ejus ſicut umbra prætereunt.* Nem- *Pſ. 143.* pe *omnia ſomnia*, ut bene dixerit Plato, nos ſimiles illis, qui in *L. 7.* ſubterraneâ ſpecu, oſtenſas in umbra divitias, mirantur & concupiſcunt: hinc concluſit cum Divo Ambroſio: *relinquamus um- L. de fug. ſæc. c. 5. bram, qui Solem quærimus, deſeramus fumum, qui lucem ſequimur.* Theſin tertiam mutuavit ex illo Servatoris repetito ſæpius monito; *vigilate*: nam *tempus non erit amplius.* Somnus à Natura nobis ingenitus, ſed propter vigiliam: dormire oportet, ut vigilemus. Sed quàm malè multi obſervant hoc monitum, qui in Naturam injurij, vigilant noctes, dormiunt dies, quóſque Heſperus in tripudijs vidit, Phoſphorus ſomnolentos miratur, in meridie Phœbus obſtupeſcit altùm ſopitos. Samſon dormiendo perdidit crines, cum crinibus vires: dormiendo his creſcunt crines, decreſcit tempus, augentur vires, minuitur virtus: non enim, velut dormienti Timotheo in caſſes venêre Urbes & Regna, ita iſtis ſtertentibus, ultrò ſeſe aperient Sidera: *Regnum Cœlorum vim pa- Plut. in Apopth. titur.* Denique quartum modum ſciendi, præ reliquis inculcavit, quo diſcerent ejus Diſcipuli: *bene mori.* Stagirita, modi hujus oblitus in vita, certè ſtatueret hunc redivivus: hunc ſolum, qui didicerit, totam D. Sylveſtri didicit Philoſophiam. Sed quæ noſtri temporis eſt infelicitas: piget diſcere, iuvat dormire: mirum ſanè, quòd mortem ſic horreat Juventus, ſomnum ſic amore depereat; Homero ſi fides, *ſomnus eſt frater mortis:* ſi Horatio, mors eſt *ſopor perpetuus:* O *ſtulta, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?* dormi: *longa quieſcenti tempora fata dabunt.* *Ovid.*

Catull. Dormi: *nam nox eſt omnibus una dormienda*: dormi, ſed cave, ne tibi mors dicat, quod olim vigili, malè vigili, quia dormienti, Plat. dixit Epaminondas Thebanus, dum eum haſtâ confodit: *talem relinquo, qualem invenio*, & utinam! jacentem ad Auſtrum potiùs, quàm Aquilonem. Sed tandem ſatìs: cui Theſes hæ diſplicent, legat ſtatuta, quæ ſuis Philoſophis Divus Sylveſter: accepit illa à mortuo, ut bene viveret: tu accipe à vivo, bene ut moriaris.

# STATUTA ACADEMICA.
## *Ex mandato Mortis Peripato affixa.*

*Stato Philoſophe,*
*Statúmque tuum lege, & elige*
*In his Statutis.*
Primò:
Statutum eſt mori.
Hæbr. 9. 27. *En! Philoſophiæ initium à termino ſumitur,*
*In quem reſolvitur propoſitio vitæ:*
*Ut ſcias,*
*Quòd ablatâ per mortem copulâ,*
*Non niſi duo extrema remaneant,*
*Quæ quia extrema, ad terminos ſpectant,*
*Fauſtæ vel infauſtæ æternitatis,*
*Ut vel prædicentur in Cælo,*
*Vel pœnis ſubjiciantur in orco.*
*Illud in mortis Logica mirum,*
*Quòd ipſa reſolutio reſolvatur in terminum:*
*Nam terminus mors eſt:*
*Non ſignificativus,*
*Quia nihil ſignificat:*
*Et hoc ipſo ſignificativus;*
*Nam multum ſignificat, quia nihil.*
*Categoricum teſtantur mortui omnes,*
*Quia abſolutè inevitabilem:*
*Nam è tumulis clamant:*
*Morimur omnes;*
*Fuimus, qui es; eris, qui ſumus:*

*Fuimus,*

*Fuimus, non ſumus; es, non eris.*

Secundò.

*Statutum eſt mori*

Omnibus.

*In Peripato mortis, nulla in uſu diſtinctio:*
*Nam mors eſt terminus abſolutus,*
*Et abſolutè privativus, quia cæcus:*
*Hinc neſcit diſtinguere inter Irum & Cyrum:*
*Inter formas Adonidis & Therſitis:*
*Inter Senem & Juvenem, doctum, ſive indoctum:*
*Sed poſitis cujuscunque vitæ præmiſſis,*
*Sine diſtinctione neceſſitat ad concluſionem:*
*Et utinam! non indirectam.*
*En! quàm nos bene mors doceat,*
*Etſi nihil diſtinguat!*

Tertiò.

*Statutum eſt mori omnibus*

Semel.

*Bis hoc ſemel conſidera:*
*Nam poſt ſe trahit æternum ſemper.*
*Time ſemel errare, ubi nemo bis errat:*
*Errores vitæ licet corrigere,*
*Errores mortis non corriguntur:*
*Nam erráſſe ſemel,*
*Toto Cælo eſt aberráſſe pro ſemper.*
*Nunquam vives bene, ſemel malè ſi moreris:*
*Semel bene ſi moreris, nunquam vives malè:*
*Ubi ceciderit arbor, ibi erit.*
*Difficilè morimur, quia ſemel:*
*Moreremur faciliùs, ſi bis liceret.*

Quartò.

*Statutum eſt mori*

Statuto tempore.

*Nam Deus poſuit terminos, qui præteriri non poterunt:*
*Hìc ſiſtunt gradum etiam Hercules:*
*Quia non plùs ultrà.*
*Illud certum,*

 *Quòd*

*Quòd nil certius morte, nil mortis incertius tempore:*
*Differentia grandis,*
*Inter*
Aliquando, & quando,
*Ut nihil dicam de* quomodo,
*Quia hunc modum etiam neſciunt Modiſtæ.*
*Illud ſat exploratum,*
*Quòd mors futura ſit Echo vitæ:*
*Nam qualis vita, finis ita.*
*Cæterùm*
*Dies ultima latet, ne lateat,*
*Utq́; quælibet inſtar ultimæ obſervetur.*
Quintò.
*Statutum eſt,*
Gen. 3. Revertéris in pulverem.
*Reſolutione non indiget hæc reſolutio,*
*Nam dabitur certò,*
*Et quidem uſque ad materiam primam.*
*Illud mirum,*
*Quòd* per accidens
*Nulla in morte detur converſio,*
*Sed tota fiat* per contrapoſitionem:
*Fuiſti Nobilis, eris Ignobilis,*
*Putreſcet ſanguis, quo gloriaris,*
*Nec inter calvarias, ùt inter ceras*
*Reperietur diſcrimen.*
*Dives es, fies egenus:*
Pſ. 48. 18. Quoniam cùm interieris, non ſumes omnia:
*Et ex centum tunicis,*
*Vix unicus manebit cento.*
*Theſauros ærugo, byſſum corrumpet tinea,*
*Et delicatam cuticulam depaſcent vermes;*
*Lapidem philoſophicum habebis,*
*Sed ſepulchralem.*
*Quid es ſollicitus de auro?*
*Poſt mortem naulo non indigebis,*
*Gratìs vehuntur Divites ad Ditem.*

*Formo-*

*Formoſus es, fies deformis:*
*Palleſcent roſæ, langueſcent lilia:*
*Tres fontis Charites erunt,*
Fœtor, Putredo, Vermes,
*Ut ſic ſpicula mortis retundant telâ Cupidinis.*
*Dum vivis, vive jam Bacchanalia,*
*Mors dabit larvam,*
*Ne agnoſcaris, qui fueris;*
*In die cinerum.*
*Abi Philoſophe:*
*Legiſti Statuta,*
*Sed fac, ne legeris ſine Statuto:*
*Hinc redi,*
*Et ſtatue*, operari bonum, dum habes tempus: Gal. 6. 10.
*Excute ſomnum, ut meliùs dormias,*
*Ne æternùm indormias.*
*Mors ſomnus eſt, & ſomnus mors:*
*Hinc quò plus dormies, vives minùs.*
*Non habes exiguum tempus, ſed multum perdis.*
*Luſu deludis vitam,*
*Quam brevem quereris:*
*Impellis tempus, quod ire dicis velociùs.*
*Non recipis brevem vitam, ſed facis:*
*Inops temporis non eris, ſi non ſis prodigus.*
*Hinc*
*Malo huic Philoſophus provide:*
*Auge annos virtutibus,*
*Atque ut mortem fallas,*
*Incipe immortalis eſſe dum vivis:*
*Oportet*
*Ut futurus æternus,*
*Æternitatem inchoes intra tempus.*
*Somnia neglige, quia vana*
*Nam* tranſeunt:
*Vita iſta Lyceum eſt,*
*Peripateticum te eſſe memento.*
*Si vis in ſæculo vivere,*

*Vel in*

*Vel in ſæculo ſine ſæculo vive,*
*Vel ſæculum extra ſæculum exige:*
*Morere ſæpius, ut ſemel bene:*
*Morere in tempore,*
*Ne moriaris in æternitate.*
*Vigilabis bene,*
*Si hunc ſomnum ſæpe conſideres,*
*Iſaiæ.*14. Super te ſternetur tinea,
11. Et operimentum tuum erunt vermes.

SPECU-




S. Bruno, Pariſiis etiamnum Philoſophus, Phyſiognomiæ verioris arcana docetur à Doctore Philoſopho, qui juſto Dei judicio, occulta judicia revelare juſſus, has è tumba concluſiones protulit: accuſatus ſum, Iudicatus ſum, condemnatus ſum. Faſt: Mar: 6. Oct:

G. Rogg del: I. M. Gutwein sculps:

# SPECULUM PHYSICUM,
## *Sive*
# DISCURSUS VII,
## *De*
# PRINCIPIIS PHYSIOGNOMIÆ.

LEUCOTHEUS. Philoſophis ſpeculo inter dictum hactenus rebar, quia ſymbolo vani tatis, quod Gynæcea ornaret potiùs, quàm Athenæa: ſed ſcrupulum eximis, dum & tua Poëcile ejusmodi peripetaſmatis ſuperbit. *MELANDER.* Non inaniter, ſed philoſophicè ſuperbit hoc ſpeculo, quod utinam! inſpicerent tui ſimiles, forſitan haurirent inde plus veritatis, quàm vanitatis. Artis ſpecula, fateor, proſcribit Philoſophia, & meritò, quia dum formæ lites cum Paride judicant, extra formam Philoſophum abducunt. Nutriat ille potiùs ſylvam in mento incomptam, in qua hircocervi commodè ſtabulentur: frontem caperet, & rugas, nubium inſtar, adducat, unde cometæ, & fulgura promicent; voluminibus indormiat, ut magnum Naturæ librum cerebro complectatur. Hæc ſeveriora Catonis ſtudia: hoc Mundi ſpeculum, vel à Natura, vel à Naturæ nutrice Scientiâ perpolitum, Philoſophia inſpiciendum non modò Sophis permittit, ſed etiam moroſiùs con-

templandum proponit. Hinc ſi Senecæ fides, ſpeculorum inventrix ipſa Natura, primum in oculo nobis propoſuit, dum humori cryſtallino, à tergo adjunxit retinam: ſecundum in aqua, ubi fundum pro plumbo adhibuit, ut ſi ibi ſeſe cernerent Sophi, non cum Narciſſis perirent, ſed, juxta conſilium Socratis, formoſi vitarent infamiam, deformes id, quod negat vultus, virtute redimerent: Senes nihil canitie ſuâ agerent indignum.

*L. 1. natur. Q.Q.*

LEUC: Sed cedò, quid in hoc phyſiognomico ſpeculo, peregrini tu mihi nominis adfers ex Hellade? quid *phyſiognomia?* an hæc Scientia in Peripato cognita? an civitate donata? & quæ ejus principia, ut ſpeculi inſtar Philoſopho ſervire queat? *MEL:* Apparet enimverò, quod Helleſpontum non ſuperaveris: adeò non Athenis modò es hoſpes, ſed & tota in Hellade peregrinus, ut ipſam quoque linguam ignores. Peripatum luſtra, & mox oculis incurret hujus nominis etymon, dum *facultas* eſſe deſcribitur, *qua ex ſignis fixis, in corpore apparentibus, naturam, indolem, mores, ac propenſiones hominum, conjecturâ minimè vanâ, ſcrutatur.* En! genuinum hujus Scientiæ ectypon, cujus veluti fronti inſcriptam hanc leges ſyngrapham: *ex notis ignota.* Scientiæ huius, quam Phyſica ſibi numerat ſubordinatam, tam varia, quàm ſolida ſunt fundamenta, quæ ſua ſponte dabit diſcurſus. Præcipuum, cui veluti baſi tota innititur Phyſiognomiæ ſtructura, nobis inſinuat Princeps noſter Philoſophus, *arctiſſimum nempe fœdus corpus inter & animam,* quo fit, ut una alterius affectiones, motúſque communicatione mutua, conſequatur. En! Scientiæ hujus Achillem, quem ſolidiſſimæ firmant experientiæ, quas jam habemus in temulentis, vel ægris, ubi anima, vel aggravatur à corpore, vel infirmatur: quas jam videmus, in æſtuantibus furore, vel amore, aliíſque animi motibus, quibus mutatione ſenſibili, & ipſum corpus compatitur, & commovetur. Hinc cum Duce noſtro ita concludimus: inter corpus & animam datur mutua proportio, inter affectiones, motúſque ſympatica quædam comunicatio: dari igitur poteſt facultas, qua ex corpore, veluti ſpeculo, colligamus hominis naturam & temperamentum, ex temperamento inclinationes, humores, & mores. Jam facultas ipſa à nobis dicitur Phyſiognomia; adeóque datur Scientia phyſiognomica, quod in ordine ad quæſtionem propoſitam erat hìc demonſtrandum.

*Maurus Præm.*

*C. 1. Phyſiog.*

LEUC:

LEUC: Habeo artis lineamenta, ſed habebo ampliùs, ſi quid naturæ, quid temperamenti nomine intelligas, fuſiùs ex te intelligam. *MEL*: Natura cum temperamento ſynonimῶς accipitur à Phyſiognomis; utrumque pro complexione hominis, qua inclinatur ad hoc, vel illo modo operandum. De hac natura bellè ex Seneca Lipſius. *Natura ſemina bonæ mentis nobis ingenuit, fomites, & ſcintillas, quæ in alijs magìs, minùsque elucent, ùt eſt animi temperies*: de hac Poëta: *naturam furcâ expellas, tamen uſque redibit.* Porrò preſſiùs ſi indagemus, non uno penicillo expreſſam temperamenti effigiem cernemus. Stagiritæ, ſicuti corpus nil eſt, niſi compoſitum ex elementis, ita temperamentum conſiſtit in aggregato ex humoribus quatuor, *nempe cholerâ citrinâ, calidâ, ſiccâ, ſimili igni: ſanguine calido, humido, ſimili aëri: phlegmate frigido, humido, ſimili aquæ: cholerâ nigrâ, ſimili terræ in frigore & ſiccitate.* Avicenna è primis quatuor qualitatibus, quintam quandam & ſimplicem ſibi finxit emergere, quæ, quòd temperatas contineret omnium vires, in ea conſiſtere juſſit temperamentum. Sed meliùs à ſubtili Fernelio *propago* dicitur *ſobolésque permixtionis, factæ è quatuor elementis*: à cujus mente non aberrabimus, ſi temperamentum dicamus *concentum quemdam quatuor principum qualitatum, ex omnium elementorum permixtione reſultantem.* Ita Principes idiomatis Philoſophici, ex ea potiſſimum ratione, quòd in hoc concentu, difformiter uniformi, conſiſtat *inclinatio illa ad hoc, vel illo modo operandum,* quam uno *temperamenti* vocabulo communiter indicamus. Liquet igitur primò, humores ad temperamenta, quaſi ſuas ad radices eſſe quidpiam conſequens, nec ineptè, ad Galeni mentem, nominari *ſecunda veluti elementa, quæ maſſæ ſanguineæ à corde genitæ inſunt*: hinc non ideò quis naturâ terreus, vel melancholicus, ùt aiunt, quia multum atræ bilis habet, ſed quia ex ſua elementorum permixtione, multum atræ bilis habere exigit. Liquet ſecundò, quòd termino communi quidem, ſed minùs phyſiognomico, hunc ſanguinei eſſe temperamenti dicamus, *cùm* hæc (Fernelio Judice) *non temperamentorum, ſed dominantium humorum ſint nomina: neque enim illum temperamento ſanguineo eſſe dicimus, cui multum eſt ſanguinis: niſi dicere velis, quinque cujusvis hominis, qui ad extremum ſenium pertingeret, temperamenta, quia totidem numeramus ætates, humoribus multùm diſcrepantes*: ſic decrepitorum ætas eſt frigida, Juvenum cen-

*L. 2. ad Stoic. phil. diſſ.* 10.

*L. 3. phyſiolog.. c. ult.*

*L. & c. cit.*

*Ibid. l. c. c.* 10.

ſetur calida. Liquet tertiò, unde quibuſdam diſtinctio inter temperamentum innatum, & adventitium; nam latiore vocabulo, cholericum, pro temperamento cholerico acceperunt: quippe ſicuti certum eſt, phlegma augeri poſſe in homine, qui temperamenti phlegmatici non eſt, ita pariter eſt prorſus indubitatum, effectus minimè paucos temperamenti phlegmatici reperiri in eo poſſe, cui tamen contrarium Natura dedit temperamentum: contingit id, vel virtute, vel vitio, vel à cibo, vel alio ex accidente. Teſtis eſt omni exceptione major D. Patriarcha Ignatius: deceperat is, ùt ita loquor, ipſos in Orbis Urbe Principes Archiatros, qui phlegmaticæ eum Naturæ, unanimi calculo, condemnârant, cùm tamen eſſet in excellenti gradu cholericæ: effecit nempe in illo virtus, ut inſitus fibris calor, contra rationis imperium, non prod ret. Neque enim facilè dixeris, omnes Thebaidis incolas, temperamento fuiſſe melancholico, eò quòd longo exercitio, ſilentio & ſolitudini, rerúmque delectabilium contemptui aſſuevêre; nam per humores hos aſcititios non extinguitur primæva qualitatum temperies, ſed ſopitur non nihil, ac tegitur, & injecto, veluti capiſtro, continetur. Liquet denique quartò, à Medicinæ Principe Galeno bene ad calculum revocari novem ſolummodo præcipua hominis temperamenta. Primum eſt temperatum, quod alij *juſtum*, ſeu ad *pondus* appellant, eò quòd æquales à qualitatibus vires participet, juſtáque cæterorum lex ſit, ac regula: non temperata ſunt reliqua octo temperamenta: ſimplicia quatuor comuniùs jam cholerici, ſanguinei, phlegmatici, ac melancholici nominibus appellantur, cùm tamen meliùs longè ignei, aërei, aquei, & terrei nomenclationibus affici deberent, eò quod ùt diximus, ab elementorum principaliùs, quàm ab humorum mixturâ oriantur: hæc, ùt talia, in nullo homine eſt reperire. Conjugatorum innumerabilis eſt variatio, quæ tamen ad quatuor præcipuè ſpecies revocantur, in quibus una qualitas prædominatur, ita, ut altera ſit conjuncta, in gradu ſolumodo excellenti: atque hinc dicitur temperamentum cholerico-ſanguineum, ſanguineo-cholericum, ubi id, quod ſecundo loco ponitur, præcellere intelligimus, & indicamus.

*L. 1. de temp. c. 8*

LEUC: Ad vota prolixiùs, temperamenti ectypon efformâſti, quod equidem Scientiæ hujus divinatoriæ objectum ego

inter-

interpretor. Sed age, animum explica, quam, te Judice, mereatur fidem Phyſiognomia? ſunt, qui illius oracula ad Cingarorum tripodem, velut ſuperſtitionis, aut certè vanitatis evictæ ludibria relegant. *MEL:* Scio iniquam cryſin, ſed quam non ferunt, niſi dictatores illi, quibus cerebrum à dolio ſæpius volvitur, quàm ipſi cum Sinopenſi Philoſopho dolium volvant. Scio rudiorum calumnias, ſed quia rudiorum, non curandas ſcio, utpote quibus ſemper fuit ſolenne, altiora captu, ſpernendo explodere. Caligantes Talpæ ſunt, vel potiùs veritatis lucem fugientes noctuæ: ideò Divinæ huic Scientiæ fidem negant, quia timent, ne vel invitis depingat nativum ectypon, ut non niſi propriâ convicti ſcientiâ, & conſcientiâ fateri cogantur, majorem, quam vellent, Phyſiognomiæ habendam fidem. Hæc ipſa cauſa eſt, cur è Philoſophis multi calamum ſtrinxerint, & nobiliſſimam hanc Philoſophiæ noſtræ partem, ac Divinæ Præſcientiæ æmulam, contra rudentes Zoilos, à probroſo ſuperſtitionis ſtigmate, efficaciter non minùs, quàm acriter vindicârint. Me quod attinet, Phyſiognomiſtis meliori jure, illam adjudico Authoritatem, quam olim vatibus ſuis tribuit ſuperſtitioſa Antiquitas. Prodibant ſæpenumerò, mendaces hi Diphteræ fabuloſæ Conſiliarij, è ſilentibus Idolorum adytis, & veluti divina paſſi, mille debuccinabant ludibria, quæ tamen, divina velut oracula, adorabat ſimplex popellus. Hæc nempe craſſa erant Necromantiæ antiquioris deliria, dum tandem fucatæ huic falſitati larvam Philoſophia detraxit, ac per Phyſiognomiam, veluti meliorem veritatis Magiſtram, ſuos non modò meliùs docuit ſapere, ſed & veriùs docere. Sic enim mecum jam pridem ſtatui: Scientia, quæ non niſi evidentibus nixa principijs, Naturæ arcana rimatur, ignota deducendò per nota, naturali invicem connexa vinculo, neutiquam ad ſuperſtitioſam Antiquitatis Thulem eſt releganda, ſed omnem potiùs, Eruditos inter, meretur fidem: talem eſſe Scientiam phyſiognomicam non negabunt artis periti, negare non poterunt imperiti, ſi paulò profundiùs naturalis hujus ſpeculi fundamentis oculos immergant.

LEUC: Age igitur, Phyſiognomiæ Sacrarium aperi, & remotâ cortinâ, arcana prome Naturæ oracula, novus in Peripato Aruſpex: habes me, velut ex tripode Delphico, ſuſpenſum. *MEL:* Triplicem Antiqui inière ſemitam, per quam ex inſpe-

ctione ſomaticâ naturam, indolem, & propenſiones hominis dignoſcebant: ſed triplex hæc ſemita, non niſi in totidem illos avia deducebat. Primi conſiderabant, *cum quanam animalium ſpecie homo analogiam corpoream præſeferret:* extremitates magnas, pilum durum, fulvúmque, leoni ſimilem, ſi agnovêre, mox leoninæ indolis fortitudinem arguebant: quaſi verò ex hiſce indicijs, etiam cervo communibus, non eodem jure, quis poſſet deducere timiditatem: horum ergò augurium, teſte Philoſopho,
C. 2. mendax eſt, niſi ſtatuatur indicium, quod omnibus, ſolíſque brutis commune ſit, quæ ejusmodi prærogativâ nobilitantur, pateátque hoc ſignum ad hanc unicè ſignificandam, à Natura determinatam. Alij Gentes cum Gentibus comparabant, Thracibúsque, Scythíſque corpore ſimiles, continuò in moribus quoque æquales pronuntiabant, eâdem, qua priores, fallaciâ, ijſdem ex fundamentis facilè refellendâ. Nonnulli è proprietatibus corporis propenſiones animæ divinabant: ſic in iratis notantes ruborem frontis, in timidis pallorem, continuò rubicundos cholericis, pallidos phlegmaticis annumerabant, quaſi verò idem in fronte rubor, habere nequeat diverſam Matrem, nunc iram, nunc verecundiam. Vana igitur fuêre Antiquorum oracula, quia non ex indicijs fixis, ſed tranſeuntibus deſumpta; alia igitur tentanda ſemita, quæ per ſolidiora principia ad veritatis phyſiognomicæ apicem nos perducat.

LEUC: Et quænam illa? *MEL:* E fundamentis, quæ fuſiùs, & ſine numero congerunt Authores, ſelectiora & quidem ſtrictiùs non tam referam, quàm attingam, ne amœnitatem materiæ corrumpat prolixior diſcurſus. Principium primum, quo veluti ſpeculo temperamentum, & indolem, mores ac propenſiones perſpicias, dant *Parentes.* Quis enim tam vecors, tam ſine mente vivit, ut non intelligat, eandem plerumque corporis indolem, veluti hæreditariam dotem, à Parentibus in filios transfundi: etiam lippis decantatum eſt illud; *quòd non degenerem, & imbellem feroces aquilæ generent columbam; quòd non procul à proprio ſtipite poma cadant.* Alterum præbent *Nutrices,* quæ unà cum lacte facilè humores, moréſque ſuos inſtillant, tenerúmque prolis corpus immutant. Perhibet hiſtorica fides, hunc à ſcrofa, illum lactatum à capra, infelici embammate, ſuxiſſe mores ita degeneres, ut prior in luto non ſine delicijs ſe volutaret, alter ſal-

tatim

tatim incedendo, etiam lubens, plantas attereret. Sed & *educatio, præcepta, Parentum mores, Moderatorum inſtitutio* perſæpe ſpeculum exhibent, in quo filios contempleris: nam eandem, vel non multùm abſimilem agendi methodum, conſuetudo ſuæ implantare ſolet Naturæ, & quo ſemel imbuta recens ſervabit odorem teſta diu, Poëta teſte. Fundamentum quoque non modicum explorandæ indolis dant *Orbis plagæ*, vel *climata*, quæ ob diverſos Siderum influxus, ob aëris, aquæ, & terræ varietatem, mores, propenſionéſque hominum mirabiliter variant. Comœdiam naturalem, in hoc Orbis theatro, ſpectare te crederes, ubi Natura ipſa eſt archimima, Actores homines, ejuſdem quidem Naturæ, ſtudijs tamen & linguis, moribus & affectionibus, omni ex parte diverſiſſimis. Hinc aliquæ Nationes ſunt bello inſignes, aliæ ingenio, virtute aliæ, aliæ vitijs. Dicuntur (aliorum Sententiam refero, Paraphraſtes ſolumodo, non cenſor; Nationum nulli infeſtus, quia Mundi civis, cui ex Inſtituti placitis, Patria ubique, & nullibi) dicuntur, inquam, Hiſpani grandes, gravitatis pleni, vultu ſerij, judicioſi, in cœptis conſtantes, Religionis, Gentíſque propagandæ avidi, in Scientijs profundi, Legum & Regum amantes, proni ad mercaturas, honoris æſtimatores, læſæque authoritatis ultores. Gallos ferunt humanos, litteríſque humanioribus deditos, ingenioſos, & bellicoſos, ad arma promptos, veſtitu comptos, geſtibus leves, fideles Regibus, affectos legibus. Italos aſſerunt callidos, ingenioſos, ſed & promptos ad iram, quódque conſequitur, ad vindictam; cultu officioſos, plùs ſcholis, quàm militiæ deditos: aſſerunt, quòd ament cantum, & ſales, ac in menſa ſueverint eſſe frugales; hinc læti convivunt, nec tamen fidunt. Poloni laudantur, ùt generoſi, nobilitatis, & libertatis amantes, equitando verſati, victu duri, apertis etiam tectis ſecuri, ùt ſine muris, ſic ſine curis. Germani prædicantur fide ſinceri, artibus clari, aſperi, laborioſi, in bello fortes, ad magna nati, ſed & potûs amantes, ac Nationibus externis, Prothei in morem, ſeſe facilè accommodantes, In Gentibus externis famoſus eſt Aſiaticorum luxus, Africanorum perfidia, Americanorum acerrima indolis vehementia. Montani dicuntur aſperi, molliores ac deſides feruntur Campeſtres: Maritimi & Inſulani ſæpe prædones, Indi mobiles, ingenioſi, Magiæ ſtudioſi, numero fidentes: Aſ-

ſyrij ſuperſtitioſi, Perſæ, Medi, Parthi, & Scythæ fidentes ſibi: Phryges, Cappadoces mercenarij: Ægyptij ignavi, Afri infidi, Æthiopes animoſi, pertinaces, vitæ, mortíſque contemptores: Sinæ tam ingenioſi, quàm faſtuoſi &c. Hæc, ſive vera, ſive falſa, dicuntur, & unde tanta geniorum & ingeniorum diverſitas? dixi, à ſoli natalis conſtitutione hæc ſuam trahit originem. Teſtis eſt ipſa experientia, qua Suecorum calvas, denſiores duplo, videmus cranijs Germanorum; & unde? niſi, quòd Suecia Polo propior, majori longè rigeſcat gelu. Jam ſi frigori eſt tanta virtus, ut oſſa induret, calori erit vis alia, & diverſo calori vis denuò diverſa: illud autem eſt in confeſſo, animum, inclinatione ſympatica, diſpoſitionem corporis ſequi: tanta igitur, ſit oportet, animorum, affectuum, morúmque varietas, quanta eſt corporum, quam pro diverſitate climatum nemo non eſſe maximam videt, & admiratur.

LEUC: Si varietas climatis ſic humorum temperiem variat, *alimenti quoque diverſitas,* diverſis in regionibus diverſa, aliam atque aliam Phyſiognomis indolem indicabit. Sic legiſſe me memini, in Anglia erupiſſe ſubterraneos quondam homines, quorum viridem frontis colorem alimento humido ex herbis, & radicibus tribuit Phyſiognomiæ cultor Kircherus: nec immeritò; nam compertum eſt denique, eos etiam cum alimentis mutâſſe colorem. Quòd ſi iſtis alimenta colorem, alijs mutare poterunt, & humores & mores. *MEL:* Non inaniter philoſopharis: utì cibus, ſic & *Convictus atque Societas* Phyſiognomiſtico Vati indicium præbent cognoſcendi incognita, & divinandi occulta: quid magìs tritum, quàm illud Poëtæ: *noſcitur ex Socio?* nempe ſicut amor, ita quoque Societas, aut ſimiles invenit, aut facit: oracula hæc ex divino tripode dudum fudit
*Pſ.* 17. Regius Vates: *cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Sed *ætatis* quoque *conditio,* Momicam aperire feneſtram ſolet, ut facilè arcana cordis ominari Philoſophus queat. Prætextatum in foro puerulum contemplare, & quid monſtrat frons florida, lacteúſque in vultu color, niſi mentem ad innocua pronam gaudia? dum, ad Pompeji invidiam, jam triumphat in nucibus, jam molimine Dædalo ædificat luteas, vilia tecta, domos: jam velut in Bucephalo Alexander, equitat in arundine

longa:

longa: quid partes corpuſculi molles, flaccidæ, atque lubricæ indicant, niſi aquam prædominantem, adeòque morbos per ulcera, tuſſes, prurigines, febres, convulſiones, centúmque alias humiditatis noxiæ filias, ac appendices. Adoleſcentem conſidera, occurret turgeſcente ex ſanguine roſeus genarum color, ſcintillantes ex oculis erumpent ſpiritus, mobiles in fronte natabunt ſucci: & quid huic è phyſiognomica Diphtera præſagies Augur? aſperum nihil, jocoſa omnia, inquietum Mercurij hydrargyron appellabis: dices vagum & levem, pertæſum ad ſeria, pronum ad ludicra, candidum, & verecundum: cum Venuſino Vate Protheum pronuntiabis, *qui cuſtode remoto gaudeat equis, & aprici gramine campi, cereus in vitium flecti, monitoribus aſper, utilium tardus proviſor, prodigus æris.* Cúmque ſpiritus & aqua ætati huic prædominentur, cum Hippocrate præſagies febres diuturnas magìs, hæmorragia narium, paucáque alia, quæ adoleſcentiæ incommoda ſolent inſidiari. Id tamen hìc velim, notes, ætatem iſtam tam eſſe lubricam ad quodlibet vitium, adeò mollem & flexilem in omnes partes, adeò vagabundam per omnia, ut nullâ ratione certâ regi, ſed quocunque impellit cupiditas, rapi temerè videatur: adeò ſapienter Sapientiſſimus omnium ætatis iſtius ſemitam, captu dixit eſſe *difficilem.* In Juvenem, Senémque oculos intende, quàm diverſa in utriusque vultu leges indicia, tam quoque argues diverſas indolis proprietates. Illum liberalis, & vividus frontis color teſtatur, alienâ calamitate facilè mobilem, largum, prodigum, opúmque incurium & negligentem: hunc pallor demonſtrat anxium, inquietum, ſollicitum, ſuſpicioſum, avarum, parcum in ſuis, avidum in alienis. In illo calidus ebullit ſanguis, promicant diſtentæ venæ, turgeſcunt ſucci roſcidi, & activi, ex quibus colliges ſociabilem paribus, amicorum amicum, Sodalium ſtudioſum, loquacem, ad luſus pronum: in iſto ſanguis parcus & frigidus, collapſæ venæ, ſucci aquei, crudi, effœtíque, è quibus conjicias tetricum, triſtem, & querulum, deteriora ominantem, moroſum, lentum, & frigidum. Illum ſpiritus copioſi, & impetuoſi indicant gloriæ cupidum, ambitioſum, iracundum, violentum, præcipitem, in affectionibus effrenem, in amandi modo immodicum, ut bellè Seneca, *juventutis vitium eſſe dixerit, regere non poſſet impetum.* Hunc ſpiritus fracti, pauci & acidi reddunt cupiditatibus languidum, impatien-

*Hippor. 3. aph. 24.*

*Prov. 30*

X tem,

tem, obtrectatorem novorum continuum, exactorem officiorum rigidum, inſomnem, morbidum, & vitæ tamen cupidiſſimum: damnantem præſentia, laudantem præterita, exſpectantem obſequia, & exigentem honoris, laudis, & venerationis officia. In Juvene robur virium indicat agilitatem, in Sene debilitas tarditatem: in illo articuli fortes immobilem, in hoc tremuli imbecillem; in illo viſcera mollia monſtrant vigorem, in hoc ſquallida, & exſiccata hebetudinem: in illo concoctionis facilitas ſanitatem, in hoc debilitas languorem: in illo frons explicata ſinceritatem, in hoc rugoſa calliditatem: in illo capil-
*Homer.* litium firmum, *valorem mentis, ſed conſilium tenue*, in hoc calvities cana longam ex uſu prudentiam, ſed cum defluvio crinium mox defluxuram: in illo denique corpus erectum longiorem vitam, in hoc incurvum demonſtrat propinquum tumulum. Et quid nî in terram brevì ſit reverſurus, in quo terra prædomi-
*Hipp. 3. aph. 31.* nans nunc *ſpirandi difficultates, nunc articulorum dolores, tuſſes, vertigines apoplexiæ, vigilias, oculorum humiditates, viſum obtuſum, aliáque innumera gignit morborum genera*, ut non immeritò Hipponenſe Oraculum: *quid eſt aliud videre Senem tremulum, canum, imbellem, infirmum, quàm cernere morientem vivum, aut viventem mortuum?* Sed nec juventutem dominium ſpirituum, oleíque à morbis, & mortis prodromis reddit ſecuram; ſolent illi per febres acutas,
*Aph. 29.* morbos comitiales, aliáque ſymptomata non rarò Libitinæ falci ſubjici, præmatura ſpolia, ut accomodè Poëta:

*Dum loquor in ſylvis, quid ſit formoſa Juventus?*
*Audiît hoc Echo garrula: ventus, ait.*

Ex oppoſiâ geminâ hac ætate, exſurgit media, velut inter æſtatem & hyemem, autumni temperies, ætas ſcilicet virilis. Hujus ſymmetriam, veluti animi iconem, ſi contempleris, reperies in actionibus circumſpectum, in affectibus moderatum, impavidum, non incitatum, non languentem, non præcipitem, inhiantem honori, ſed non immodicè, lucro, ſed non avarè: videbis, ùt incedat in omnibus cautè, aggrediatur ardua, ſuſtineat viriliter, perficiat fortiter; nam ſalis dominio, ſale conduntur omnia, utut morborum acidum non avertatur. Varios morbos huic ætati, quæ durat cæteris longiùs, aſſignat Medicinæ Prin-
*3. aph. 30.* ceps Hippocrates, aſtmata, pleuridites, lethargos, phrenitides, chole-

choleram, homorrhoides, aliáſque vitæ noſtræ miſerias, quibus in omni ætate cogimur exclamare:

*Mille modis morimur mortales: vivimus uno:*
*Sunt hominum morbi mille, ſed una ſalus.*

LEUC: Miror, quòd in hoc ætatis variæ ſpeculo, tam variatum ejuſdem hominis ectypon, detegat Phyſiognomia: Protheum dicerem, adeò diverſas, labente tempore, formas induit, ſuóſque exuit rurſum mores. Si ætatis conditio, nunquid & *Conditio Statûs* augurandi dabit indicia? rationem percipe, quæ rei hujus me penitùs convincit. Obſervaveram ſæpius, Thraſimandrum, dum pari mecum ſorte viveret, amicum; nunc ubi ſupra vulgarem auram, cæca elevavit illum Fortuna, totus alius, alia ore verſat, alia mente ſpirat. In Metamorphoſes Ovidij jurâſſem, niſi oculi fabulam demonſtrarent. Nil loquitur, niſi fuliginoſas Nobilium ceras, herì natus ſtemmatis ſui truncus: ſtudia produnt, gloriæ in Poſteros propagandæ Zeloſum, familiæ amplificandæ percupidum, ſummos officiorum gradus affectantem: geſtus monſtrant molliorem, & delicatum, hoſtem laboris, comptulum, & ſuperbum, inferiores deſpicientem, & authoritatis rigidum exactorem: mores indicant jactabundum, injuriarum impatientem, ſumptuoſum, prodigum cùm de puncto honoris agitur, legum & litterarum, ſi non oſorem, ſaltem contemptorem, in omnibus denique ſe prodit talem, qui ſibi licere plus putet, etiam in vitijs, quàm ulli alteri, natalibus impari. *MEL:* Linguam acuit cholera; cave ne ultrà pergas: diſplicet etiam veritas, ſi tantùm pungat, nec ungat: ſit, quòd Thranſimandro honores mutârint mores, Nobilitatis neutiquam is eſt Prototypon, utpote à quo generoſa Illuſtrium indoles abhorret plurimùm. Interea non diffiteor, è ſtatûs conditione, non raTò colligi ſaltem adventitium, quod aiunt, hominis temperamentum. Sic ratio ſtatûs Cives probat urbanos, affabiles, lautos, & cultos: agricolas contrà duros & aſperos, laborum patientes, deliciarum ignaros. Illos cernimus artifices, ingenioſos; hos indociles, ſtupidos, conſuetudinum tamen tenaces, ac in opinionibus pertinaces. Illos experimur pronos ad factiones, vitijs Urbem inhabitantibus obnoxios: hos ad ſuperſtitiones æquè propenſos, ac veram religionem; aſtutos, lucris ſuis ntentos, facilè irritabiles, ſeditioſos. Martis aſſeclas ſi con-

*Conditio Statûs.*

 tem-

templeris, reperies ùt plurimùm fortes, audaces, temerarios, aſperos, ſanguinolentos: cernes non raró aſſuetos inferendis injurijs, & rapinis: deditos juramentis, & luſibus, Baccho, Bacchíq; pediſſequis, quæ ſæpe militarem ſequi licentiam, cæcus eſt, qui ignorat. Principum, Regúmq; conditio mores format ad Majeſtatem compoſitos, providos, & circumſpectos; ſunt verbis facundi, ſed non profuſi: rerum militarium gnari, & œconomicarum ſtudioſi virtutum: in adverſis ſe probant conſtantes, in proſperis munificos: pollent judicio, ſubditorum calamitatibus moventur, victorijs non inſoleſcunt, gaudent venatione, & luſibus, exercitijs equeſtribus libenter vacant, libentiùs bello: amant celebrari publicis laudibus, per ora ferri Provincias, quibus imperant; ſubditos, qui juſſis obtemperant: dignitatis ac jurium magìs ſunt retinentes, quò magìs ſe judicant potentes: ſed nolo ire per ſingula. Sexûs muliebris effigiem pro colophone juvat annectere, quam fuſiore penicillo, in ſua animorum icone, adumbravit non ignobilis Author. Mores illis adſtruit non raró ſimulantes, infidos & fraudulentos, ſæpe tenaces, nec modicè avaros. In animi affectionibus vult variabiles, mediocritatis expertes, ſi amore flagrent, procaces prorſus, & impudentes, ſi excandeſcant, iræ impotes, & in vindictam obſtinatas: addit etiam ſuſpicioſas, irritabiles facilè, ac injuriarum vel maximè impatientes. Indolem aſſerit levem, aſtutam, utut arcta nimìs ſit prudentiæ ſphæra: laudis cupidam, ambitioſam, ſuperbam, imò ſi opibus polleant, ſi formâ, vel quali quali doctrinâ tinctas ſe putent, ait, intolerabilem. Genium dicit mollem, formæ ad ſtultitiam uſque ſtudioſum; cæterà mobilem, & ad miſericordiam pronum, fragilem ac inconſtantem, qui pro armis non habeat, niſi lacrymas, ſuſpiria, fraudes; qui non pugnet, niſi formæ ſcuto, & linguæ gladio. Sic ille.

*Somnia.* LEUC: Hactenus ſatìs de ſtatu: cur ſomnia ſilentiô præteris? quæ ego veluti ſpeculum Phyſiognomiæ clariſſimum, præ reliquis in conſiderationem adducerem. Si enim Medicis ſerviunt, ad dignoſcenda morborum ſymptomata, cur Phyſiognomis uſui eſſe nequeant ad dijudicanda hominum temperamenta? *MEL:* Rectè tu equidem; ſed de ſomnijs alibi, quæ hìc recoquere palilogiæ vitium foret. Illud non reticebo, *affectiones animi, quæ innocenter erumpunt,* omnium apertiſſimos comple-

*Motus.*

xionis

xionis nuntios eſſe, ac proditores. Effatum hoc liquidò probat Venuſina Vena Poëtica:

*Tu nihil invitâ dices, faciéſque Minerva, &c.*
*Format enim Natura priùs nos intus ad omnem* *De Arte Poët.*
*Fortunarum habitum, juvat, aut impellit ad iram,*
*Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:*
*Pòſt effert animi motus interprete linguâ.*

Non potuit ſcilicet latere hunc Vatem, eſſe aliquid, quod urat intus cholericum, ſanguineum ſtimulet, melancholicum gravet, riget phlegmaticum. Fuit certè in Cyro quidpiam, ut etiam ignarum paſtoritij puderet baculi, dormienti ſceptra fingeret, converſantíque, coævos inter, offerret primas. Quid multis? quàm naturæ ligni proclive eſt, in undis ſupernatare, terræ moveri deorſum, igni levari ſurſum, tam pronum eſt temperamento igneo, excandeſcere; melancholico, judicium obfirmare. Certè conjectura minimè inani, Heraclitum & Bellerophontem, Melancholicorum catalogo Theophraſtus inſcripſit, eò quòd deſerta & invia lamentis, planctúque implerent identidem: eſt enim bilis triſtitiæ primùm, poſtmodùm quoque inſaniæ radix non infœcunda, quæ ſi ſemel frigore, & ſicciferâ tenacitate cerebrum occupârit, acceſſerítque comes hypochondria, de antro & catena tibi proſpice: nam proximus jam ardet Ucalegon.

LEUC: Non difficulter perſuades: ſi enim generoſo Maſſicò eſt tanta virtus, ut teſte Pittaco, *ſicut ſpeculum formæ*, ita *vinum mentis ſit index:* affectui ſubitò elabenti quis ſimilem neget virtutem? *MEL:* Nego ſimilem, & longè adſtruo majorem: hoc argumentum à fortiori in exemplo clareſcet: ob oculos tibi pone tumulatum fortè Cremetem: videbis è cæmeterio abire imprimìs viduam, tantùm non luctu obrutam, ſequi atratos Comites, pullatas præficas & pollinctores: omnium genis ſedet pallor, innatant lacrymis oculi, ora quaſi Riphæo frigore concreta altùm ſilent: ubi domum venerint, veſtes modò, dein etiam gravitatem, paulò pòſt etiam ſilentium damnant: ſubin accumbunt menſæ, mortuale epulum guſtant, cyathos prenſant. Ecce! redit oculis ſiccitas, color genis, ori lætitia. Ipſa non raro vidua, ab epulis ſurgit Sponſa, & antequam ſcriniario capulum ſolvat, cunas dictat. DEUM immortalem! quæ tam diſſidentium affectuum cauſa, niſi falernum? ferunt Legatum

*Apud Athenæum l.* 10.

Principis, Virum aliàs in Pythagoricâ paleſtrâ ſat probatum, Aulæ dolo, ſic poculis ſe proluiſſe, ut mero innatantem linguam in poteſtate amplius non haberet, ſed ediſſereret, vel maximè reticenda. Prudentior Zeno Philoſophus, cùm poſt epulas rogaretur ab Aulicis, quid Regi de eo referrent? *aliud nihil*, aiebat *quàm eſſe Senem Athenis, qui inter pocula ſilere ſciret.* Jam ſi tanta vis vino eſt, ut inducat lætitiam, ſecreta expiſcetur, affectus, diu multúmque vigili ratione domitos, in apricum producat, major erit temperamento, ad affectus proprios inclinandi: eſt enim vino & applicatum magìs, & majoris longè virtutis. Illud tamen te monitum pervelim, me de affectionibus loqui, qui non tam eliciuntur, quàm ſubitò elabuntur: ſiquidem actus, qui libero ſubſunt voluntatis imperio, complexionis non ſemper fidi ſunt Exploratores: videbis, ut efferveſcant etiam aquei, igneíq; ad contumelias miteſcant, ita tamen, ut vel ex modo non difficulter conjicias, iram phlegmatici adſcitam, cholerici naturalem. Denique, ut filum tandem diſcurſui rumpam, *actiones, motúsque corporis*, quia cum actionibus animi, naturali fœdere conjuncti, ſæpe ſæpius temperiem produnt, maximè ſi rationis imperium prævertant. Scintillabat oculis, genibúsque titubabat monſtrum illud hominis, Julianus Apoſtata, & vel ideò, adhuc Juvenis, metum Viris ſanctis incuſſit, minimè inanem, utì demonſtraverat eventus.

LEUC: Ignoſce, ſi filum abrumpis, dimittis invitum: diſcursûs dulcedine irritâſti orexin, non ſatiâſti. Perge, & quæ in genere hactenus, enucleatiùs per partes proſequere: recreabis, certum te velim, non fatigabis. *MEL*: Fruſtrà es: malim te avidum, quàm ſatiatum: ſic redibis lubentiùs. Haſtam ſat fatigatam, cum Pallade inclinabimus pauliſper arbori, ſomno dum indulgemus; in vivum, floridúmque germen excreviſſe interea, licebit forſitan cras admirari. Speculum phyſicum jam inverto, aliud tibi offero Florentinum, quod eſſe librum teſtatur Brutus, *Speculi* nomine appellatum, eò quod Reipublicæ acta præcipua Poſterorum oculis exhiberet. Liber hic *ſpeculum loquens* eſt: illum aperiet aliquando conſcientia propria: loquetur hoc ſpeculum, tacebit nihil. Habete patientiam Phyſiognomi, ſatiabitur curioſitas veſtra. Hoc aliquando ſpeculum inſpicietis, & in momento unico videbitis omnia: hunc conſcientiæ librum in

*In Hiſt. Flor.*

ictu oculi perluſtrabitis, & in inſtanti ſcietis plura de vita, quàm tota vos docuerit vita: habete patientiam, in illo judicio poteritis exercere judicia; applicate vobis oraculum, quod Eloquentiæ floſculus, quem præcoci falce mors indiſcreta demeſſuit, vobis è tumba acclamat:

*Rhetor eram, dixi: conantem dicere plura*
*Parca vetat: mæſtus nunc premit ora dolor.*
*Nullos curo tropos, nullas modò curo figuras,*
*Præteriit vitæ vana figura meæ.*
*Judiciale genus, ſolùm tractare licebit.*
*Væ mihi ſi, causâ deficiente, cadam.*

Judiciale genus tractabitis Phyſiognomi: judicium dabitis, ſed primò veſtrum: ſtatuetis vobis ipſis tunc veſtrum horoſcopum, & utinam aſcendentem! adeſte ergò in tempore, & in conſcientiæ ſpeculo lineamenta veſtra notate; in hoc libro, veſtri animi ectypon, legite, trabalibus litteris deſcriptum. Statutum eſt omnibus mori, ſtatutum eſt poſt mortem judicium. Vix oculi corporis claudentur morte, aperientur animæ oculi. Heu! quale ſpectaculum, inopinatum, horrendum! in primo momento, thavmaturgo lumine illuſtratam, ſtupebit ſe anima: patebunt unico intuitu omnia: ſine disquiſitione ſe prodent occulta, ſine reflexione manifeſtabunt ſe conſcientiæ intima. Videbis cogitationes totius vitæ ſingulas, & ſimul omnes, citra confuſionem: judicabis bonas, vel malas, citra hæſitationem: condemnabis vel approbabis in inſtanti, citra dilationem. Sed & verba ſimul videbis, omnia & ſingula, quin ſis confuſus: à bonis diſtingues mala, à malis pejora & peſſima, quin ſis perplexus: probabis vel reprobabis juſtiſſimè, quin ſis ſuſpenſus. Imò cum cogitationibus & verbis, apparebunt ſimul & ſemel, omnia & ſingula opera, & quidem ſine obſcuritate: bona, vel mala agnoſces ſine ambiguitate: æternâ pœnâ, vel prœmio digna ſenties, abſolutiſſimâ æquitate. Et hæc omnia, intuitu ſimplici, velut in ſpeculo agnoſces: videbis omnia, quæ nunquam vidiſti, deprehendes ſingula, ad quæ in vita minimè attendiſti. In inſtanti patebunt cuncta vitæ inſtantia: in inſtanti eris accuſatus ſine lite, ſine argumentis convictus, ſine ſtrepitu judicatus: in inſtanti lata erit deciſiva Sententia, in eodem inſtanti data effe-

ctui,

ctui, túque vel receptus in Cœlum, vel relegatus ad exilium luſtricum, vel detruſus ad exitium ſempiternum.

LEUC: Superi! quàm horrendum eſt iſtud inſtans! quàm magni momenti eſt hoc momentum! jam non miror, quòd etiam Juſtiſſimi inter Juſtos *vereantur omnia opera, ſcientes, quòd Judex Divinus non parcat delinquenti.* Certè alia ſunt illius judicia, alia hominum: Dominus eſt, nemo poteſt effugere: omniſcius eſt, nihil poteſt latere. Quid dicet tunc Sophus, cùm ad hoc tribunal rapi ſe viderit ſolum, exutum epomide, deſtitutum Patronis? obſtupeſcet ad novam hanc cathedram, ubi omnia apparebunt illi noviſſima, ſupra omnem fidem intelligibilia, ſupra omnem eloquentiam inexplicabilia, ſupra omnem intelligentiam incomprehenſibilia? *MEL:* Ita eſt, fruſtrà formabit Sophiſmata, fruſtrà Ariſtotelicæ afferet argumenta ſubtilitatis: optimè Iſidorus: *ad diſtricti Judicis examen nec Juſtitia Juſti ſecura eſt.* Nihil ibi valebit, quid quid hìc æſtimatur. Sola virtus in pretio eſt, quid quid afferetur præter virtutem, oneri erit. Ut alij taceant, loqui & accuſare incipiet Sophos conſcientia propria: hæc in factis illorum teſtabitur, quod vidit; accuſabit, quod diſſuaſit; laudabit, quod conſuluit. Hæc Philoſopho, juxta Phyſiognomiæ verioris principia, horoſcopum ſtatuet, tam inopinatum, quàm ingratum. Mores deteget primò *ex arcto nimiùm fœdere*, quod anima habuit cum corpore delicato. Dicet Philoſophum non fuiſſe, ſed φιλοσώματον, ſenſuum ſervum, ventris mancipium, corporis jumentum. Dicet, ſic adhæſiſſe carni, ut mores traxerit molles, commoditatum amantes, delicijs immerſos, inconſideratos, præcipites, & inconſtantes: mentem ad carnalia pronam, ad ſuperna obtuſam, ſpiritum flaccidum, & excæcatum, animam vitæ præſentis cupidam, & pertæſam futuræ. Dicet ex arcto nimiùm fœdere duxiſſe vitam prorſus carnalem, deditam vitio, quod D. Paulus etiam nominari inter Philoſophos prohibet: quod D. Cyprianus vocat *ruinam melioris ætatis*, adoleſcentiæ ſcilicet, & juventutis: per quod *Diabolus totum hominem ducit in triumphum*: propter quod, teſte ſancto Remigio, *ſalvantur pauci,* damnantur plurimi. Mores deteget ſecundò, *ex analogia,* quam Philoſophus habuit cum brutis: dicet Philoſophum non fuiſſe, ſed ſubinde præcipitem

*Job. 9. v. 28,*

*De bono Pudicit.*

tem furore Pardalim, ſubin ſtertentem pigritiâ Arcadem: nunc gulâ voracem lupum, nunc luxuriâ fœtentem porcum: dicet fuiſſe Epicureâ de ſtirpe mulum, cujus nepotes dudum D. Hieronymus, antonomaſticῶς, *Philoſophorum pecudes,* appellavit: dicet fuiſſe Sardanapali viperam, vel Sibaritico de partu beſtiam, quæ beatitudinem ſuam in cœno, finem ultimum in delicijs poſuit, in nulla re brutis ſuperior, niſi quòd ratione utatur, ut abutatur, poſsítque deſipere infra pecus. Mores deteget tertiò *ex Educatione peſſima,* peſſimos: hæc non raró corruptela Juventæ, hæc petra ſcandali, hæc Innocentiæ Charybdis. DEUM immortalem! *Educatio,* quæ deberet eſſe via ſalutis, filios ducit in avia ſuæ perditionis. Stupeſcite Parentes, & ſi quos hic titulus complices comprehendit, ſtupeſcite, quòd non niſi nomine ſitis Parentes, re ipsâ filiorum carnifices, & latrones. Stupebitis judicium, quod olim habebitis ex judicio natorum. Heu! Leucothee, quid miramur tot ova in Peripato peſſima, cùm audiamus crocitantes tot corvos? non enim obſcœnæ upupæ, candidam progenerant columbam. Progenerant filios, ne viperarum genimina in Orbe unquam deficiant: pietate crudeli dant vitam unam, ut cum tempore rapiant geminam. Sic inſtituunt, ut in medijs ad ſalutem deſtituant; ſic éducant, ut ſeducant, ſic nutriunt, ut ad macellum Diaboli ſaginent. Non ſat eſt illis in malum præceps Juventus; incitant, ut citiùs pereant; exemplo viam monſtrant ad orcum, ne ſaltem per ignorantiam ſalventur: filios non agnoſcunt, niſi pariter crocitent, & cum vitâ vitia quoque ſugant hæredes. Non ſat eſt illis prona ad interitum Juventus, Moderatores conſtituunt, qui Moderatoribus egerent: immorigeros, ut informando, natorum mores deforment: corruptos, ut filij eò certiùs corrumpantur, & pereant: atque ut pretioſiùs pereant, ſolvunt liberale Minerval, illis ipſis, quibus utiliùs ſolviſſent duplex, ſi natos nunquam inſtituiſſent. O Parentes, minimè Parentes, ſed potiùs tutores conſtituti ab orco: ſed potiùs nutritij, à Diabolo delegati, quorum filijs illud oggeras: *vos ex Patre Diabolo eſtis.* O Parentes, verè locum tenentes illius, qui homicida fuit jam ab initio: nam ipſemet ſi educare vellet filios veſtros, ſceleſtiùs educare nec vellet, nec poſſet; crudeliùs enecare etſi vellet, non poſſet.

Sed ad Conſcientiam revertamur. Mores hæc deteget quartò, *ex Societate* perverſa perverſos. Sat foret perverſus ille, qui inter perverſos negaret ſe pervertendum: quid enim hoc aliud, niſi *inter ignes non uri, inter laqueos non capi, picem tangere, nec inquinari?* Oraculum eſt magni in Spiritu Magiſtri, *quòd qui cum pejoribus appetit converſari, jam ſe moribus depravatum oſtendat.* Hæc nempe mala Societas, Innocentiæ peſtis eſt, gangræna ſerpens, lues contagioſa: mori cupit, quis quis vivere cupit hos inter aſpides venenatos. Optabat Iſocrates, ut ejusmodi Juventæ probra, ſtigma circumferrent in capite, ut Nothi hi eſſent noti, & vitarentur. Noſcis illos Philoſophe (nam crocitando ſe produnt corvos) cur ergò frequentas? audis in aurem, *quòd tantò magìs glorientur, quantò magìs turpes ſunt,* nec tamen fugis, ſed Auguſtino ut probes te ſupparem, *etiam feciſſe te fingis, quæ non feciſti, ne videaris abjectior, quò innocentior: nec vilior habearis, quò caſtior.* Infauſtam Philoſophi ſortem! cùm illum pudet ſui pudoris, cùm erubeſcit, quòd erubeſcat. Grande malum, cùm fingitur malum, quod etiam infectum, factum eſſe optatur: magna miſeria, cùm quis mentitur ſe miſerum, ne inter miſeros putetur felix: quaſi verò non ſit miſerrimus, qui miſerrimis cupit eſſe æqualis; nec ſat ſceleſtus, qui cupit eſſe ſceleſtior, ut ſelectiſſimis teneat æquale pondus. Exclamare libet cum Seneca, licèt Ethnico, Chriſtianis plurimis plùs Chriſtiano: hìc *non plùs ultrà: tunc enim conſumata eſt infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, ſed etiam placent: nam deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Infelicem Peripatum! qui toties experitur, nec dolet, quod malè ſemel expertus Athenienſis Peripatus, & dolere cùm voluit, ſatìs non potuit. Erat ibidem Philoſophus, Carmus nomine, quem ſi dixeris vitiorum ſentinam, Juventæ peſtem, Academiæ perniciem, laudâſti; nam ipſum ſcelus, huic Carmo compoſitum, videri poterat innocens: hic, inquam, Carmus (quæ eſt proprietas malorum peſtilens) ut ſibi ſimiles crearet Philoſophos, coram Academia crexit Aram, Cupidini ſacram, hoc lemate: *amare, & amari:* ut ſic ſcelus oſtenderet, non impunitum modò, ſed glorioſum, quia thure dignum, & Aris. Et ecce! quanta ſit in Socio ſceleſto facultas, ut attrahat; quanta in Juventute infirmitas, ut attrahatur. Habuit ſtygium hoc ſtratagema, tam felicem in ſua infelici-

*S. Paulin. Ep. 2.*

*Hugo de Inſtit. Novit. c. 5.*

*Confeſſ. l. 2. c. 3.*

*Epiſt. 93.*

*Clemens Alex. in Protrep.*

licitate ſucceſſum, ut intra pauculos ſoles in Lyceo Athenienſi flagitioſa baccharetur licentia, & Academia in lupanar, Athenæum in Gynæceum meretricium ſit commutatum. Vah probrum, ſed ſolis Ethnicis exprobrandum! vivimus tempora, quibus nulla Cupidini Ara, ad minimum publica: quibus nulli Carmi, notorij ſaltem & tolerati. Quod ſi qui fortè in Peripato Sophi, qui Carmi Sectam profiteantur, excuſandi ſunt meritò, quia occulti: execranda quidem eorum malitia, ſed admiranda magìs, quia ingenioſa: non illi hæc publicè, quod ad ſcopum ineptius, ſed occultè, quod tutius: larvam induunt, ut ſecuriùs noceant: occultant ſcelus, ne eſſe ſcelesti prohibeantur. Excuſandi ſunt meritò, non enim Veneri erigunt Aras, ſed libros exarant, quibus plus Aris omnibus, erigendis Veneri, deſtruunt. novum hoc ſtratagema ab Annibale didicit pubes ingenioſa: Is enim, contra Eumenem, Regem Pergami, pugnaturus, viperas ollis incluſas projecit in caſtra, quæ ex improviſo erumpentes, hoſti priùs intulerant lethum, quàm ille ſtrinxerat ferrum. Hi nequiori aſtutiâ, ſic amatorijs Ovidij involucris, ſic olidis Tibulli centonibus occultant, & diſpergunt ſerpentes, ut non notetur venenum, niſi jam hauſtum, nec advertant ſe Juvenes periîſſe, niſi cùm periêre. Excuſandi ſunt meritò: non enim publicè erigunt Aram, ſed in occulto, aperiunt haram: venenum in ore circumferunt, conditum ſaccaro, cuilibet ut aſpergant, quemvis ut jocando quoque interimant: in urbanitatis cyatho propinant philtra, ſub amicitiæ ſchemate occultant tela, ut incautos feliciùs, contagiosâ lue, inficiant, infectos necent. Excuſandi ſunt meritò: nam bacchantur non niſi cum Thyrſo, quem floribus velaverant Bacchides, ut, pugionem floribus tectum, ſecuriùs mergerent in viſcera Viatorum: in Lyceis ſe Harpocrates ſimulant, in circulis produnt ſe Epicuros: in Eccleſijs fuſas putes ex ære ſtatuas, in conventiculis Ganeones: verbo: *intùs Nerones, forìs Catones,* ſimulant ovem, ut tegant lupum. Denique excuſandi ſunt meritò, nam Eccleſiaſtico teſte, 1. non niſi 1.
*in ſilentio mordent, ùt ſerpens*: & quod ſatìs mirari non poteſt Se- *C.* 10.
neca, 2. *ijſdem ſunt vitijs gratioſi, quibus nocent.* Quid ergò mirum, 2.
quod eodem Authore, tam periti ſint *expugnatores alienæ pudicitiæ, quàm negligentes ſuæ*: quid mirum, quòd ſic exarment Cu- *Ep.*94. 3.
pidinis pharetras, ut plura tela, in Juventæ ruinam, velint emit- *Contr.l.*1
tere, *Pœm.*

tere, quàm Venus ipſa poſſit ſufficere. Stupete Carmi, Aras deſtruite, plus iſti nocent ſilendo, quàm vos loquendo; plures occultæ Veneri immolant, quàm vos Cupidini publico Athenis ſacrificâſtis.

LEUC: Superi! quàm paradoxa tu affers hìc argumenta ad excuſandas excuſationes in peccatis. Non auſus ſum hactenus perorantis Philippicam interpolare. Túne putas, ſic in judicio excuſandos quondam à conſcientia improbos, proborum peſſimos ſeductores? *MEL:* Ita eſt: ſic excuſando iat accuſabit, ſic laudando genuinum ſtatuet, vel invitis horoſcopum. Sed infinitus ſim, ſi ire velim per cuncta Phyſiognomiæ principia, quibus coram tribunali Divino conſcientia deteget Sophorum mores. Nil dico de *alimenti varietate*, quæ corpori ſubminiſtravit tot incentiva libidinum; nil de *potûs diverſitate*, qua cùm toties hauſerunt malè ſalutem, vires corporis, animæque ſimul exhausêre ſalutem. Nil affero de *ætatis conditione*, quæ in omne malum præceps & prona; nil de *affectibus, erumpentibus innocenter*, qui raró innocenter erumpunt, ſed præcipiti plerumq; alveo, honeſtatis repagula disrumpunt. Non commemoro iſta, quia non niſi fruſtrà, apud leves quoſdam Philoſophos, adeò gravia commemorantur. Clamat æterna Veritas, Præ-
*Hebr.* 10 cone Apoſtolo, quòd ita *peccantibus voluntariè jam non relinquatur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis quædam exſpectatio Judicij:* ſed huic clamori occlamat Salvianus, admiratione abreptus; *puto, non creditur DEO, & quid dico puto? utinam ambiguè putarem, & non evidenter cognoſcerem! non creditur DEO.* Clamat Chriſtus ad ejusmodi Stipendiarios orci Quæſtores: *væ! homini, à quo ſcandalum venit;* ſed non creditur DEO. Clamat DEI locò Hipponenſe Oraculum: *væ! etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota diſcutias miſericordiâ;* ſed non creditur DEO: clamat conſcientia propria, DEUMque *rigidum* proclamat in peccatis homini pro-
*Matth.* 5 prijs: *nam exiget ad uſque noviſſimum quadrantem: crudelem* procla-
*Job.* 30. mat in alienis, *mutatus es mihi in crudelem,* animam exigendo pro anima; ſed non creditur DEO.

LEUC: Quid ergò remedij ſupereſt? qui DEO non credit, jam creditur judicatus, & condemnatus. Forſan ſi à mortuis quis reſurgat, credent infideles hæ noctuæ, oculóſque aperient lumini rebelles Talpæ? *MEL:* Erras: habent Moyſen &

Pro-

Prophetas; his ſi credere renuunt, *neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Ut tamen nihil intentatum relinquam, ab inferis mortuum excitabo; doceat ille, quæ in judicio didicit, ut ejus ſaltem exemplo, Sapientes ſimus, & ſapiamus. Percipe, quod de Divo Brunone annales produnt, quibus fidem ſi demus, levitatis nemo nos arguat; nam eſt tanta authoritas, ut cum illa errare non poſſit non eſſe Philoſopho glorioſum. Produnt illi hunc Sanctum, necdum Sanctum, ſic Philoſophiæ Pariſijs dediſſe operam, ut Mundi illecebras, ſi non amaret, neutiquam tamen averſaretur. Sed DEO ſic diſponente, accidit caſus, è quo multi reſurgerent: mors nempe accidit Doctoris cujuſdam, per quem malè mortuum, meliùs vivere plurimi docerentur. Extulit ille è feretro fatali caput (en! dignam argumento phyſiognomico cathedram) ſéque horribili voce, nunc juſto DEI judicio accuſatum, mox judicatum, denique condemnatum aſſeruit. Obriguêre omnes, Bruno præſertim, qui hac triplici concluſione, ſic in anguſtias redactum ſe ſenſit, ut ſi minùs de ſacco, ſaltem circumſpiceret de cremo; in qua novam exorſus Philoſophiam, honorum umbras timere didicit ab umbra, alióſque ſuo exemplo docuit, fugere ad umbras, umbris ne fallerentur. Et ne tibi quoque Leucothee mundana vanitas obtendat umbram, lege Oraculum hujus Philoſophi judicati, quod ne Poſteritas oblivione unquam oblitteret, Divus Bruno lapidi ſepulchrali, ſtylo inciſum ferreo, reliquit. *Leuc.16.*

# ORACULUM PHILOSOPHI JUDICATI,

## *Ex Tripode ſepulchrali ad Philoſophos judicandos.*

*Rumpe*
*Suetum morti Silentium,*
*Infelix lingua:*
*Eloquere,*
*Quæ ſine aure audiiſti, ſine oculo vidiſti,*

*Fusisque mixta lacrymis,*
*Lacrymoſa funde Oracula,*
*Quæ reſorberet libentiùs*
*Mutus dolor.*
*Heu! quàm ſevera*
*Sunt vera DEI Judicia!*
Accuſatus ſum,
*Sine Advocato huc advocatus à Morte,*
*Tot cauſarum*
*Cauſam agere juſſus,*
*Reus ſimul atque Cauſidicus.*
Accuſatus ſum
*Ab Angelo, haud ampliùs Protectore,*
*A Dæmone, fratrum delatore,*
*Et Accuſatore.*
Accuſatus ſum,
*Unus à multis,*
*A Probis, quos non ſecutus, ſed perſecutus:*
*Ab improbis, quos malè fovi,*
*Quibúsque peſſimè me devovi.*
*A Socijs, quos ſeduxi, nec reduxi:*
*A Superis, quos ſemper irritavi:*
*A Superioribus, quibus nunquam obtemperavi:*
*Ab inferis, quibus fui ſolatio;*
*Ab inferioribus, quibus ſcandalo:*
*A tot ſalutis medijs, quibus non uſus;*
*A Creaturis omnibus, quibus abuſus.*
Accuſatus ſum:
*Toto Cœlo hæc exprobrante,*
*Totâ terrâ vindictam clamante:*
*Ipſa Naturâ me accuſante,*
*Ipſo Judice hæc confirmante,*
*Scientiâ propriâ id non negante,*
*Conſcientiâ propriâ hæc atteſtante.*
Hinc accuſatus, ſum judicatus.
*Reus à Judice:*
*Ab omniſcio convictus,*
*A juſtiſſimo appenſus,*

*A ſeve-*

*A ſeveriſſimo minor inventus,*
*Ab inexorabili non ultrà auditus,*
*Ab inflexibili repulſus.*
Judicatus ſum
*Rejectâ omni exceptione,*
*Non auditâ ullâ excuſatione,*
*Sine cauſæ dilatione,*
*Sine judicij appellatione.*
Judicatus ſum
*De bonis & malis:*
*De malis, quæ feci bene,*
*De bonis, quæ feci malè,*
*De malis, quæ putaveram bona,*
*De bonis,*
*Quæ eſſe debuerant meliora.*
*De minimis, maximis;*
*Nam ab omniſcio Oculo*
*Feſtucæ, ſicuti trabes, extrahuntur*
*Ab oculo.*
Judicatus ſum
*De apertis, occultis:*
*Nam ſine umbra diſcutiuntur hìc umbræ,*
*Nec ſunt ullæ hìc in tenebris tenebræ,*
*Hìc*
*Examinantur examina,*
*Cogitationes librantur in trutina,*
*Vagæ, & erraticæ Veneres*
*Hìc figuntur,*
*Et avolare jam nequeunt*
*Amentes mentis Cupidines,*
*Quique in vita cæci, fiunt hìc oculati,*
*Amotâ faſciâ vanitatis.*
Judicatus ſum
*Prorſus de omnibus:*
*Nam otioſum etiam verbulum,*
*Minimè otiosè hìc ventilatur:*
*Sine joco judicantur hìc joci,*
*Sine palpo etiam leviſſima,*

*Hìc*

*Hic palpantur.*
Judicatus ſum
*De ſingulis,*
*Quæ feci, & quæ non feci, ſed facere debui:*
*Quæ feci omittenda, quæ omiſi facienda:*
*Non hìc omiſſa omiſſa,*
*Non prætermiſſa commiſſa.*
Sic judicatus ſum condemnatus
*Sententiâ juſtiſſimâ,*
*A DEI facie repudiatus:*
*Sententiâ irrevocabili,*
*Ad Cœli Patriam non revocandus.*
*Sententiâ æternâ,*
*Ad orcum jam deturbandus.*
*Propter oculos ſcopulos, ad fletus & tenebras:*
*Propter dentem, ad dentium ſtridorem:*
*Propter mentis ſuperbiam ad abyſſum:*
*Propter oris ſpurcitiam ad vermium fœtores:*
*Propter voluptatum momenta ad inferorum tormenta,*
*Propter gaudia ad mœrores,*
*Propter delicias ad dolores,*
*Propter faces libidinis,*
*Ad rogos infauſtæ æternitatis.*
*Heu!*
*Infelix Sophus!*
*Hæc loqui cogor ad Sophos,*
*Tenete Oraculum, erit miraculum,*
*Si mihi nunc ſimiles,*
*In Judicio,*
*Tunc ſitis diſſimiles.*
*Ite & ſapite:*
*Alieno Judicio, comparate vobis Judicium:*
*Præſens corrigite, futurum mutate,*
*Ne ſic viventes, aliquando morientes,*
*Mihi ſimiliter,*
*Sitis juſtè tunc accuſandi,*
*Strictiùs judicandi,*
*Severiſſimè condemnandi.*




*S. Gregorius Naziãzenus, in Athenæo celebris quondam So=phus, ſic Physiognomio didicit arcana, ut è Juliani, nec=dum Apostatæ Lineamentis, clarè prædiceret futura vitia mentis, neutiquam vanus Augur; nam vera fuiſſe oracula, lacrymis fusóqȝ, sangu ie teſtatus èst Christianꝰ orbis. Ex Vitâ.*

I. M. Gutwein sculpsit. a. v.

# MOMI FENESTRA,

*Sive*

# DISCURSUS VIII,

*De*

# AUGURIIS PHYSIOGNOMIÆ.

M*ELANDER*. Si lubet Leucothee, haſtam Palladiam reſumemus: en! quæ penè ſterilis herì, in novi germen diſcurſûs hodie refloreſcit. LEUCOTHEUS. In digitos miſi horas, & ſingula fermè momenta, dum licuit redire ad orbitam; adeò ſuo me lepóre ſuſpendit abruptum herì colloquij filum.

*MEL:* Probatur Mihi curioſa aviditas, quæ in Philoſopho ne quidem leve peccatum, ſed grande potiùs induſtriæ incitamentum. Herì ſpeculum, hodie Momi feneſtram tibi aperio, quæ de Phyſiognomia in illo herì obſcuriùs, quia in genere; hodie per iſtam enucleatiùs, quia in ſpecie perpendemus. LEUC: Qualem tu mihi feneſtram? ſiparium remove, ut mentem tuam penitiùs in illo contempler. *MEL:* Momus, infame Nomen, quia non niſi ab impudentia canini dentis Poſteris cognitum, poſt Creaturas & ipſum rodere Creatorem, per inauditam protervìam, Theonino dente eſt aggreſſus: nam dicere auſus eſt, oblitum

tum Numen, ne humano cordi feneſtram apponeret, quo veluti ſpeculo, ſenſa hominis homini paterent. Cryſin hercle ingenioſam! contra quam vel ideò Natura exciperet, ne ſenſa monſtri hujus exotica introſpicere cogeretur. Sed nempe in bonum hominis, hæc ſola ſolius DEI prærogativa, *quòd Scrutator ſit Cordium:* præter hunc nullum admittit arbitrum cor humanum: ſi tamen admitteret, Phyſiognomus ſibi primas meritò vendicaret: hunc, quia arcanorum omnium arbitrum, recuſat Natura, multorum ſaltem exploratorem conſtituit Philoſophia. Quid multis? Phyſiognomia eſt illa Momi feneſtra, cui veriùs ſubſcribas, *Occulo nil oculo.* Per hanc, dum ſecreta obſcuriùs rimamur, feneſtram parat ſupremus Judex, quæ luciditſimi ad inſtar ſolis manifeſtabit, in nota valle, ſecreta cordium, & abſcondita tenebrarum. Enimverò

*Non malè Gnomiſtam Naturæ ego dixero myſtam:*
*Quippe, quod hæc celat, velata is cuncta revelat:*
*Prodit is humores, prodet mens conſcia mores:*
*Judicat is frontes, damnabit at altera ſontes.*

LEUC: Momi feneſtræ dediſti lucem, majorem ſymbolo claritatem: reſtat, ut & Patronum cœpti diſcursûs clariore notitiâ illuſtres. *MEL*: Gregorium vides, quem à Patria Nazianzenum, à ſcientiæ laude illuſtre Sydus, à ſanctitatis ſplendore lucidiſſimum Eccleſiæ Solem, adorat Orbis: hunc ætate provectum ſibi attribuit ſacra Themis, quia Theologum: juniorem tamen ſibi meritò Peripatus vendicat, quia Philoſophum, & inter Philoſophos celeberrimum Phyſiognomiæ Cultorem, atque Doctorem. In ætatis flore reliquit paternam domum, ut Philoſophiam, tunc in Græcia hoſpitem, inveſtigaret: invenit illam Athenis, ſícque ad Annum uſque trigeſimum coluit, ut in ejus Ingenio ſeſe ſtupeſceret Philoſophia, ſe ipsâ majorem. Nam ſenſit ſe exhauribilem, quia exhauſtam: vidit poſſe ſe creſcere, & ſupereſſe ingenium, quod totam caperet, nec impleretur. Hoc agnovêre Athenienſes, hinc abire volentem retinuêre: oblatâ Sophiſticæ cathedrâ, rati, neminem meliùs docere poſſe, quomodo vitandæ fallaciæ, niſi illum, qui neminem falleret, nec falli ab ullo poſſet. Tantæ Scientiæ neutiquam minor acceſſit virtus: caſtitatem, ejúsque nutricem parſimoniam ita coluit, ut

nolim

nolim ducere parallelum, ne fors aliquos chriſtiani nominis Sophos, Ethnicos judices; hunc Chriſtianum. Cum fortitudine animi ſic conjunxit juſtitiam, cum prudentia ſic temperavit rerum caducarum contemptum, ut Catholicum juràſſes, niſi Cathecumenum ſeſe ultrò fuiſſet profeſſus: verbo: ſic virtutes omnes in ſe collegerat, ut nihil defuerit ad ſanctitatem, præter baptiſmum. Debuit hanc vitæ felicitatem ſancto conſortio, quod cum Baſilio Magno, tunc Condiſcipulo, habuit. En! quanti Philoſopho referat habere probos contubernales. Accidit quondam, ut cum Juliano, necdum Apoſtata, congrederentur: nam tunc temporis illum adhuc adoleſcentem, ſub Ariſtarchi cujuſdam ferula, infeliciter, quia in Orbis Chriſtiani exitium, educaverant Athenæ. Diſcurrebat cum Principe iſto Gregorius, & quia Philoſophus, ſic diſcurrebat, ut plura videret, quàm loqueretur. Hoc enim Philoſophos inter, alióſque diſcrimen, quòd hi loquantur, loquentes ut audiant: illi verò loquantur, loquentes ut videant; *loquere, ut videam te*: nam applicatâ per loquelam Momi feneſtrâ cordis intima expiſcantur. Sic ergò cum Juliano parvulo diſcurrebat Magnus iſte Philoſophus, ut oculos, frontíſque lineamenta; ut nutus omnes, motúſque corporis ſingulos, ut verba, ipsámque loquendi methodum, Phyſiognomicâ trutinâ ſecum tacitus libraret: tum ille Amico, non ſine gemitu, in aurem: Superi! quale monſtrum in ſuam perniciem educat Patria! Juvenem putas, ſed mihi crede, Catulus eſt juvenili ſub corpore, cui lac Tigrides, cui ſpiritus dedêre Leones: Catulus eſt, qui in furoris Getici excreſcet belluam: crede mihi, plus truculenti Sinonis, plus Catilinæ alit in pectore, quàm Achatis; Veſuvium tegit, & jam coquit triſtes ſcintillas, ut cum tempore excoquat perituri Orbis incendia. Sed quid ego Phyſiognomiſtæ hujus Oracula refero? audi, ùt illa ipſemet referat in Oratione ſecunda, quæ elegantiâ ſtyli meritò prima: *fêcit me Vatem geſtuum ipſius* ( Juliani nempe ) *deformitas, & ingens admiratio. Siquidem optimus eſt Vates, qui ex geſtibus ipſis ratiocinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis ſigna videbantur: colli crebræ converſiones, humeri alternis ſubſultantes, oculi torvi, vagabundi, & furioſum quiddam contuentes. Pedes inſtabiles, crebræ geniculationes: naſus contumeliam, & contemptum ſpirans, figura vultûs deriſionem ſignificans, quomodo variabatur: riſus crebri, altum crepantes: nutus, renutus*

*nutus ſine ſermone: Sermo interruptus, non complens ſententiam: interrogationes crebræ & ſtultæ, reſponſiones inconcinnæ, & coacervatæ, inter ſe diſſidentes ſine ordine. Quis ſingula deſcribat? talem vidi ante facta, qualem poſtea ipſa facta oſtenderant. Utinam adeſſent, qui tunc mecum fuêre, & eadem viderant! teſtes ſunt hujus meæ narrationis; qui meminerint, me edidiſſe hanc vocem; quantam peſtem Romana Monarchia nunc alit!* Hæc ille.

LEUC: Probas enimverò, etiam Sanctos Phyſiognomiæ neutiquam fuiſſe vel oſores, vel contemptores: imò probat ſe ipſum D. Gregorius Phyſiognomicum fuiſſe Vatem, quia fatidicum ſimul, & veridicum Augurem. Hinc aptiorem diſcursûs Patronum non inveniſſes, qui Phyſiognomiam doceret ſanctiùs, & ad illam nos incitaret utiliùs. Id obſtupeſco, quòd ſingula membra, motúſque corporis ſinguli ſint totidem veluti linguæ, quæ Philoſopho prodant ſecreta cordis. Fac igitur, has linguas intelligam meliùs, & fidem herì datam exſolves, ruptámque telam ad vota denuò proſequêris. Edic, quid actiones ſingulæ, quid ſingula hominis membra Phyſiognomis ſignificant, ut ex illis, veluti totidem vitris, tam bellam ſibi fabricent feneſtram? *MEL:* Actiones & membra hominis ſingula, totidem eſſe ſpecula, per quæ animi ſui ſecreta pandit, veritas eſt, divi-
*Eccleſ. 19.* vino etiam calculo roborata: *ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: Amictus corporis, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Scilicet in caſa nemo Principem quæſierit, nemo extra concham margaritas, nec veſtigia canum canis allatrat, nec ferarum diſſimulat. Timet etiam, cùm ſecurus eſt lepus; fremit etiam, cùm angitur leo: incolam circumferimus, tam arctè corporis vinculis conſtrictum, ut agere nequeat, quin ſe prodat: catenam ſequitur, quæ non vult, patitur, ſæpe compatitur, prout herì diximus ex Stagirita. Quid igitur mirum, quòd ex hoc fœdere ſua deducant Phyſiognomiſtæ auguria? Videres, artis hujus peritos, in hominis vultum, intentos defigere oculos, obtutúque minimè perfunctorio totam librare corporis ſymmetriam.
*Ex toto corpore.* Grandiores corpore, nî aliunde tollatur vitium, tardiores mente pronuntiant, tardiſſimos ſi accedat humiditas, minùs tardos ſi ſiccitas: contrà ſtaturâ parvos, majores ac promptiores ingeniô aſſerunt; præcipites, ſi ſicci; minùs vehementes, ſi humidi: notum eſt illud; *rarò breves humiles vidi, longos ſapientes.*

In

In promptu eſt ratio, nam tardiùs in magno, in parvo celeriùs ſeſe communicant cerebro vitales ſpiritus: hinc mediocres optimè conſtitutos volunt, *quia medium tenuêre Beati.* Cæterùm corpora longa, & craſſa multùm habent humiditatis; craſſa & brevia plùs frigoris, minùs humiditatis.

*deCapite.* LEUC: In capite judicij ſedes eſt: quod ergò judicium de capite formant artis periti? *MEL:* E nimiùm grandi deducunt ſomniculoſam ignaviam, eò quòd grande pariter humiditatis, vaporúmq; inde progenitorum ſit receptaculum. E nimiùm gracili arguunt virium debilitatem, iram præcipitem, vulpinæ junctam aſtutiæ. Cæterùm plerumque ſunt ingenio hebetes, turbati atq; indociles, cùm ſpiritus in arctum compreſſi, generent caloris exceſſum, exceſſus variam in ſpiritibus confuſionem. Apolline dignum eſt illud, quod mediocri majus, juſtum tamen; maximè, ſi in fronte protuberat, & in ſincipite malleatur. In illo, quod ex utraque parte incurvum, meritò illud deſideres, quod vulpes in capite fictili deſiderabat. Sphæricum indicat rotundam mobilitatem, ex qua inſtabilitas ſequitur, oblivio, diſcretio modica, exigua non raró prudentia, quæ veluti filiæ ex inſtabilitate progerminant: inſuper caput inclinat modeſtia, erigit confiſa ſibi audacia. E fronte leges effrontem, ſi torva; ſi parva, ſtupidum; ſi longa, latáque, audacem; ſi exporrecta, ingenioſum. Valde prominens indicat imaginatione pollentem. Iracundum rotunda; quadrata, & leonis inſtar ſubconcava, magnanimum; caperata, ſerium & cogitabundum; nebuloſa, triſtem; explicata lætum, & à curis ſecurum. Denique ex tota facie, veluti ex frontiſpicio, ſæpe animus proſpicit: hæc ſi parva, ſignificat callidam latere vulpem, mobilémque ſimiam: ſi grandis nimiùm & longa, ignavum Arcadem tegit, humorum copiâ confuſum, ſpirituúmq; craſſitie ſtupidum, ſegnémque. Et ipſe color non raró animi depingit ectypon. Nam ex pallore leporem leges perterrefactum: ex livore invidam lyciſcam: ex rubore verecundum, vel etiam leonem, incendia coquentem & fulmina.

*Tylkowſchi.*

*Ex fronte.*

*De facie.*

*De oculis* LEUC: Si frontiſpicium animi vultus, oculi erunt feneſtræ, per quas ſæpe ſæpius, dum foras curioſiùs prodit, ſe prodit. Sic legiſſe me memini, oculos grandiores juſtô, & prominentes, humiditatis, adeóque & ſociæ tarditatis eſſe indicium. E parvis aſtutiam, & ſiccitatem, non nulli aſſerunt tralucere:

 lau-

laudantur ſplendidi, charopíque, magnitudinis mediæ: ſi guttulis modicè fuſcis tingantur, ingenioſum; ſi nimìs rubentibus, iracundum; ſi nigricantibus, timidum; ſi pallidis, doloſum autumant: quibus major pupilla obtuſos, quibus minor acutos judicant: pupillas inæquales, monſtri indices volunt, utpote quos impreſſo veluti ſtigmate Natura ipſa notavit. Cæterùm è proſilientibus & globoſis myopes, è reconditis perſpicaces, è defixis cogitabundum, vel impudentem, inconſtantem è vagis, è nutantibus timidum, ex accenſis iracundum, è celeriter motis complexionem calidam, frigidam è lentis, è lucidis ſpirituum copiam augurantur. *MEL:* Non incognita refers, tot ſunt animo feneſtræ, quot oculi, fateor; ſed & quot membra, tot ſunt homini linguæ, quibus etiam ſilendo, arcana mentis eloquitur.

*De ſupercilijs.* Supercilia elata arrogantem produnt, parva defectum caloris, adeóque timiditatem: multùm piloſa exceſſum, adeóque audaciam. Capillus frequens loquitur calorem, qui reſolutos in fumum humores propellit foras; hinc animus virilis: rarus frigidam humiditatem; hinc indoles imbellis.

*De Capillis.* Pilus rectus & mollis annuntiat manſuetum, & timidum propter humorem: nimiùm criſpus, & durus fortem & præcipitem propter calorem: hos inter medius temperatam complexionem. Iracundum indicat ruber, moderatè ſubniger temperatum, ater melancholicum, flavus inſtabilem, aureus aureum.

*De Auribus.* Imò & aures non audiunt tantùm, ſed & loquuntur: ſiquidem parvæ ingenium denotant, nimiùm longæ, Arcadicam ſtupiditatem. Inferiùs fiſſæ natos interdiu, non fiſſæ noctu: rationem, à ſe diſtinctam, non adſtruxit hactenus experientia.

*De Naſo* Sed & in naſo naſutos ſe credunt, artis hujus Philologi: ex Aquilino ingenium arguunt, dignóſque generosâ alite ſpiritus. Ex ſimo ignaviam; ex craſſo bovinam ſegnitiem; ex acuto iracundiam caninam; ex rotundo leoninam magnanimitatem: ex rubicundo colligunt ſitibundum hepar; ex protenſo oderatûs ſubtilitatem. Sileo ejusmodi ominis rationes, quas in analogiam cum brutis, & præcipuè qualitatum, humorúmque exceſſum, defectúmque, veluti radicem primam, non immeritò refundunt.

*De Manibus.* LEUC: Occurrit, quòd olim, dum adhuc tegeret me prætexta, è manibus, inſpectâ veluti Dyphterâ, mihi multa garriret inanis ludio, quæ, puerili memoriæ, quia leviter impreſſa, facilè

cilè delevit provectior ætas. *MEL:* Scio, ſunt Agyrtæ, thavmaturgo de furfure Prophetæ, quos vulgus Cyngaros, Græci nominant Chiromantas. Solenne his rudium ora ſuſpendere, putida deſpumando Oracula, ſed dum oculos capiunt, loculos rapiunt, non infelici ſæpe commercio mendaciſſimæ nugacitatis. Non tamen nullum huic rei fundamentum ſubeſſe cenſeas: convenit inter artis peritos, cutem in vola manuum è cunctis partibus maximè temperatam, adeóque non ineptum eſſe explorandæ indolis ſpeculum. Sic cum vetulis gerras non garries, ſi lineas cum cerebro, corde, & jecore dicas eſſe connexas, adeóque è longiùs per volam productis, & bene expreſſis, bonam iſtarum partium conſtitutionem, puta ingenium, longiorem vitam, & ſanitatem: contrà è brevibus, & interruptis his cuncta contraria, conjecturâ probabili omineris. Nugas cum pueris non venditabis, ſi è linearum copia humiditatem, ex inopia ſiccitatem: ſi è flaventibus choleram, è rubentibus ſanguinem, è nigricantibus atram bilem, è pallentibus phlegma in gradu colligas prædominante. Demum nec cum Æſopo fabulaberis fabellas, ſi è manu grandi, nervosáque robur, è craſſa pigram humiditatem, è minùs carnoſa valetudinem meliorem, è piloſa calorem, è molli, nec ſpongioſa ingenium, hebetudinem è dura, è longa, & gracili, omineris timiditatem.

LEUC: Perge, precor, in anatomia hac curiosâ, et ſi quod ſupereſt membrum ad phyſiognomicum tripodem expendere ne graveris. *MEL:* Seligam pauca, eáque veritati magis conformia, cùm, ut breviùs abſolvam, tum, ut reſolvam ſolidiùs. Os grande, cui dedit Natura, dedit propter calorem, qui arguit guloſum, audacem, magnanimum: cui exiguum, dedit ob defectum caloris, qui ſociam trahit ſegnitiem, atque timiditatem: hiantia conſtanter labia denotant ſtupidum, ſubtilia, ingenioſum: elevata ſupra gingivam, caninam indolem imitantur. Pluralitas dentium longam vitam, brevem paucitas ſpondet, magnitudo demonſtrat robur. Mentum acutum iracundiam, ſubtile audaciam, bipartitum bonam probat temperiem. Inceſſus tardus mollem, concitatus animum calidum & virilem: Caro dura obtuſum, mollis ingenioſum: vox intenſa fortem, acuta timidum indicant. Rara barba ſubinde ſignum caloris, humores nimiùm exſpirantis; ſæpius humiditatis, ob quam vapores *Ex Ariſtotele.*

excre-

excreſcere nequeunt. Copioſa in mento ſylva caloris atque fuliginis præbet indicium. Matura calidam, ſera temperatam, vel frigidam indolis Zonam demonſtrant. Colli craſſities tauros oſtendit fortes & animoſos: tenuitas ignavos, timidósque cervos. Cervix anguſta & brevis apoplexiæ eſt prodroma: humeri lati, magníq; fortes firmant atque robuſtos. Adeps non nunquam teſtis eſt pinquioris Minervæ, egentioris macies, utpote cui rarò fumant tectorum culmina: nam niſi fallit, fallitúrque *L.2.c.5.* Galenus Princeps, delicata vita, temperamentum irrorat effuſo humore; tenuis, multóque diſtenta labore, per ſiccitatem conſtringit. Hinc eodem Judice, *quibus abundat humidum, quibúsque vita temperata, & otium,* promontoria facilè dilatantur. *Tylkowſchi.* Cæterùm caro, cutis, & calor tam lævigatum Phyſiognomiſtis ſunt ſpeculum, ut Auctore Fernelio, *ſolius cutis contactu* (adde coloris aſpectu) *liceat de univerſi corporis temperamento pronuntiare.* Fundamentum eſt arcta humorum connexio, mutuáq; communicatio qualitatum, qua ſuam temperiem per vapores & ſpiritus non rarò exſudant: ad oculum res patet in iratis, dum expalleſcunt; in confuſis, dum erubeſcunt; in ſenibus, dum caneſcunt: hinc curioſo ætatis noſtræ Philoſopho color pallidus ſemper illaudatus, quia arguit humiditatem, éſtque proprius, vel effœminatorum, vel fœminarum: originem trahit ex pituitæ copia, ſanguinis inanitate, & paucitate ſpirituum: quòd, ſi pellucidus ſit, & quaſi ſcintillans, bilis indicium erit. Fuſcus non nunquam denotat atram bilem, & tunc prodit timiditatem, comitémque verſutiam. Quòd, ſi natales rubræ choleræ debeat, ſiccitatis & caloris eſt index: hinc ſpirituum copia luculentum ingenij, & audacis iracundiæ ſignum, juxta illud Poëtæ: *in rubra pelle eſt animus rarò ſine felle.* Rubeus color, niſi ex pulmonibus inflammetur, ſítque albedini mixtus, temperiem denotat, ſanguinis defœccati radicem; unde ingenij ſubtilitas, morúmq; probitas deſcendit. Sic ex flammeo maniæ ſumunt præludia: ex maculoſo indolem, pantheræ, tigridi, ſtellioníque conſimilem, adeóque aſtutiæ nutricem, & genitricem. Omitto alia, de quibus diſcurrit Phyſiognomiſticus Vates, ſed non, niſi ratione Duce, & Philoſophia Comite. Quamvìs, ut verum fatear, de ſingulis, quæ huc uſque fuſiùs, tu à me fidem ne poſtules, majorem, quàm ego tribuam, quámque tribuere Philoſo-

phis

phis mos eſt, nempe probabilem: imò nihil meæ Sententiæ tribuas; relata refero, non decido.

LEUC: Crediderim enimverò, in decidendis híſce effatis, non modicum fore periculum falſitatis: me, quod attinet, Oracula veneror, ſi tamen non pleraque Cretenſis effudit tripos. Cui enim tam leviter venalis ſit fides, ut ex colore pallido audacter judicet mores ignavos, ex rubeo probos, ex maculoſo indolem pantheræ analogam? taceo cætera, quæ nemo, niſi Ephebis forſitan, aptè perſuadeat fabuloſa Nutrix. *MEL:* Næ tu inaniter & ineptè: ùt video, grandior licèt ſias, curta tibi vel memoriæ, vel judicij ſupellex. An una nocte exhalâſti jam cuncta, quæ ex Philoſopho herì principia? ſi redire in memoriam velis, deprehendes, non ex unico ſigno, veluti ex ungue jam nôſſes Leonem, temerè formandum judicium, ſed è pluribus, & quidem proprijs, ſi in eundem effectum conſpirent. 2. Conjecturam ejusmodi non continuò Oraculis annumerandam, quæ ab Ægerio luco novus recitat Numa, ſed tenendam intra limites probabilitatis ſæpe fallibilis. 3. Effata non tangere humanos actus, vel habitus, quos ſibi reſervat voluntas, & emendari virtute, vel etiam vitio corrumpi poſſunt; ſed propenſiones Naturæ congenitas, quæ è principijs phyſicis non pueriliter eruit, ùt tu ineptis, ars hæc virilis. Nam pone tibi ob oculos nobilem è Dianæ regiâ ſurculum, qui ſtemma à duro ſtipite truncus habet. Vide corporis molem, ad omnem Carteſij dimenſionem indefinitè protenſam: aſpice, ùt feſtinet admodum lentè, ne motu celeriore calefacta diffluat adeps, cum prægrandi abdomine. Vide in capite grandi frontem anguſtam, oculos virides, naſum ſimum, & craſſum, aures ad ulnam Arcadicam protenſas, collum denſum, carnoſos humeros, cæteráſque partes ab incuria, utì videri poſſet, Natura, temerè coagulatas potiùs, quàm compactas: & nunquid ingenioſum hunc eſſe Mercurium proclamabit præſcia Phyſiognomiæ Dyphtera? abſit, ut huic præſagiat nupturam Palladem, è Jovis cerebro prognatam, quem tot indices eſſe demonſtrant bardum ex Arcadiæ finibus Therſitem. Sed & alias in alio notas explora: ſtatura huic à mediocri non procul diſcrepans: caput ſat amplum, ſed malleatum, frons exporrecta, cæſaries ſubnigra, oculi ſcintillantes, & ignei, color ex albo in fuſcum degenerans, tempora

*Signa hebetis.*

*Signa ingenioſi.*

vaſta, & modicè concava, partes cæteræ non carnoſæ admodum, proportio in omnibus juſta: & nunquid feliciorem hunc Thamyram dicet Phyſiognomia, qui abſque lyræ, & oculorum diſpendio, Muſas ad certamina provocet? nunquid felicius huic feret Phyſiognomia ſuffragium, argumento non inani perſuaſa, nobilius quid latere abſconditum, cujus radij tam illuſtres, vel in externam ſeſe effundunt corporis ſpeciem, & ſymmetriam?

LEUC: Lucem affundis, qua è ſignis phyſiognomicis, cum judicio, prudens formari queat judicium: nempe fortior vis conjuncta, etiam in ſignis. *MEL:* Utique, quò plures, quò certiores ſe produnt teſtes, eò majorem ſibi depoſcunt fidem. Finge tibi Martiali è campo calentem etiamnum Sauromatam: gradu ſit concitato, erecto corpore, extremitatibus membrorum magnis; adſtet humeris latis, collo craſſo, venis undique calore turgentibus; vox gravis deſinat in acutam, abundent ſpiritus, pateant acutæ nares, criſpentur crines, citrinus & ſubrufus ſit frontis color, rubeſcant oculi, hirta promineat barbæ ſeges, & furioſum fatiget Auſtrum; quadret illi Sulmonenſis Phœbi epitheſis: *ora tument, nigreſcunt ſanguine venæ: lumina Gorgoneo ſæviùs angue micant:* & nunquid multùm tu fluctuabis, an *indolem in iras pronam* tam manifeſta indicia demonſtrent? nî credas, experiêre; tange montem, & fumigabit, flammas ſpuet, etiam verbulum ciebit fulmina, obtutus aſperior movebit tonitrua, non quieſcet inultus, cujus præcordia tam turbulentum nutriunt Catilinam. Contrà finge tibi, moderatum inceſſu, incurvato non nihil corpore, mollem carne & humidum, oppoſitiſque notatum indicijs: atque non difficulter oppoſitum *Manſueti* ectypon deprehendes. Sic, ſi videas hominem capillo durum, erectum corpore, pedibus firmum, craſſum collo, oculis fulvum, colore ſquallidum: ſi cernas latera firma, humeros latos, coſtas grandes, dorſum Atlanticum, cui tutò incumbat Olympus, *generoſum, & fortem* pronuntia, ſatum de ſtirpe Enacim, & Achilleo ex genere Nepotem. Ex oppoſito *Timidum* leporem prodet capillus mollis, corpus incurvum; imbellem monſtrabunt imbelles lumbi, membra in extremitatibus parva, manus ſubtiles, collum longum & gracile: puſillanimem color albus vel ſubniger, capillus erectus: tardum facies carnoſa, & tamen parva: denique in agendo deprehendes ſæpe confuſum, ſubtri-

*Signa iracundi, & manſueti.*

*Generoſi.*

*Timidi.*

ſubtriſtem, mutantem ſæpiùs vultus, moventem palpebras. Sic è Philoſophi calculo albus, purúsque in fronte color, pinguedo in oculis, facilis lacrymarum fluor animum notat *miſericordem: liberalem* humeri ſoluti, facies ampla, frons ſuperiùs elevata: at qui contrarijs notati ſignis, duritiei & avaritiæ probroſum ſtigma, probroſi circumferunt Euclíones. Sed non vacat recoquere, quæ cocta ſparſim ſuperiùs: ut ſingula ſingulis applices, dabit judicium, quod ſi lubet, explora. *Miſericordis.*

LEUC: Id de meo judicio eſt exploratum, & mihi & tibi, quod non raro in judicium peccet: fac igitur, filum porrigas, in præcipuis ſaltem temperamentis, ut aberrare etſi velim, non poſſim. *MEL:* Faciam, ut aberrare, etſi poſſis, non velis. Temperamenta ſimplicia, velut prototypa, depingam primò: ex híſce facilis erit delineatio conjugatorum. Age, hos mihi gemellos, ad oculi trutinam, membratim libra: huic rubore florido ridet amœna facies: genarum purpuram diſtinguit niveus candor: grandiores oculi, velut lucida Sidera, amœnè ſcintillant: capillus in rufum paulatim degenerat: carnem, non nimiùm pinguem emolliunt ſucci, quos tegit lenior cutis: ſonorus eſt vocis clangor: concitato motu pulſant arteriæ: frequens, & facilis exſpirat ſudor: venuſtatem amabilem tota ſpirat corporis ſymmetria. Illi contrà in fronte livet obſcurus color: horret rarus nigro in capite capillus: in tenui corpore corrugatur exſucca caro: nigreſcunt oculi, & velut è geminis captivi antris proſpiciunt: tarda pulſat arteria: balbutit velox, & aſpera gracili in voce lingua: & nunquid bene hujus temperiem tu melancholicam judicabis, illius verò ſanguineam? utique: nam etiam luſcus prædominantem in illo aërem videt, cujus virtutes ſanguis humidus, calidúsque, motu facilis, dulcis, ac ruber ex aſſe refert: in iſto autem utraque manu palpabit dominium terræ, quam atra bilis ſiccitate ſua & frigore imitatur. Hinc ex tripode minimè vano, illius indolem dices neutiquam ſuſpicioſam, aut invidam, pronam ad riſus & iram, ſed non niſi breviſſimam: hujus ſuſpicacem, & timidam, tetricam, atráque continuò coquentem nubila, & tempeſtates. Illius mores experieris affabiles, ad omnes urbanitatis leges excultos, mites, ac hilares: hujus è contrario aſperos, ſilentio plusquàm Pythagorico ſeveros, Thebaidem olentes, jugíq; triſtitiâ torpen- *Temperamentum Sanguineum, & Melancholicum.*

tes, & lacrymis. Illum præſagies in cœptis inconſtantem, hunc pertinacem: illum ſincerum, & credulum, ſecretorum proditorem, facilè decipiendum; hunc verſutum, & arcanorum cuſtodem rigidum: illum liberalem, ut & ſua, ſéque totum non difficulter communicet; hunc tam retinentem in ſuis, quàm ſui. Illum mobilem aſſeres,ad omnes affectus teneriores,præcipuè amoris,& compaſſionis: nam multùm amant ſanguinei, plus amantur: & ſi Veneris flammas ſemel concepit eorum furnus, concrepent campanæ, crepéntque, cataclifmos effundat æther, fruſtrà reſtinguetur incendium. Contrà hunc dices in affectibus concipiendis tardum propter frigiditatem, in retinendis conſtantem propter ſiccitatem: ſegniter,ſed inſigniter amant terrei; eodem modo & iraſcuntur. Illum aſſeres bellarijs inhiantem, atq; cupedijs: hunc ſtimulante continuâ fame, craſſiores meditantem bolos: illum dormientem multùm, & ſuaviter, quia etiam in ſomnijs ludicrum: hunc non niſi parum, & interruptis crebriùs intervallis, quia ſpectris identidem agitatum. Illum, niſi atra bilis figat Mercurium, ad Muſas declarabis propemodum ineptum: certè minorem cathedram, nec in virtute, nec in ſcientia aſcendet facilè: nam etſi è Jovis cerebro ingenium traxerit, Juppiter non eſt, quia Jovialis, erronibus, non fixis annumerandus. Cùm enim horreat labores, velut equuleum, pulpita veluti tranſtra, cum Pegaſo volitabit ſemper, ſed ſine ungula. Huic contrà, niſi limites ater excedat humor, facilem prædicere Minervam poteris: nam Heliconis ſuſurros citiùs audiunt Silentiarij, venáſque amœniores in ſolitarijs Parnaſſi jugis faciliùs detegunt. Nempe *Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.* Ut nihil dicam,ejuſmodi homines in dandis conſilijs ſæpe perſpicaces aquilas,in exequendis ſe probare promptos Achilles. Denique, ut verbô complectar omnia: illum dices Democritum, ridentem ſemper, & lætum, ſaltitantem, & ludicrum, ludicra ubique ſectantem: nam ad ſolitudinis nomen aërei patiuntur penè deliquium; hinc ſociabiles amant ſocietates, & utinam bonas! in malis quippe & faciles luem admittunt, & non difficiles ſpargunt. Hunc verò alterum jure aſſeres Heraclitum,nam nec lætatur,nec ridet,niſi,felix cum Aſtronomis forſan, Mercurium videat, & contempletur. Cæterùm ſine cauſa triſtis plerumque, inter philomelas bubo, nec amatur, nec amat

*Ovid.l.*1. *Eleg.* 1. *triſt.*

hic

hic Timon, niſi muſicam, eámque quò magìs mœſtam, eò pro genio magìs amœnam. Quòd ſi lætiore plectro effundatur in gaudia, adeò rimarum plenum ſe probat, ut riſu, jocíſq; penitùs diffluat: ſed poſt ſcenam hanc ludicram, ubi ſolus ſibi relinquitur, in profundius tædiorum chaos relabitur, ſuam effuſis largiùs lacrymis triſtitiam recoquit, muſcas cum Domitiano exanimat, manéſq; ſuos examinat, rerum inanium inanis Scrutator. Hinc obnoxium ſeſe reddit, mille ſuſpicionibus, ſcrupulis, apprehenſionibus vanis, dæmonúmque ludibrijs veris, & nî metas ponat, exundanti prærupto aggere humori, cavendum de laqueo, vel aperiendum certè ſapientiæ extremæ gymnaſium, quod aſſerunt, morotrophium.

LEUC: Geminos hos ego fratres non dixerim, niſi forſan Caſtorem & Pollucem, quorum oriente uno, occidit alter; vel ſaltem geminos Polos, quorum hunc arcticum, illum antarcticum appellant. *MEL:* Ita eſt: ſed en! aliud, non minùs diſpar, par nobile fratrum. Fixis hunc oculis intuere, videbis macilentum, ut igneo calore ſiccatum ſcheleton crederes, niſi ſpiritibus vividum, agiléque corpus vivum Mercurium probaret: crine niger, & criſpus; ſubniger, rufúsque fronte, ut de illo ſibi meritò caveat Romanus: vultu ſpirat Catonem, Romanam curiam in ſupercilio, Capitolium in rugis circumfert: ſidera radit erecto vertice, nec niſi extremis pedibus terram tangit: inquietæ manus, pedéſque; concitatus eſt gradus, nî gravitate forſitan affectatâ humum, poſitis veluti columnis, percellat: tota corpori habitudo eſt gracilis, robuſta tamen, loquitur citò, ſi tamen loquitur, & non potiùs clamat, calore linguam extenuante: hinc balbus frequenter, *malo*, ùt ait Baconus, *Viris ſapientibus & præclaris frequente.* Et cujus tu temperamenti hunc hominem judicas? nunquid flamâ Promethei animatum, igneáque prognatum cholerâ, & vel ex ipſa aura ætherea delapſum aſſeres? hinc horoſcopum ſi huic fas ſit ſtatuere, dices quietem illius ſat inquietam, quia modicam, ſæpéque vanis per ſomnia rixis, incendijs, cædibus turbatam: inhiantem acidis aſſeres, nec modico ſaturum alimento, vix tamen oſſibus hæſurum, etſi continuus conviviorum eidem flueret Eurippus. Indolem declarabis, moribus aſperam, dente Cynicam, contradictorio ſpiritu aculeatam, audaciâ animoſam: hinc ſæpius vitatam, quàm

*Temperamentum cholericum.*

*Barone Verulamio ſylva ſylvar. cent.* 4. *n.* 386.

amatam; cùm nec ipſi blandimentis favores mendicent, ſed pro meritis exſpectent, & poſtulent: Genium notabis ambitioſum, honoris cupidum, jactabundum & arrogantem: cholericis præprimis proprium æſtimare ſua, contemnere aliena: innatum, eluctari ad ſumma, nec quieſcere niſi in vertice Olympi. In amore ominaberis tardum, quia turbidum: ſi tamen ignito, conceptus ſuperveniat ignis, octavum, credo, ſuperaret caloris gradum, ſi poſſet: præprimis tamen in iras dices præcipitem: ſemper fumat, & ſi fomitem præbeat melancholia, etiam furit, totáqua eructat incendia Veſuvius cholericorum: ambitioſis conſilijs, cave, obicem ponas, nam retardatum magìs furet incendium, & in vindictas implacabiles erumpet. Vide, ne fidas: quàm diu ſunt ambitioſi, tam diu ſunt iracundi, id eſt ſemper: in alijs ſunt inconſtantes, in ira conſtantiſſimè feroces: non remittunt, ſed ſub memori cinere ignem in multos annos occultant, datáque occaſione nocentiùs feriunt, quò innocentiùs negliguntur. Cæterùm Ingenio dices præſtantem, & ſi Naturâ videas parvum, dices etiam præſtantiſſimum, quia celerrimum, ùt fidem facit Philoſophus. Hinc eſt, quòd excitatum, & promptum augureris in agendo, ſi tamen agit, & non potiùs impetu temerario rapitur. Quod enim volet, citò volet, & ſeriò; ſed inconſtanter: nam cholericorum propoſita, ſtupæ inſtar, momentô in flammam abeunt, & extinguuntur. Quòd ſi bilis atra firmet inſtabilem Protheum, tunc enimverò dices in capiendis propoſitis celerem, ſed in retinendis magìs conſtantem: dices, laborum amantem, animi celſitudine Aquilam, generoſitate Leonem: dices in dandis conſilijs Ulyſſem, in exequendis Achillem, in perfringendis difficultatibus magnanimum Hectorem, & vel ideò ad maxima quæque Reipublicæ munia natum, factúmque.

*Temperamentum phlegmaticum.*

LEUC: Probas, ex aura ætherea hunc delapſum; hinc facilè colligo, in mari mortuo, vel regione phlegmatica natales alteri ſtatuendos. *MEL:* Divinas: nam cadavericam defendit formam frons pallida: Riphæo frigore conſtricta tardè pulſat arteria: cæſaries rara, & albicans hyemem probat: vox tarda & debilis raros domi ſpiritus indicat: facies ampla plenilunium monſtrat: obſcuriores oculi, in nativa albedine natitant, ut per feneſtras facilè videas diluvium humorum. Caro eſt ſpon-

ſpongioſa & craſſa; cutis contactu mollis & frigida; ſtatura brevior, nam pinguedo non niſi ſolos dilatare ſolet abdominis terminos: verbo, omnia motu tardo frigent, omnia languent. Et quid ex phyſiognomico tripode huic præſagies Augur? dices glirem eſſe, proclivem ad ſomnum, ſæpiúſque jacere in lecto Craſſum, quàm in Muſæo ſedere Sulpitium. Illius ſomnia aſſeres, non niſi liquidas Metamorphoſes: nunc inter Najades natabit, Belidúmque implebit dolia: nunc in pellucida lympha ſe ſtupebit Narciſſum, nunc cum Oeſaco vertetur in mergum: modò in lacubus quæret ranas Latonias, in ſtagnis piſcabitur Dercetes & Naides: modò cum Byblide in fontem, vel cum Egeria ſe verſum ſomniabit in fluvium: nunc cum Ulyſſe patietur naufragia, nunc per montes congelatos luctabitur, clauſáſque nivibus rupes, ſuppoſtáque Cœlo ſaxa, niveóſque globos cum Pompeio volvet, atque revolvet. Dices frequentem in illius ore ſalivam ob humidi copiam: raram ſitim ob caloris inopiam: modicam famem ob acidi defectum: orexin aſſeres pronam ad fructus, & ſi quæ ſunt alia liquida ſimul, frigidáque Pomonæ tragemata. Valetudinem negabis illi robuſtam, ſenſus, è Galeni placitis, dices illi minimè vegetos, ob concoctionem infirmam, hujúſque pediſſequam nauſeantis ſtomachi anorexiam. Subjectum pronuntiabis pernicioſis catarrhis, malóque hydropiſis, quæ frigido nimiùm jecore, alimenta in flatulentam coquit pituitam: nec à ſpaſmo velis eſſe ſecurum, qui glutinoſis humoribus impleta ſolet diſtendere, & diſtenta convellere; niſi ſpaſmum prævertat apoplexia, de qua, juxta aphoriſmos Galenicos, habent phlegmatici, quod ſibi maximè formident. Mores, quod attinet, teſtaberis eſſe teſtudinem tardam, & torpidam; nam ſolent eſſe phlegmatici in actionibus pigri, in motibus languidi, ut limaces eſſe intelligas, quæ in ſuo phlegmate ſopiti, ſucco Naturæ nutritio contenti vivant. Hinc ejusmodi homini naturalem dices eſſe modeſtiam, ſine violentia erit quietus, ſine virtute pacatus: contemnet honores ſine invidia, injurias ſpernet ſine vindicta: deſtruet nihil, ſed & nihil ædificabit, quia nunquam Dædalus, qui ad alta aſſurgat, ut ruinam timere poſſit, caſúſque Icarios. Nunquam notabis præcipitem: nec pronum ad iras, nec ad amores proclivem: virtuti heroicæ adſcribet, ſi etiam laceſſitus, reſpondere poſſit

*C. 22. Art. Med.*

cum

cum phlegmate. Ingenium illi congelatum exiſtimes, adeò rarò ejus planetæ ſcintillant. Et licèt lacteus frontem dealbet color, intus tamen Ariſtophanis nebulæ, Philoſtrati ſomnia, inane peculium, vix mica cerebri, vix gutta memoriæ, ſed ſola penè ſtupiditas triumphat. Hinc optimum illi alexipharmacum, ſi curis obruatur, & ſtudijs, quæ pigram adipem arrodant: ad iram frequentem ſi concites, beneficium invito præſtabis; nam ſic ſpiritus in frigore animabis ſopitos. Cæterùm, qui phlegmatico detentum ſe noverit Xenodochio, ſomnum vitet, maximè meridianum, vitet phlebotomias, cibi, potúsque copiam, utì & otium evitet, ne humores humoribus augeat, pigróque in mari naufragus ſuffocetur.

LEUC: In idea delineâſti temperamenta, quæ vocamus, ſimplicia: ſed de compoſitis qui Philoſophis ſenſus? *MEL*: Tam varij, quàm varia poteſt eſſe illorum mixtura, volo dicere, non tot, quin plures, adeóque propemodum infiniti. Hunc immenſum varietatis Oceanum nemo hactenus audacibus tentare remis eſt auſus: compoſitorum ergò indicia, doſésque anomalas ſi lubeat determinare, è temperamentis ſimplicibus, quia prototypis, id colligendum: eſt enim ſcitum è phyſiognomica Dyphtera, *quòd tantum quisque participet de humoribus ſingulis, quantum participat de effectis.* Atque ut meliùs diſcas miſcere artis hujus colores, depingam unum & alterum ectypon, ad cujus normam, novus Apelles, innumera variabis. Ob oculos tibi pone ex Pædotrivio Juvenem, cujus divinare temperiem, tacitus intendis Augur. Obtutu ſimplici totam lege,& relege frontem, síque potes, exhauri totam corporis ſymmetriam: fac, vultus vividus, flammeo ſanguinis flore rutilet, albo virente illuminatus: capitis culta cæſaries, inter nigrum &, candidum media, ſinuoſos defluat in cyrros, laſcivientis ludibrio Zephyri eventilandos: fulgurent oculi, & loquaci mobilitate verſatiles in capite ſaliant: frons exporrecta, & ſerena ſe explicet: roſis labia certent, ac amœnè ſubrideant; totúsque corporis habitus nec pinguedine turgeat, nec tamen oſſibus hæreat gracilis, & macilentus. Poſt hæc indicia in mores quoque cenſorem oculum conjice: fac, reſplendeat benignitas amœna, affabilis comitas te, vel invitum, invitet, oculos rapiat morum candor, generoſa indoles, omnibus curis, & difficultatibus major,

emi-

emineat: ex altera parte advertat te animus, adorator ſui, æſtimationis propriæ exactor, & cuſtos: ad honores, & heroica mentem notes proclivem, atque ad amores præcipuè, ſacros, atque profanos, æqualiter pronam: in omnibus denique eluceat Protheus, támque celeres deprehendas affectus, quàm inconſtantes: & quid putas, cujus eſt Imago hæc? quatuor prototypa inſpice, & ex effectibus apparebit, ſic mixtam ex igne, aëréque temperiem, ut aër tamen prædominetur, atque ſic Oraculo, minimè dubio, hunc Adonidis gemellum, nempe cholerico-ſanguineum pronuntiabis. Jam in alium quoque, oculum intende exploratorem, vultûs cape lineamenta, & videbis aſpectu ſerium, ſi non ſeverum: frontem arant conſuetæ rugæ, nebulámque monſtrat hoc plerumque Barometron. Color rufus, & ſubniger, capillus ater, membra calida, caro exſucca, oculi vividi, qui velut duo Planetæ ex ſuo Cœlo ſcintillant. Hunc alloqui ſi velis, depone jocos, non enim amicus eſt Plauti: Laconiſmum amat, loquitúrq; multum, non multa. Judicium notabis acre, ſed pertinax: mavult errorem errore novo tueri; & bis errare, ne videatur errâſſe ſemel: hinc amat particulam malignantis Naturæ, Momi cryſes non averſatur, nec facilè reſpondet ſine accentu ſat gravi; nec facilè loquitur ſine cenſuræ virgula hic Ariſtarchus. Cæterùm hi ſpiritus acres illi ingenium acuunt, hinc nemo feliciùs venatur Chymæras, nemo profundiùs mergitur, & in ſpeculationum abyſſo ſubtiliùs abſorbetur. Denique videbis conſtantem in cœptis, ſolitudinis amicum, nec inimicum laborum, nam ſine vinculis ſedere poteſt ad tranſtra. Et quam tu huic aſſignabis temperiem? duc parallelum ad temperamenta Archetypa, & cholerico-melancholicum deprehendes.

LEUC: Id tacitus ſuſpicabar: nam atræ, flavæque bilis vidi effectus, quos occultare nequit hic Pronepos Catonis. Hoc reſcire modò eſt animus, an tantum temperamento huic ſit pretium, quantum illi attribuit Stagirita. Tenet enim, nî fallor, quòd, ubi Melancholia prædominatur, ibi ſceptrum Sapientia teneat. Atram bilem judicij, & prudentiæ ſedem appellat, ſub cujus dominio nihil præcox, & turbidum, ſed non niſi ad purum, conſilia excoquuntur. Addit inſuper, ſapientes omnes vel Melancholicos eſſe, vel ſaltem fuiſſe. *MEL:* Id in re- *L. Probl.*

verentiam noſtri Ducis, minimè auſim inficiari, ſi & alij humores, ac præcipuè cholera, juſtum adjungant pondus. Eſt enim quotidianâ experientiâ hoc manifeſtum, Melancholicos communiter doctos, aut doctos com̄uniter Melancholicos: nam ſolitudines amant, & ſtudia, ſine quibus nemo facilè doctus, teſte Horatio: *Scriptorum Chorus omnis amat nemus, & fugit Urbes.* Quòd ſi tamen Philoſophus, extra lancis phyſicæ regulam, his elogijs atram bilem condecoret, Oratoris Romani judicio me conformo, qui hæc legens in Stagirita, malle ſe, aſſerebat, tardiorem eſſe ingenio, quàm melancholico genio, ut ab humoris hujus intemperie longiùs abeſſet. Noverat ſcilicet, Melancholiam, non malè ab aliquibus definitam, quòd ſit *delirium ſine febre, ſine causâ metus, ſine ratione tremor.* Noverat fuiſſe, qui hoc atro ſymptomate turbatus, diceret, ſe mortalium planè miſerrimum, eò quòd *nihil* eſſet: alium, qui lateritium ſeſe firmiter crederet; adeò ut omnem prorſus potum reſpueret, ne liquore hoc forſitan diſſolveretur. Sed leviora ſunt iſta Melancholiæ deliria; legimus, quos ad uſque Moriæ licentiam promovit humor hic terreus. Certè fuit, qui pedes habere vitreos, tam evidenter ſibi perſuaſerat, ut nec paſſum promovere auderet, ne ſtylobatæ adeò fragiles, in fruſta forſitan diſſilirent. Fuit, qui ex butyro coagulatum ſe diceret, & ideò, licèt opificio Piſtor, nulli igni, ne dicam clibano ſuo appropinquabat, ut ne calore difflueret forſitan, & ſolveretur. Fuit, qui mortuum ſeſe, etiam juratò aſſereret; imò fuit, & quidem è Peripato Sophus, qui ultra Magiſterij lauream, ita erat naſutus, ut imaginatione præpoſterâ, naſum ad ulnam Arcadicam ſibi excreviſſe, pertinaciter aſſeveraret: hinc ne fortè impingeret, hærebat ſemper immotus, atque propiùs accedentes, clamore valido, præmonebat, ne proboſcidem fortè offenderent, vel conculcarent. Sic ſapiunt, qui nimiùm ſapiunt, & in Melancholicorum Peripato ſeſe Baccalaureos ampullantur.

LEUC: Id enimverò crediderim, ſi Monarchicum ſibi imperium vendicet Melancholia. Fac, phlegmate temperetur, erit, ut ipſa Pallas hunc ſibi expetat humorem. *MEL:* Erras; ſine cholera ingenium nullum ſcintillat. Age, per exempla te ducam denuò, ut phyſiognomicam tandem addiſcas cryſin. Juvenem tibi finge, erudiendum in litterariâ paleſtrâ Diſcipulum:

lum: vultu tetricus, colore luridus, capillo fuſcus eſt iſte ſurculus, ut bene colligas cerdone ſatum, & educatum inter calones. Sermo gravis,& lentus, converſatio tam moroſa, ut ſine actu heroico vix bene periodum abſolvas. Vires corporis languidæ, ſegnis animus, indoles obſcura: nam nullum facilè lædit, ſed Pacis amore, pigro in otio, lubentiùs marceſcit. Et nunquid tu ex iſto trunco Mercurium? abſit: Phlegmatico-Melancholicum ſcito, qui ſupra rudium atmoſphæram nunquam ſe elevabit. Alium tibi finge Palladis Candidatum: vultus albicans, ſed absque pallore, ſæpius genas non inamœna tinctus rubedine: vox gravior, atque articulata, niſi verba ſubinde mutilet lingua balbutiens. Subridentia aliquantulùm labia, capillus ad album vergit, habitudo corporis bona, quia tam in ſtatura, quàm in pinguedine, ad mediocritatis lancem exactè librata. Mores ſi introſpicias, deprehendes comptos, nec tamen ab omni affectationis nævo ſemper immunes. Videbis, quòd munditiem quærat in victu, veſtitu, & vultu: quòd colat Muſas, ſed non niſi, ùt multi, hoc eſt, ad uſque medium Pindi, ad culmen non aſcendit cum paucis. Cernes,quòd aliorum carminet libenter actiones, & mores, Æſopi fabulis quòd delectetur, rumores colligat, collectos ſpargat: quòd diſtrahatur cum deſiderio, diſtractus cum gaudio quòd operetur. Etſi minor in ſingulis, ſufficit illi pluribus ſe eſſe intentum. Experieris, quòd amicitias facilè colat, cultas faciliùs lædat, læſas facillimè reſtauret: nam ſicut leviter ſe cuique accommodat, ita nullo negotio benevolentiam captat. Et nunquid bonam hic nactus eſt indolem? utique bonam, quia phlegmatico-ſanguineam, cui ne ſit melior, præter choleram deeſt nihil.

LEUC: Ut video, cholericorum ex albo es, cùm ſic ſuſcipias patrocinium choleræ. Id tamen pace tuâ hìc dixerim, temperiem, quam vocant ad pondus, in Phyſiognomica arte, cæteris præponderare nunquam non didici: imò memini me legiſſe, qui ob præſtantiam, numeris omnibus abſolutam, hanc Chriſto temperiem,ejúsque Matri Virgineæ adiudicârint. *MEL*: Equidem ego id non inficior, ſi temperamento juſto intelligas, quod debes: non illud nempe, quod æquali lance humores librat, ſed quod, juſtâ proportione, tali homini conveniente, eoſdem diſpenſat. Hujus ectypon ſi à me peteres, colores terere

deberent Cives de Nazara, qui quoties mœſti, toties dicebant: *eamus ad filium Joſeph*, ut formæ amœniſſimæ radijs nubila diſcutiamus. Penicillum deberet ducere Dionyſius ab Areopago celebris, qui ſemel intuitus *Pulcherrimam inter mulieres* dicere ſolebat, *quòd adoráſſet ùt Deam, nî fides aliud docuiſſet.* Ut tamen, tyronum in morem, lineamenta carbone ſaltem adumbrem, finge tibi, proponi à Phantaſo duodenne illud Cœli Delicium, *Speciosſum præ filijs hominum, in cujus vultum proſpicere deſiderant Angeli:* finge, inquam (nam abludes multùm à veritate) & ſtupebis ideam cœleſtis formæ numeris omnibus abſolutam. Ludent in fronte amœniores illecebræ, caſti certabunt Adonides Narciſſis, coloris vividi florebit lepos: in genis blandæ natabunt Gratiæ, lætúſque ridebit rubor: eburnea frontis exporrectæ area candore primam ſuperabit nivem. Cernes ſuperciliorum formoſas irides, ſub quibus, oculorum gemina ſidera, tam blandè fulgurant, ad extorquendum amorem; tam argutè ſcintillant, ad incutiendum timorem; tam amabiliter ardent, ad conciliandam reverentiam, ut ex vivida luce Divinum Ingenium non poſſit non clariſſimè reſplendere. Stupebis, illius ore nil abſolutius, nil ad decorem venuſtius; minium nativo cedet labiorum purpuriſſo, in lingua ſedebit Suada, & in voce tam urbana, ac neutiquam adſcita feſtivitas, ut quot verba, tot, velut in
*Lucianus* Hercule, ab ore proruant vincula, quæ corda rapiant vel invitis. Cernes ex nigro clareſcentem cæſariem in humeros amœnè defluam, cyrris in fine modicis arcuatam: geſtus ad amœnitatem omnem compoſitos; naſum juſtum, cutis temperiem delicatam, maximè in vola manûs, diffuſum ubique niveum colorem, tantámque in membris omnibus ſymmetriam, ut exhauſiſſe decorem omnem videri Natura poſſet.

LEUC: Si juſta temperies tantam corpori venuſtatem, quantum putas in animo generabit ſplendorem? *MEL:* Margaritam ex concha æſtimes, oportet. Illud præcipuum, quod animi indoles ad medietatis librata trutinam, inter audaciam, & timorem, cunctationem, & præcipitantiam, miſericordiam, & invidiam, cæteráque animi pathemata æquilibrium teneat: deprehendes alacrem, amicorum amantem, officioſæ humanitatis exemplar, diſcretionis, & prudentiæ ſpeculum. Videbis ad virtutem natum, factúmque, et ſi ullus alius, ſortitum animam bonam.

nam. Audi, qua colorum mixturâ purpuratus calamus perfe-ᴄti Viri depingat ectypon, & temperamenti juſti mox indolem colliges, ex indole viam viri in adoleſcentia, quam duodennis in Nazareth terebat Chriſtus. Vidiſſes interritum periculis, cupiditatibus intactum, inter adverſa felicem, in ignominia beatum, in medijs tempeſtatibus placidum, ridentem quidquid cæteri timent, optántve, cuncta tranſeuntem, velut minora, quia nullo bono nitentem, niſi ſuo: hinc ſemper liberum, conſtantem ſemper, ſibi ſemper ſimilem, erectum, excelſum, vacuum ſui, plenum DEO. Deprehendiſſes, quòd vis nulla, bona illi ſua excuteret, quòd mala vertat in bonum, quòd re nulla fruſtretur, nec ullo lædatur caſu: quòd pretia rebus, non ex opinione, ſed ex Natura imponat. Vidiſſes, quòd ſuper omnia eminens, toti ſeſe inferat Mundo, & in omnes Mundi actus contemplationem extendat, tranquillus ſemper, & inconcuſſus. Deprehendiſſes, quòd majori ſui parte illic commoretur, unde deſcendit, fini ſuo ſemper conjunctus, imitando radios Solis, qui quamvìs terram contingant, ibi tamen ſunt, unde mittuntur. Hinc notâſſes illius animum in Olympi vertice ſemper tranquillum, ſupra hanc atmoſphæram erectum, ſemper ſerenum, qui rerum defectus ignoret, & formas Prothei neſciat. Vidiſſes, quòd omnia illi ſæcula ſerviant, quòd æqualiter, Solis inſtar, univerſa perluſtret, atque omni multiplicitate rejectâ, in unitate ſimpliciſſima conquieſcat. Deprehendiſſes, quòd extra ſe nihil optet, nec habeat neceſſe, accerſere longiùs felicitatem, quam corde incluſam gerit: denique quòd ſoli DEO ſpiret & vivat, ſemper abire paratus, qui mortem non numeret niſi locò mercedis, & felicitatis perennaturæ. Neque hìc mihi oggeras velim, hoc ectypon penicillo Stoico adumbratum, quia apathicon: non enim excludit affectuum luctam, ſed illam potiùs commendat. Timet, ne timeat inordinatè, vel abſque ſenſu ſit: audet, ne incurrat ignaviam: amat, ne rerum pretium contemnat: odit, ne malum approbet: ſperat, ne vel ſuas, aut alienas vires ignorare, vel promittenti fidem abrogare videatur: in contraria fertur, ut melioris optio rationi relinquatur, & libertati. Addo annexam huic temperamento longævam vitam, quam Adamus, etiam in ſudore vultûs, ad annos nongentos, & triginta protraxit; ulteriùs protraxiſſet Chriſtus, ejúsque Virginea Ma-

*Card. Bona.*

ter, niſi Huic amoris deliquium, Illi mors violenta, vitæ ſtamen maturiùs abrupiſſet.

LEUC: Sat patet, temperiem hanc non immeritò dici ad pondus, quia cuncta in pondere, & menſurâ. Sed nunquid rara hæc eſt avis Paradiſiaca? *MEL:* Ita eſt: nam ſtateram Naturæ juſtam depreſſit nimiùm primi peccati pondus, niſi ad æquilibrium illam denuò redigat inſignis virtus: ſed hìc Rhodus, ubi ſaltant rari. LEUC: Quod ergò temperamentum mortalibus magìs comune? *MEL:* Non exiſtimo, quòd Nationem facilè ſit reperire, quæ non quamvìs in ſe agnoſcat temperiem. Id tamen eſt in confeſſo, frequentiùs unam in una Natione inveniri, quàm aliam. Germaniam aſſerunt abundare temperamentis melancholico-ſanguineis, vel phlegmatico-ſanguineis: Galliam ſanguineo-cholericis, vel cholerico-ſanguineis. Hiſpanis adſcribunt crebriùs temperiem cholerico-melancholicam: Italis melancholico-cholericam. Cauſam hujus diverſitatis ſi roges, illam more ſuo, Aſtrologi in Planetas refundent, & ſigna cœleſtia: ſed conformiùs illi ad ſcopum, qui non uni, ſed varijs illam cauſis attribuunt: influxibus nempe cœleſtibus, climati, aëri, educationi, alimento, qualitatibus patrijs, & præcipuè progenitoribus: nam, ordinariâ Naturæ lege, fortes creantur fortibus, nec imbellem, ùt diximus, feroces aquilæ generant columbam; cùm contrà plerumque videas, mali corvi malum eſſe ovum, qualíſque ager, talia ſemina, & nunquam meliùs, quàm ex arbore cognoſci fructus.

LEUC: Unus etiamnum ſcrupulus hæret, quem curioſa mihi ſciendi cupiditas: quodnam poſt temperamentum Solare, ſeu ad pondus, inter conjugata optimum proclamat Philoſophia? *MEL:* Problema adducis in medium, quod, ſine invidia, nec ipſe, reor, decideret Apollo. Id nemo facilè inficiabitur, deciſionem litis ex diverſitate finis petendam. Sanguineos *longioris vitæ & ſanitatis* Podalirij judicant: nec immeritò; nam ubi ſuppetit calor, non deficiunt ſpiritus; ubi humidum radicale abundat, ſtamen vitæ non exareſcit, niſi violentis illud manibus abrumpant Parcæ. Cæterùm à Parnaſſo exulant, & à Peripato dudum proſcripta ſunt temperamenta ſimplicia: nam ſanguinei ſe nimiùm probant volatiles: ſidera ſunt ſemper errantia, nunquam fixa. Cholerici ſunt nimìs præcipites: plerum-

rumque in turbine illis gyrat judicium, errátque per præcipitia. Phlegmatici nimiùm ſeſe languidos demonſtrant: repunt ad pedem Pindi mucoſæ hæ cochleæ. Melancholici ſunt nimìs abſtracti: extra ſe abeunt, affixâ fronti non rarò ſyngraphâ: *Nemo domi.* Ex quibus palpas, nulli nupturam Palladem, niſi temperiem in illo ſentiat conjugatam. Sed tamen non quævis cuivis æquè apta Scientiæ: Scientijs, quæ ſpeculativas ſe gloriantur, temperamentum cholerico-melancholicum aptiùs convenit: hinc tot Theologicas Aquilas alit Hiſpana Tellus: illæ verò, quas eruditâ curioſitate, & eloquentiâ floridiore colit Minerva amœnior, genium petunt ſanguineo-cholericum, vel viciſſim: hinc tot Anglici Ovveni ſcintillant, Franciæ Roſcij amœnè ludunt, rutilántque in roſtris Gallicis tot Oratores. Scientiæ, quas imaginatio juvat, perpolítque conſtans induſtria, indolem exigunt melancholico-ſanguineam: hinc habet Matheſis, cur cultum non modicum Germanis referat in acceptis. Illæ demum Scientiæ, quæ ſic exigunt laborem, ut ingenium eminens ubique fulguret, temperiem ſibi poſcunt melancholico-cholericam: nam hos ſic pluteo affigit terra, ut per aërem tamen in ſublimia ſemper abripiantur. Quod ſi Melancholiæ ſanguis teneat æquale pondus, & præponderet cholera, non video, quod ad totam Scientiarum encyclopædiam, vel melius optent Muſæ, vel exigere aptius ipſa Minerva poſſit.

LEUC: Cur præteris, quod tamen maximè avebam ſcire; quænam temperies ad illud magìs conducat, quod præcipuum homini, quia primum, & ultimum, vitæ ſcilicet beatitudo, & ſanctitas? *MEL:* Ideò: quia in delicata Problematis hujus analyſi, iſtud omnium maximè delicatum. Satisfeciſſe omnibus (modò etiam ſibi) exiſtimat Eſparza, cùm ait, temperamenta humorum omnia, abſolutâ cryſi, eſſe æqualia, adeóque nullum præ altero, idoneum magìs ad finem ultimum. Temperamenta nempe excedunt ſe invicem, & exceduntur: quod hic in ſanguine melius, fors habet pejus in phlegmate: ſi hunc commendat exceſſus choleræ, defectus Melancholiæ non minùs alterum commendabit. Imò amat contingere, ut quæ magìs reſiſtunt malo, ſint pariter minùs apta ad bonum: non enim Phlegmaticus evertet Ilia, ſed everſa nec reſtaurabit. Sic ad malum proclivia, objectum ſi mutes, ſolent pariter eſſe prona

*De Paſſion. q.47 a. 5.*

ad bo-

ad bonum: centum exempla hujus Veritatis ſuppeditant Sanctorum Faſti, qui D. Auguſtinum, & Magdalenam non minùs profano, quàm ſacro amore memorant eminuiſſe. Et licèt in uno virtus ſit magìs accepta, quàm forſan in altero, humanum ſolummodo eſt hoc diſcrimen: DEO non minùs gratus fuiſſe legitur Jobus in ſterquilinio, quàm David in ſolio. *A DEO*, inquit Symphorianus, *eſt omnis Sapientia, & complexio: ipſe enim eſt, qui bilem Horatio, phlegma Heraclito, ſanguinem Socrati, Melancholiam Oreſti tribuit.* Quòd ſi opponas, ſanguineis ſuavem eſſe virtutis ſemitam, quam, Naturâ recalcitrante, ſat aſperam Melancholici experiantur; ſcias, hos, unico non nunquam actu heroico, plus meriti metere, quàm illi ſerere ſoleant per actus centies multiplicatos. Ita iſti perſuaſos nos cupiunt, forſan ipſimet necdum ſatìs perſuaſi. Sed aliâ lance temperamenta librat Haunoldus, in qua unius præ altero pondus, ſic ad virtutem inclinat, ut tantùm non hiſce oculis diſcrimen intueamur. Præterquam enim, quòd hoc conformius ſit Scripturæ Oraculis, ſenſus communis, ad ita ſentiendum, nos videtur impellere. Dic enim, amabo, an non magìs eligeres amœniſſimi Jacobi indolem, quàm Genium ſilveſtrem hirſuti Eſau? an non magìs tibi optares ſuaviſſimas dotes, quas Natura Joanni Apoſtolo, quàm pellem Iſcariotis vulpinam, mille fraudibus fartam, atque refertam? an non expertus es ſæpius, ad virtutem, ad litteras faciliùs unam indolem trahi, quàm aliam? ſanè Haunoldus perſuaderi non poterit, quòd aliter ſis perſuaſus: hinc concludit, nullam quidem temperiem ſimplicem alteri præferendam, id quod Eſparzam contendiſſe interpretor: inter compoſitas tamen meritò admitti delectum. Quodnam autem temperàmentum præ reliquis ſibi primas depoſcat, decidat altius Tribunal; ſentiemus, quod volumus. Certè Hiſpanica Natio pro cholerico Melancholico decertabit: Gallica pro cholerico-ſanguineo. Germani primatum deferent Melancholico-ſanguineo: Itali Melancholico-cholerico, ſuámq; Patriam Sanctorum fœcundiſſimam Genitricem, è monumentis hiſtoricis demonſtrabunt.

*Medicus Lugd. de vitæ ſan. c. 1.*

LEUC: Jam non video, quid amplius à Phyſiognomia petat curioſa ſciendi cupiditas, niſi ipſam fortè Momi feneſtram, qua ipſa quoque ſecreta cordis, & abſtruſos in intimis latebris

cogita-

cogitationes exploret, ac detegat: ſed fruſtrà eſt; hanc enim prærogativam ſibi ſoli reſervat ille, qui ſolus dicitur, *Cordium Scrutator*, DEUS. *MEL:* Ita eſt: non tamen penitùs hæc curioſorum vota fruſtrabitur benignum Numen: erit tempus, quo cordis clavim cunctis communicabit: veniet dies, quo aperiet Momii feneſtram. Habete patientiam Phyſiognomi, ſatiabitur curioſitas veſtra: videbitis cuncta in illa valle, quæ videre nunc cupitis, imò quæ videre non cupitis. Eritis Phyſiognomi, & ex habitu corporis, absque arte, detegetis occulta mentis. Ad judicium phyſiognomicum citabit vos tubæ clangor, judicabitis, & judicabimini, atque utinam bene, & ad vota veſtra feliciter! in hoc foro phyſiognomico patebunt corda, & judicia omnia judicabit unum judicium; ſententiam feret duobus verbulis, *ite, venite.* Superi! quale verbulum *venite*, cujus tres ſyllabæ inſcribent *innumerabilem turbam* felicitatis perpetuæ ſyllabo! quale verbulum, *ite*, cujus tres litteræ oblitterabunt omnes, è libro vitæ rejectos! cujus tres litteræ infinita ſpargent in reprobos fulmina, quibus in inferni barathrum cuncti dejicientur! Leucothee! quale ſpectaculum, in quo patebunt ſcelera omnia, quæ hìc latere vel maximè cupit pudor: ſcelera, quæ tegit nunc fictus rubor; quæ noctis abſcondunt tenebræ; à quibus abhorret dies, & quæ ipſe Cynthius ſine deliquio ſpectare nequit. Sed nolim ego, cum Epimetheo, reſerare pixidem, è qua Mundo tota malorum Ilias. Timeo tibi, timeo mihi, imò Sophis omnibus de judicio timeo, non tam propter peccata, quæ ſcimus, quàm propter peccata, quæ ignoramus. Terrent illa, ſed magìs abſterrent iſta, ob quæ terribile magìs judicium forſitan exſpectamus.

LEUC: Túne judicium, & magìs forſan terribile propter peccata, quæ ignoramus? fac ſciam modò, ut judicem, ne tunc ignorem, & judicentur. *MEL:* Leucothee! nil tibi ex meo ſenſu: illa refero, in quibus conſpirat tota, unanimi calculo, Aſceſis. Judicium timeo, propter peccata, quæ ignoramus: illa intelligo, quæ dudum timuit in patientiæ palæſtra coronatus Athleta, cùm dixit, *verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Verebatur *omnia* opera: ergò etiam bona, meliora, & optima, ſciens Oraculum, quod Divinus Judex per Sophoniam: *ſcrutabor Jeruſalem in lucernis. Jeruſalem*, ait, *C.1.v.12*

*Job. 9. v. 28.*

 non

non *Babylonem*: Juſtos, & opera bona, non injuſtos ſolummodo, & peccata: non *in lucerna,* quod mitius, ſed *in lucernis*, quod ad demonſtrandum rigorem eſt horribilius. Lucerna eſt ocu-
Dan. 10. lus DEI, de quo Propheta: *Oculi ejus, ùt lampas ardens:* hic DEI
v. 6. Oculus explorabit opera bona: nam & *juſtitias judicabit.* Imò ſcrutabitur, & minutiſſimos eruet defectus, quos nunc negligimus, & negligendo crebriùs ignoramus. Oculus Divinus, microſcopij inſtar, tunc apparebit, cui Picinellus, Inventor illius, & Author, pro lemmate: *minutiſſima quæque.* Accipe chartam, primâ nive candidiorem, magíſque mundam: hanc armato ſcrutare oculo, & apparebunt mox plurimæ maculæ, quas videns non videras; ſtriæ, quas non notâras; centúmque ſpuria filamenta, quæ non adverteras. Accipe opera, quibus tuam inaniter crepas apotheoſin, accipe, ſed ad lucernam Divini oculi contemplare: Superi, quot peccata! nil boni cernes in bono opere, apparebunt ſubitò mala, quæ priùs æſtimaveras bona. Senties Philoſophicam gnomen, neutiquam malè hìc applicatam: *quòd bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.* Nam videbis multa bona, ſed pauca bene peracta, quia non *debito fine, nec debito modo, tempore, vel circumſtantijs:* hinc videbis hæc bona non eſſe bona, ſed mala: *malum ex quolibet defectu.* Stupebis orationes, hìc meras mentis evagationes; indevotas eſſe devotiones, exercitia ſpiritûs ſine ſpiritu, ſalutis negotia, otia: *en! minutiſſima quæque.* Auditas cernes tot exegeſes ſacras, ſed ſine attentione; repetitas exhomologeſes, ſed ſine propoſito, & emendatione; frequentatas Synaxes, ſed ſine fructu, & devotione: *malum ex quolibet defectu.* Verbo: videbis opera optima, peſſima; quia peracta ex conſuetudine, neceſſitate, inani curioſitate, vel vanâ gloriâ: *en minutiſſima quæ-*
Iſa. 64. *que*, detegenda ad Oculi Divini lucernam, in cujus luce, *quaſi*
v. 6. *pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ:* Quid jam dicam de gravioribus maculis, quæ opera, non niſi ad ſpeciem bona, omni decore privant, & ſpecie? quæ nil aliud, niſi hypocriſis, tegumentum malitiæ, ambitionis irritamentum? quorum uſus, nil niſi abuſus ſacrilegus, qui abundantius poſt ſe trahit judicium, majorémque extorquet damnationem? Illud hìc celare te nolim, quod, ſine mentis attonitæ extaſi, nunquam mihi memoria ſuggerit. De Venerabili P. Balthaſare Alvarez tradunt annales.

nales noſtri, quòd illi, in ſymbolico ſchemate, ſua quondam repræſentata divinitùs opera. Sed antequam ab imagine velum removeam, prænôſſe te juvat, hunc hominem, ſi tamen hominem, & non potiùs Angelum, plebeiæ neutiquam fuiſſe virtutis, ſed heroicæ adeò, ut revelante Cœlo, vix ſanctiorem, tunc temporis, habuerit Chriſtianus Orbis. Et quod tu jam ſymbolum exſpectas? vide, & obſtupeſce: Botrus eſt, cujus pleraque grana, vel putrida, vel immatura, ſicca, vel abortiva, ut penè botrum in botro requiras, nec immeritò hanc illi addas epigraphen: *exſpectavi uvas, & ecce! labruſcas.* DEUM im̃ortalem! ſi hæc in viridi, quid erit in arido? nil hìc opus eſt addere: Philoſophus es Leucothee, & ignorare nequis arguendi methodum à fortiori. Id ex te quæro, quod de operibus tuis erit judicium in illo Judicio? ulteriùs: *ſi lux in nobis ſunt tenebræ, tenebræ quantæ erunt?* capis, nî fallor, illud Bernardi, imò non Bernardi, ſed Veritatis in Bernardo vaticinantis Oraculum: *verendum eſt, ne ſub tam ſubtili examine multæ noſtræ Juſtitiæ, quæ putabantur, peccata appareant.* *Serm. 54. in Cant.*

LEUC: Alia nempe judicia DEI, alia hominum. Si Juſtus vix ſalvabitur, peccator ubi parebit? hæc, credo, ſunt illa peccata, quæ formidavit Regius Pſaltes, dum dixit: *ab occultis munda me Domine.* *MEL:* Ita eſt; hæc formidavit, non tamen ſola: námque ſunt alia magìs timenda, quia magìs occulta. Dixi: terribilis nos manet exſpectatio quædam judicij, propter peccata, quæ ignoramus: volo dicere, propter opera bona, quæ malè fecimus; & propter opera bona, quæ non fecimus, & facere tamen debuimus. Hæc ſunt peccata omiſſionis, & utinam non ſæpe oblivionis! nam animo facilè elabuntur, quæ omittuntur. Hæc dicuntur à Regio Vate *occulta,* quia nobis in vita potiſſimùm occultantur. Scimus ea, quæ fecimus, quæ non fecimus, plerumque ignoramus: dolemus ſæpe de commiſſis, rariùs de omiſſis; hinc omiſſa commiſſis pejora: nam facillimè facimus, difficillimè cognoſcimus, rariſſimè emendamus. Terribile erit judicium propter com̃iſſa, terribilius propter omiſſa: peribunt multi, propter ea, quæ fecerunt, plurimi propter ea, quæ non fecerunt. Hinc Judex Divinus deciſivam ferens in damnatos Sententiam, non dicet, *ite,* quia feciſtis; ſed *ite,* quia non feciſtis: non allegabit commiſſa, ſed exprobrabit omiſſa: *Ite,* quia

*non* dediſtis bibere, *non* manducare. Heu! quot ejusmodi *non* (verè particulas malignantis naturæ!) tunc nobis deteget Divina Nemeſis. Dicet, *non* feciſtis, quæ debuiſtis: tot monita *non* attendiſtis, tot conſcientiæ ſtimulis *non* paruiſtis, tot gratias *non* arripuiſtis: *væ tibi Chorozain, væ tibi Bethſaida!* Et quid repones, ſi tibi exprobret Divinus Judex: ſtudium omne, continuo otio, neglexiſti: hinc malè promotus, pejùs muneri præfuiſti, commiſſas oviculas ritè paſcere *non* potuiſti, & ita multis ruinæ occaſio extitiſti: redde rationem de animabus, quas omiſſione peſſimâ perdidiſti! Nónne Xaverius, ſi Sophus conſtanti otio indulſiſſet, forſan tot animas *non* convertiſſet! Quid dices, ſi tibi oggerat: vocantem me quondam *non* audiîſti, in Vocationis gratia tot gratias neglexiſti, his neglectis in pericula, per pericula in multa ſcelera incidiſti, & ſic ſalute excidiſti: redde rationem de anima, quam hujus occaſione omiſſionis miſerè perdidiſti! Nónne Matthæus ſi DEUM vocantem ſic neglexiſſet, in telonio fors periîſſet, & per ſedecim ſæcula in inferno forſitan jam arſiſſet? Quid dices, ſi tibi objiciat: me invitantem ad meliora *non* audiîſti, auxilia gratiæ neglexiſti, occaſiones peccandi *non* evitâſti, pœnitentiæ tabulam *non* arripuiſti, ſícque æterno naufragio periîſti: redde rationem de anima, quam omiſſione hac unicâ perdidiſti! Nónne ſi Auguſtinus librum non ſuſtuliſſet, in ſuis forſitan ſordibus periîſſet? verbo: peccata omiſſionis non omittenda Chriſtiano Philoſopho, veritas eſt, quam Scripturæ Oracula ſæpe inculcant, quam Annales ſacri tragicis exemplis confirmant. Sed non potes portare modò: ſufficit, ſi cum Propheta ſæpe exclames: *ab occultis munda me Domine!*

LEUC: Imò, nec omittendam cenſeo appendicem: *& ab alienis parce Servo tuo.* Nam, niſi fallor, inter peccata, quæ quondam deteget omniſcius Oculus, apparebunt & aliena, quæ, quia aliena, parum curavimus, & vel ideò ignoravimus, licèt non ſine culpa. Et quàm terribile hoc erit judicium, ſi peccatis, quæ ſcimus, accedant ſcelera, quæ neſcimus? ſi malis, quæ fecimus, accedant bona, quæ malè fecimus? ſi addantur bona, quæ malè omiſimus, híſque ſuperaddantur mala, quæ in alijs fecimus, & ignoramus? Superi! quàm inopina erit cataſtrophe, cùm abſoluti in proprijs, damnabimur ſubitò in alienis!

nis! *MEL:* Obſervas obſervationes Sanctorum: plùs illi timent aliena peccata, quàm propria, quia minùs cognita, & vel ideò magìs nociva. Percipe obſervationem bellam, quam hìc appoſitè Iſidorus. Ait ille, Ditam ſerpentem, molis eſſe adeò parvæ, atque exiguæ, ut pede calcatum ne quidem ſentias; intereà toxicum afflat tam peſtilens, ut te malum advertat, quin advertas mali Authorem; ut moriaris priùs, quàm ſentias te ægrotâſſe. En! vivum ectypon peccati, quod dicimus, alienum: illud committimus, imò non committimus, & ideò, commiſſum non committendo, malè negligimus; quódque pejus, neglectum non advertimus, *licèt advertere, vel maximè deberemus.* Hinc ſæpe incognitum non dolemus: morimur, & ignoramus, quòd moriamur: infelices, quòd alieno vulnere ſauciemur, & quidem citra miraculum, per actionem in diſtans: inſenſati, quia alienâ morte, ex noſtra culpâ, ſic morimur, & alieno caſu ruimus, ac præcipitamur ad Tartara: hæc D. Iſidorus. Sed obſervationem, non obſervandam minùs, his adjungit Huſſiticus timoris ſancti Magiſter Jobus, dum dixit: *veſtigia pedum meorum conſiderâſti:* obſerva verbulum, nota myſterium, non tantùm pedes, & opera, ſed & *veſtigia* pedum tot ſcandalis malè relicta, conſiderat ſeverus Judex. Adeſte Sophi, ad hanc lucernam pedes veſtros conſiderate, ſed ne omittite malè impreſſa pedum veſtigia: quot opera, tot mali pedes; quot operibus conjuncta ſcandala, tot pedibus pejora penè veſtigia. Adeſte Innocentiæ peſtes, Juventutis peſſimi ſeductores: adeſte Turpilij, aſpicite pedes, ſiquidem poteſtis citra horrorem; conſiderate veſtigia, nam eſſe hircina mox prodet fœtor. Ecce! quoties eructatis vel maximè deglutienda, toties innocui audiunt, malè cogitant, pejùs delectantur, peſſimè ſeducuntur: ſic ſeducti à ſeductoribus, mox pari fato & ipſi ſunt ſeductores: ſeducunt non ſegniùs, ut novos generent ſeductores: ſic nunquam deficit propago impia; ſic creſcunt lolia, & mox repullulant per noctem fungi. Tam fœcunda ſunt primi peccati veſtigia, ut ea non deleat, ſed ad Authoris perniciem, magìs ſemper, magíſque renovet, ac multiplicet ætas. Hæc igitur conſiderate veſtigia, antequam à Judice conſiderentur: ſi nunc negligitis, & neſcitis, videbitis ſeriùs, & ſcietis, quando clamabunt vindictam. Audite hæc om-

nia

*L. 12. Etymolog.*

*Bern. de interi. domo c. 38.*

nia confirmantem Mellifluum: *multa tunc peccata proruent ex improviſo, quaſi ex inſidijs, quæ & modò non vides, & forſitan plura, ac terribiliora his, quæ nunc vides.*

LEUC: Si ita eſt, *væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi DEUS remotâ diſcutiat miſericordiâ!* *MEL:* Non falleris; nam Auguſtini ex ore fluxit, hoc multa loquens ſuſpirium. En! ùt alibi hic Sanctus Doctor, Doctrinæ noſtræ brevem tradat epitomen: *illa magìs ſunt noxia*, inquit, *quæ non æſtimantur peccata: nullum enim malum faciliùs decipit, quàm quod non intelligitur malum eſſe: peſſimum genus peccati eſt, non intelligere peccata: nullus magìs de peccatoribus plangi dignus eſt, quàm qui putat, ſe non habere, quod plangat.* Sed ad D. Gregorium revertamur: Phyſiognomiæ is vivum Oraculum; dicere poterit, quæ ſunt ventura. Ad hujus Tribunal omnes cito Philoſophos, judicium audiant in hac vita, & corrigant; ne judicium audire cogantur poſt mortem, ab illo Judice, qui feret Sententiam, æternis ſæculis non variandam.

# AUGURIUM
## PHYSIOGNOMICUM
## *Præſenti Philoſopho ad futurum Judicium.*

*Quis ardor Entheus adurit fibras?*
*Mentémque ſurſum*
*Elevat ſupra mentem?*
*Fallor!*
*An præſentibus miſcentur futura,*
*Videóque famoſam vallem,*
*Fumoſis illuſtrem*
*Perituri Orbis incendijs?*
*Ita eſt:*

*Igneâ*

*Igneâ cadentium ſiderum procellâ*
*Afflati difflati omnes,*
*Horrido immerſi flammarum diluvio*
*Naufragabunt omnes, peribit nemo.*
*Nam tubæ clangor citabit cunctos,*
*Diem dicet,*
*Cùm venerit ſuprema dies,*
*Carens die:*
*Admirare Clangoris Imperium:*
*Mors audiet, ſurda licèt,*
*Obediet exanime Orbis buſtum,*
*Ipſo Telluris corde palpitante.*
*Æterna, ſanctáque eſt ſanctio,*
*Ut tranſeant peritura:*
*Damnata, quia nata,*
*Utq; ipſis ab Elementis,*
*Suum accipiat Mundus finem.*
*Poſt mortem omnium morietur Mors ipſa,*
*Ipſa ſepulchra deſinent eſſe ſepulchra:*
*Nam mortuos reddent vivos,*
*Et ex cineribus Mortis*
*Vita leget Cadmeam meſſem.*
*Heu! quæ rerum facies*
*Erit tot inter hominum facies?*
*Cùm venerit ſæculum, patebit ſpeculum,*
*Noſcentur incognita, videbuntur occulta.*
*Quid de te dicam Sophe non Sophe?*
*Huc ſi tu veneris,*
*Patebunt incendia Veneris,*
*Corpúsque ignivomum,*
*Animam prodet aduſtam.*
*Monſtroſa membrorum moles,*
*Incompoſitam monſtrabit vitam,*
*Scelerúmque molem.*
*Male temperati humores,*
*Intemperiem oſtendent mentis,*
*Et immorigeros mores.*

*Exhi-*

*Exhibebunt ignivomi oculi,*
*Tot evibratas Cupidinis faces.*
*Fumantia fœtore labia,*
*Cerberi monſtrabunt ſpumam.*
*Indicabit extrema confuſio*
*Effuſam in flagitia vitam*
*Confuſæ animæ.*
*Erumpens in genas pudor,*
*Impudicam teſtabitur Mentem,*
*Quique in vita defuit animæ,*
*Fruſtrà tunc tinget Corpus.*
*Occulta erunt aperta,*
*Legentur in fronte effrontis ſcelera animi.*
*Prô pudor!*
*Quæ non puduit facere, ſpectante Numine,*
*Facta jam pudet dicere,*
*Audiente Homine.*
*Quid ergò mirum?*
*Si prodat DEUS coram omnibus omnia,*
*Cùm ſileat homo coram unico ſingula?*
*Sacrilegi hæc pœna ſilentij;*
*Revelare tunc toti Mundo*
*Immundæ ſcelera animæ,*
*Quæ revelare uni homini noluit,*
*Etſi facilè potuit,*
*Quia ſilere homo omnia debuit.*
*Stulte quid erubeſcis?*
*Eccleſ. 4.* Eſt confuſio adducens peccatum,
*Si ſiles.*
*Ibid.* Eſt confuſio adducens gloriam,
*Si confiteris.*
*Pudendus pudor!*
*Qui ſequitur culpam commiſſam,*
*Qui à committenda non terret,*
*Sed à confitenda abſterret.*
*Hinc meritò*
*Rubeſcet tunc rubor ſuum ruborem,*

*Eritque*

*Eritque ipſemet ſui ipſius*
*Et culpa & pœna.*
*Si ſapis,*
*Jam pudeat facere,*
*Quod factum pudebit dicere.*
*Hìc peccata eloquere,*
*Ut tunc ſileat Judex:*
*Te ipſum judica, ne judiceris:*
*Te ipſum puni, ne puniaris.*
*In Judicium peccas,*
*Si mite judicas iſtud Judicium:*
*Nam tanta erit ſeveritas,*
*Ut Judex agnoſcat omnia,*
*Ignoſcat nihil.*
*Non parcet peccanti, licèt precanti.*
*Judicabit omnes,*
*Nuditate pares, causâ diſpares.*
*Nec teget, nec proteget*
*Te Philoſophum Epomis.*
*Non enim quæretur, quàm bene dixiſti,*
*Sed quàm bene vixiſti:*
*Hìc lapis veri Philoſophi*
*Erit Virtus:*
*Nam hac ſolâ probabitur, vel reprobabitur.*
*Imò*
*Sola Virtus lapis erit tunc Philoſophicus,*
*Nam ſine hac aurum non feciſti, ſed paleas,*
Paleas autem *Luc. 3.*
Comburet igni inextinguibili. *v. 17.*
*Ita eſt,*
*Damnabit quisque*
*Se Teſte, ſe Accuſatore, ſe Judice, ſe ipſum.*
*Sententiæ adjiciet Decretum DEUS,*
*Sed immutabile,*
*Quia munitum Sigillo Æternitatis.*
Venite, *Probis dicet,*
*Reprobis eheu! nunquam redituris,* ite.

*Damnandi rigorem æquabit plectendi rigor,*
*Carnifex aderit ignis, & eadem luce*
*Scrutabitur improbos, & comburet:*
*Ut ſcias,*
*Nil fore inultum, inuſtum nihil.*
*Abi Philoſophe!*
*Et mihi ſolve Problema:*
*Ubi erit Mundus? ubi deliciæ? ubi divitiæ?*
*Ubi eris tu, qui hæc audis, vel legis?*




S. Furſeus, Angelorũ in cælis diſcipulus, in terras miſsus
Anglorum Doctor, cæleſtem docet Philoſophiã de tem,
pore et æternitate: hac ab angelis dictata Theſi: omnis
labor, et tempus breve est intuitu æternitatis.
Sur. 16. Jan.

Gotfrid Rogg deline: I. M. Gutwein sculpsit.

# JANUS BIFRONS, *Seu* DISCURSUS IX, *De* TEMPORE, & ÆTERNITATE.

LEUCOTHEUS. Papæ! quod tu mihi hierogliphicum ſchema? novum ex fabuloſa Antiquitate portentum? Janum Bifrontem lego, Mundi ſymbolum, ſi Oratorum Principi fides: *utpote qui in Orbem continuò volvitur, & ex ſe initium faciens, in ſe refertur*: cujus templo illud ænigma non immeritò applices, quod quondam Æſopo Sophiſta quidam Ægyptius: eſt templum grande (Mundum intelligo) in templo columna, duodecim habens Urbes (id eſt annus, duodecim habens menſes) Urbs quælibet triginta trabibus (diebus ſcilicet) ſuſtinetur: trabes, duæ circumeunt mulieres, noctem puta, diémque, quæ ſua viciſſitudine Mundum exornant. *MELANDER*. Non ignota loqueris, nec etiam à ſcopo meo aberras, utut punctum non ferias. Janum, quaſi Eanum, ab eundo deducit etymologus Cicero, Mundum, ſive Cœlum, ùt ais, denotans, temporis menſuram. Alij per Janum meliùs ipſum tempus intelligunt, quod utique eundo volvitur, Orbémque

*L. 2. de Nativ. Deor.*

que Siſyphi ad inſtar volvit: hinc aſſerunt bifrontem, quaſi unâ fronte aſpiceret tempus præſens, alterâ proſpiceret futuram æternitatem. Sed mittamus fabuloſum corticem, & Duce Philoſopho, veritatis nucleum excutiamus, *Naturam* ſcilicet, *temporis ac æternitatis.*

LEUC: Meliorem in S. Furſeo Janum, ætati noſtræ proponis: de hoc legiſſe me memini, quòd à ſeveriore Pallade, ad S. Scripturæ pulpita delatus, ſolidioris amore Sapientiæ ſic exarſerit, ut dum, Phyſicâ fronte, caduci temporis brevitatem ſpectat, morali alterâ, æternitatem contemplaretur, ſæpe in terris Philoſophus, ſæpe Ethicus in Cœlis extaticus. *MEL:* Ita eſt: tunc præcipuè, cùm ad Magiſterium cœleſte ab Angelis evocatus, globi Terraquei molem, vitijs undique conflagrantem, in æternitatis abyſſum mox ruituram ſpectaret; cùm viſis æternitatis infauſtæ ſupplicijs, in Mundo eloqui juſſus eſt, quæ in cor hominis vel nunquam, vel non ſat profundè deſcenderant: ſcilicet *tempus omne, intuitu æternitatis, eſſe exiguum. nam momentaneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat.*

*Temporis Natura.* LEUC: Utilis Philoſophia, è qua, velut aurifodinâ, tam ſancta à Sanctis dogmata eruuntur. Sed ut filum diſcurſui porrigam, edic precor, *quid ergò Tempus?* *MEL:* Non tuo, ſed Auguſtini ex ore fluxit hæc quæſtio, à quo igitur reſponſum cape. *Si nemo ex me quærat, ſcio: ſi explicare velim quærenti, neſcio.* Dixit aliquid Princeps noſter, ſed pro ſubtilitate ſua obſcuriùs, dum tempus vocat *numerum motûs ſecundùm prius, & poſterius.* Lucem affundunt Interpretes, quando per *numerum* intelligunt *menſuram;* puta, multitudinem partium alicujus motûs, immediatâ ſibi ſerie, ſuccedentium. Menſura hæc, ſi ſeſe ab extrinſeco teneat, *Tempus* parit *extrinſecum*, ſolétque deſumi à puncto quodam fixo æternitatis imaginario, vel à virtualitatibus, ùt phraſis habet ſcholaſtica, Æternitatis Divinæ. Calculo tamen communiore, pro menſura ſtatuitur, Cœli mobilis ſucceſſio ſphærica, tanquam quæ ſenſibiliùs cadit ſub oculos: eâ lege, ut una ubicatio ſolis, ſuccedaneo ordine, prioris velut pediſſequa, metiatur rerum omnium ſive diuturnitatem, ſive brevitatem. Videtur hoc, ſuo Creator ipſe mandato, ſtabiliviſſe, dum dixit: *fiant luminaria cum firmamento, & ſint in ſigna, & tempora, in dies, & annos.* Quòd, ſi menſura hæc foret intrinſeca, *tempus* foret

*L. 11. Conf. c. 4.*

*L. 4. phyſ. c. 13.*

*Gen. 1.*

*intrin-*

*intrinſecum*, ſeu illud, quod res quælibet durans cenſetur habere in ſe, menſurabile per tempus extrinſecum, nihilque eſt aliud, niſi ipſa rei duratio, quam Scholæ definiunt, *eſſe accidens modale, ſubjectum formaliter affigens virtualitati certæ æternitatis Divinæ.* Hæc de Natura temporis pro ſuo more Scholaſtici.

LEUC: Bellè hanc adumbrâſti; ſed quæ tibi criſis de annis *Criticis*, quos alij *Climactericos* nominant? *MEL*: De his multi non pauca. Myſterium Naturæ non immeritò dixeris, adeò obſcura illorum eſt Phyſica. Nominis etymon, quod ſpectat, Latinis dicuntur *Scalares*, quia per ſeptenarium, aut novenarium ſcanduntur. Græcis ſunt *Climacterici*, quia periculoſi: nam obſervant præclariſſima in Peripato Lumina, inter quæ veluti Phœbus eſt D. Auguſtinus, quòd hi anni periculoſam mutationem inducere ſoleant. Podalirijs dicuntur *Critici*, quia decretorij, quibus ſua de morbis judicia ſtatuunt. Ægyptijs ſeptimus annus vocabatur *Effractor*, eò quòd ſæpe effringeret animæ carcerem. Oratori Romano appellabatur *Nodus*, quem inter multos vix unus ſolveret Alexander. Hinc Cæſar Auguſtus ſic quondam per epiſtolam filio: *lætare mecum fili, transgreſſus ſum annum ſexageſimum nonum, omnibus Senibus periculoſum.* Quòd, ſi hujus experientiæ cauſam à Peripato exquiras, reponet Seneca: *ſe non poſſe per Phiſoſophiam exponere, quare ſeptimus quisque annus ætati ſignum imprimat.* Alij ex Aſtronomia problematis hujus deducent analyſin; nam aſſerent, Saturnum, anno quovis ſeptimo, ad quadratum loci, contrariúmq; ſignum, unde egreſſus eſt, progredi, & ſic, quemadmodum Luna criticos dies, ſic annos illum efficere criticos: nam totidem fere annis Saturnus in uno ſigno, quot diebus moratur in illo Cynthia: hinc, cùm humores in ſtatum contrarium tranſeant, quid mirum? ſi periculoſam mutationem inducant, niſi alia faverint aſtra, vel ratio victûs, aut virtus pharmaci periculum avertat. Ita illi, quibus ſuam non denegavero Topicam, ſi modò Analyticam fidem ſibi, non arrogent, vel expoſcant.

*Temporis Proprietates.*

LEUC: Intelligo paradoxam hanc temporis proprietatem. Si pari penicillo proprietates quoque depingas, perfectum erit temporis ectypon. *MEL*: Has tibi ænigmaticâ colorum mixturâ, depinget Sphinx oratoria: En! quale monſtrum ex obſcuris Phyſicæ tenebris producat in lucem, quod primâ fron-

 te non

te non unum, ſed omnes in una fronte referre putes tragelaphos. Vobiscum, inquit, creatum quid agit, calidum juxtà ac frigidum, ſiccum ac madidum, longum ac breve, jucundum æquè, ac lugubre: nunc enim in fronte ciet triſtitiæ nebulas, largósque ex oculis pluit imbres: nunc vultui ſerenitatem, amœnósque oculis induit radios, ſéque unà cum alijs ad læta animare ſolet tripudia. Quòd ſi quæras, ubinam locorum hoſpitetur? Cœlum ſuſpice, illud incolit: terram deſpice, & orcum; nam & hos quoque inhabitat. Cæterùm oculis caret, & nil tamen eſt, quod ejus poſſit ſubduci conſpectui: caret ore, & nihilominus abſorbet omnia, quavis Charybdi voracius: caret pedibus, & currit tamen, Atalantâ velocius. Transfreta, ſi lubet, velis remíſque maria, ſubſequetur: peragra terras, vel ſi mavis, jugales Auſtros, & Aquilones volanti eſſedo junge, tibi præcurret: capreæ in morem, conſcende montes, & ab uno rupis cacumine in aliud, dicto citiùs, te libra, tamen te deprehendet: alas à Pægaſo mutua, téque in aëra attolle, immenſos illos tractus, momentô temporis, & demiſsâ velocior ſagittâ, transvola, nihilominus te aſſequetur, utut nec pedibus, quibus currat, aut ſaliat, nec pennis, quibus volet, præditum ſit. Pythagorâ quovis eſt taciturnius, ac muto piſce elingue magìs; & nihilominus prodit omnia, tacet nihil: nunquam didicit aliquid, nec ulla Scientiæ laude eſt memorabile, & tamen primas in Athenæis ſibi cathedras vendicat, omniúmque complectitur Scientiarum encyclopædiam. Nam Jurisperitis æqualitatis leges, Philoſophis arcana Naturæ, Theologis recondita fidei myſteria pandit. Illud mirum, quod ſtomacho careat, & tamen concoquat omnia, ad ſtruthionis invidiam. Fur eſt, nam rapit omnia, ſimúlque prodigâ liberalitate, cuique affert theſauros inæſtimabiles: nil illo ditius, nil illo pauperius; aſſiſtit omnibus, adhæret nemini: valetudinem, & vires ſuppeditat, & has rapit: vitam indulget, & mortem affert, gratificatur æqualiter omnibus, nulli ſe ſe obnoxium facit, & omnibus: & quæ præcipua Naturæ proprietas: nil illo pretioſius in Mundo, nil illo vilius: nihil curatur minùs, cùm adeſt, nihil optatur magìs, cùm abeſt: æterna parit emolumenta, ſi bene colas, æterna affert diſpendia, ſi malè cures. Hæc ille, ſolventi promittens præmium, quod Tempus dabit.

LEUC:

LEUC: De vita ſimul & præmio deſperarem, ſi ijſdem legibus, quibus olim cum Oedipo, mecum inter & Sphingem, hodie conveniret. Fateor, hoc antilogico ſchemate, veluti genuinis eſt expreſſa coloribus, temporis indoles: paradoxas præcipuè miror proprietates; quarum unam, & alteram morali trutinâ ſi expendas, nil ab inſtituto meo, tuóque facies alienum. *MEL:* Vehementer probo, quòd, quam hactenus tenebam docendi, tu quoque diſcendi methodum obſerves. Leucothee! quod Diſcipulis quondam ſuis Doctor Mellifluus, hoc noſtræ ætatis Philoſophis non inutiliter quis inclamaret: *nihil pretioſius tempore, & heu! nihil hodie vilius reputatur! tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat.* Utique nil humanâ digniùs avaritiâ, niſi ad noſtra lucra eſſemus Talpæ, luménque fidei ultrò aſpernaremur: ſcilicet ad Libitinæ lucernam, ſi oculi caligabunt, videbimus momenta temporis, ſementem eſſe æternitatis: verè enim Leucothee, quæ in tempore ſerimus, in æternitate metemus. Euclionem tibi finge, quem ita Jupiter deamet, ut Neſtoris illi ſæcula non modò promittat, ſed etiam juret per Dyphteram: fac, quòd ob oculos illi ponat apertas Perſarum Gazas, Cræſi theſauros, omnéſque divitias, quas è conchis dives colligit India, vel è fodinis eruit felix Arabia, aut ſecum vehit Pactolus ipſe, atque *auro turgidus Hermus*: fac, inquam, hæc illi ponat ob oculos, ſed eâ lege, ut unius diei ſpatio, colligat, quantum poſſit; hoc elapſo finitum negotiandi tempus denuntiet, nec niſi ſteriles, quò ad vitam protrahat, fore annos: quid putas? an diem hunc ſtertendo conſumeret malè providus futuri Endymion? an muſcas venando, bonas horas cum Domitiano combureret? abſit: centimanum ſe optaret, diu noctúque ad id intentus, ne bonæ diei vel minima illum particula præteriret.

*S.Bern. ſerm. ad Scholar.*

*Virg.*

LEUC: Hæc filij tenebrarum, prudentiores ſanè filijs lucis: ſed putáſne, glaucoma ejuſmodi etiam Philoſophis objici? *MEL:* Ophtalmicum agere nolim; id tamen etiam cæcus facilè videt, quòd non omnes tempori ſtudeant, quibus ſtudium temporis. Athenæa Sophorum luſtra, & quot tu diſputantes percipies de theſi, quam Apoſtolus poſuit: *dum tempus habemus, operemur bonum?* quot Bernardinos, qui liberè profitentur, quòd *tempus tantum valeat, quantum DEUS*, quia tempore bene con-

*Gal.6.10*

ſumpto

ſumpto comparatur DEUS? quot Auguſtinos reperies, quo-
1. rum ex ore cum veritate ſtillat iſthæc confeſſio: 1. *carò mihi*
*l.1.Conf.* *valent temporum ſtillæ?* quot videbis Catones, 2. qui cum libro
*c.21.* adeunt curiam, ne punctum temporis, quo coire Senatus ſolet,
2. otioſi perdere cogantur? quot numerabis Platones, qui 3. non ni-
*Val.l.8.* ſi, erudito ex libris pulvinari, immoriuntur? alia jam volvitur
*c.6.* ætas. Utinam non videre ſit plurimos, qui pretioſa momenta
3. non utili ſtudio, ſed inutili otio comburunt! qui horas pœni-
*Idē c. 2.* tentiæ deſtinatas, dum luſibus, & ſymboſijs fallunt, falluntur! qui dies augendæ gratiæ cœlitùs datos, peccata augendo dum minuunt, detrimenta augent æternitatis! interim quos vita prodigè numerat annos, inutiliter multiplicat ætas: & ſi mors denique ſubtrahat tempus, expenſum æternitati, quid remanebit, niſi puer centum annorum? quem utinam DEUS non dividat, partémque ponat cum hypocritis infauſtæ æternitatis! LEUC: Ita eſt: & inter Philoſophos, reor, fore Similio ſimiles, qui ſibi hoc Epitaphium.

*Hìc jacet Similius,*
*Annos, qui plurimos vixit,*
*Tempus verò exiguum.*
*Nam*
*Septuagenarius prope poſtquam vixit,*
*Septennis vixit.*
*Abi Viator,*
*Et Similio ne vive ſimiliter:*
*Vives longiùs,*
*Si vives meliùs.*

Sed age, ſi verum effatum, quod dedit Thales, quæſitus, quid in rerum Natura Sapientiſſimum judicaret? *Tempus* repoſuit: quia *docet, eruit, & invenit omnia:* ſi vera, inquam, iſthæc proprietas: cur ergò ſuum non docet pretium? *MEL:* Docet vel maximè; illos præcipuè Sophos, qui non niſi cum Phrygibus ſapiunt. Serò capitur paradoxum illud: *nihil curatur minùs, cùm adeſt, nihil optatur magìs, cùm abeſt.* Si cum S. Furſeo audire poſſes damnatorum ſuſpiria, quid perciperes, niſi querelas, quibus temporis irreparabilem jacturam deplorant? quid niſi vota, quibus vel unicum momentum fruſtrà jam licitantur? ſed nempe, *cum*

*furto*

*furto patuit janua, ſera ſera eſt.* Si temporis præcones hi diſplicent, alium Gallia ſubminiſtrabit, Ludovicum XI, qui ultimo proſtratus morbo, quinquaginta quotidie aureos, Archiatro aulico numeravit, ut vel per diei ſpatium vitam ſibi protraheret: ſed fruſtrà; nam cum aureis vitam auream perdidit. Purpuratum Fortunæ pullum dabit regia Caroli quinti, qui in mortis confinio, pro tot annorum obſequijs unam unicam horulam petiît: ſed fruſtrà; pro epitaphio reliquit illud:

*Damna fleo rerum, ſed plùs fleo damna dierum:*
*Rex potuit rebus ſuccurrere, nemo diebus.*

LEUC: Et mihi, ut fatear, iſta figunt aculeum: ſi in vitæ meæ memoriam redeo, libet exclamare:

*O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos!*

Sed nempe hæc nova proprietas: Ovid.l.6. Faſt.

*Fugit irrevocabile Tempus:*
*Nec quæ præteriît, hora redire poteſt.*

*MEL*: Fateor, fugit irrevocabile, non tamen fugit irreparabile. Advertit Myſterium iſtud Aquilinos Sanctorum oculos, qui proin varias tempori redimendo induſtrias invenêre. E conſilio D. Anſelmi *tempus redimimus, quando antè actam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus.* In epiſt. ad Eph. Angelici ſuaſu, *tantò magìs quis debet vacare operibus bonis, quantò priùs inſtitit malis.* Scilicet compenſat fervor, tepiditatis ignavæ moras, nec raro facit ex noviſſimis primos, ſic conſumatos in brevi, ut tamen expleverint tempora multa. Leucothee, fervorem hunc frequenter exſtimulet fulmen illud Apocalypticæ Aquilæ: *Tempus non erit amplius.* C.10. v.6 Renovemus aureum illud epiphonema Chryſologi: *vivamus DEO paululùm, qui Sæculo viximus totum: dedimus corpori annum, demus animæ dies: tempus eſt, ut aliquando domui* (æternitatis) *provideamus.* Ser. 32.

LEUC: Ita eſt: atque ut inſtantiùs provideamus, de æternitate pauca ediſſere. Dedimus ſuum tempori tempus, ſuum quoque demus æternitati: quamvìs, ut nihil celem, ipſo nominis pondere ſat me æternitas terreat, juvat nihilominus ſcire ænigmaticum etymon: nam ſi fortè nunc meliùs ſciam, tunc feliciùs ſentiam æternitatem. *MEL:* Sentire poteris, ſcire non poteris, quid ſit æternitas: quia, *quid quid dixeris*, D. Auguſtino Judice, *minus dicis.* In Pſ.60. Si tamen Sophorum Oracula juvat con-

1. ſulere: æternitas Stagiritæ erit: 1. *duratio permanens, principio ca-*
*L.* 1. *de* *rens & fine.* Severino Boëtio, 2. *interminabilis vitæ, tota ſimul,*
*cœlo.c.*12 *atque perfecta poſſeſſio.* Illam Mellifluus aſſeret 3. *complexum om-*
2. *nium temporum:* Areopagita 4. *ævum ævorum.* Alij dicent perpe-
*L.* 5. *de* tuum *hodie,* quia ſine futuro atque præterito: Annum magnum,
*conſol.* & tamen inextricabilem annulum,quia ſine termino: Oceanum
*Phil.* nullâ bolide inveſtigabilem, quia ſine fundo: abyſſum ſine lu-
*proſ.* 6. ce, perpetuam noctem ſine die, principium ſine principio:
3. ſphæram ſine fine, atque initio. Alij hieroglyphico illam
*Ser.* 1. *de* ſchemate adumbrabunt: nunc circulum proponent, cujus cen-
*O. SS.* trum *ſemper*, circumferentia *nunquam:* nunc labyrinthum for-
4. mabunt cum lemmate; *ſine exitu:* modò anguem gyrabunt in
*L.* 10. *de* orbitam hac ſyngraphâ; *ubi deſinit, incipit:* modò axem ſuſpen-
*Div.nom* dent, circa quam agitatur ſæculorum omnium rota, hoc hemiſtichio: *in omne volubilis ævum:* nunc Hydram fingent ſeptemplicem iſthac epigraphe; *cùm moritur, oritur:* nunc fontem monſtrabunt, undis per Mæandros continuò refluis, adjuncto epiphonemate; *fluunt, ut refluant:* ſileo plura, quia *quid quid dixerint, minus dicunt.*

LEUC: Imò nihil dicunt, hoc ipſo, reor, quod aliquid dicant: nam ut argutè notat celebre inter Scriptores Nomen,
*Drex. l.* minùs capimus æternitatem, ſi dicamus, quid ſit, quàm ſi dica-
*de æter.* mus, quid non ſit: eſt hæc paradoxa rerum æternarum Natura, ut tunc primùm ſciamus, quid ſint, quando ſcimus, quid non ſint. *MEL:* Placet animadverſio, quæ, nî falor, è Nazianzeni Ingenio fluxit: nam huic æternitas tempus eſt, imò fallor, *tempus non eſt, nec pars temporis ulla.* In quæ verba Hierographi æternitatem mirâ paraphraſi, ſed ſine auxeſi, exaggerant. Finge, (nam in fictione nulla hîc fictio) finge, ſicut ſibi Bonaventura, dum viveret, finxit veriſſimè mala ventura: finge tibi, inquam, orci mancipium, quod anno non niſi centeſimo, unam unicam ex oculis ſtillet lacrymulam; ſtillet nihilominus per tot annorum centurias, dum tandem immenſus adæquetur Oceanus: heu! quot non annorum myriades ſeſe evolvent, dum vel unicus rivulus, ne dicam, totus Oceanus impleatur! & tamen, etſi non unus, ſed centum, etſi non centum, ſed mille, imò millioneſies mille repleantur Oceani, an æternitatem æquabis? minimè: necdum es menſus initium, tantùm abeſt, ut

ſis

ſis totam emenſus. Finge cum Iſidoro Mundi aſpectabilis ſpatium, quà latè ad Cœlos uſque protenditur, ſic arenulis repletum, ut decem illarum millia, non niſi granum ſinapis minimum æquent: prô quàm innumerus erit hic numerus! & tamen, quantus quantus eſt, æternitatis annos non numerat, ne dicam, enumerat. Finge hunc numerum, quem quinquaginta duabus cifris in unam lineam cogit Arithmeticus Clavij calculus, finge, inquam, hunc numerum tot multiplicari in lineis, quot capit folium grande, & integrum; quot capit foliorum maximus liber, vel librorum im̃enſa moles, quæ Univerſi ſpatium ad uſque regionem Empyream adimpleret: hunc numerum finge ulteriùs, tot iterari in lineis, quot capit tota, quà latè patet, Cœli ſphærica ſuperficies: DEUM immortalem! quot hæc forent myriadum ſæcula, quot ſæculorum myriades? & tamen, elapſo tot annorum curriculo, necdum curret æternitatis initium, ne dicam medium, ne dicam finis: & tamen ſi tot annorum inverſa denique clepſydra tormentorum finem damnatis tandem promitteret, næ illi pro nihilo computarent tam grandem pœnam, & in ſua ſeſe infelicitate beatos, ac feliciſſimos prædicarent. Sileo, ne plura, dum loquor, loquar minus: O æternitas, quamdiu durabis! volo dicere, & neſcio dicere: quamdiu DEUS erit DEUS, tamdiu patietur damnatus: ſed quamdiu erit hoc quamdiu! cogitari poteſt, explicari non poteſt.

LEUC: Vertiginem intellectui timeo, ſi longiùs deſpiciat hanc abyſſum. Capio meliùs, quod optimè non nemo; Chriſtianos inter opus non eſſe niſi Morotrophio, vel S. Inquiſitionis ergaſtulo: in iſtud compingendos, qui non crederent æternitatem, in illud, qui crederent, & peccarent. Quid ad iſta Philoſophi? quid illi de durationis modo hoc, ſine modo? *S. Aug.*
*MEL:* In varios abeunt motus, diverſam induunt mentem, nec inutili ſcholio de æternitate diſcurrunt. Audi unum, & alterum. Aluit Diſcipulum Sorbona, quem in Philoſophica palæſtra, & informare, & deformare ſtuduit Profeſſor: adeò ſæpe Doctores nocent, cùm docent, tunc præcipuè, ſi amant ſic Stagiritam, ut etiam ethnicum non averſentur. Xaverius (caput ad hoc Nomen inclinet Peripatus) Xaverius ille fuit Diſcipulus, Profeſſorem non nomino, in albo æternitatis nigerri-

mo ſcriptum lege; nam infami fato deceſſit. Hic quos de die inſtruxit Philoſophos, de nocte deſtruxit, ad lupanar illos invitans lupus, ad proſtibula ducens, Dux caper ipſe gregis. Etiam Xaverium urgebat, imò perurgebat: at ille ſecum: *momentaneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat: ſiccine ego Sophus, pro momento æternitatem? abſit.* Sic ſe ſubtraxit, & unà ſecum ſubtraxit tot animas, quas cum Xaverio ſeducto, ad orcum alter miſiſſet Orbis. Quid tu ad iſta?

LEUC: Stupeſco ad illud fulmen, quoties audio: Deúsne, cujus bonitatis ne quidem numerus, momentum puniat æternitate? & quidem tali, támque horribili? *MEL*: Ita eſt, etiam infra condignum: nam peccatum infinitæ ſuo modo malitiæ, infinitam exigit vindictam. Sic fides jubet, niſi cum Origene, illo Sophorum Sole, errorum maculas pati velis, vel etiam totam in æternitate eclypſin. Sed eſt alia animadverſio, qua priorem exaggerat, animadverſione & ipſe digniſſimus, in Peripato non tam civis, quàm Primas, Juſtus Lipſius: quàm hic de Philoſophia ſit bene meritus, & docendo, & ad doctrinæ ſanctioris leges vivendo, in erudito Orbe hoſpes eſt, qui ignorat. Et tamen Philoſophus tantus, re, & nomine juſtus, ubi poſt vitæ ſanctæ præmiſſas, ad inferendam denique concluſionem à morte fuit neceſſitatus, infremuit: nam vidit ſe in agone, ubi in momento unico, æterni lucta momenti: vidit inſtare inſtans, è quo ſolo, tota pendet æternitas: vidit Pythagoricam litteram Y, cui vitam hominis ſimilem antiqui dixerant Sophi, *quæ ab uno ductu incipiens, finitur in bivium* fauſtæ, vel infauſtæ æternitatis. Vidit, quòd ubi ceciderit arbor, vel ad Auſtrum, vel Aquilonem, ibi erit per totam æternitatem: hinc ad Sapientiæ Sedem in hæc ſuſpiria erupit: *adſis Philoſopho, cum tota luctanti æternitate; nec illum deſeras in momento, è quo pendet æternitas.*

*Rupertus l. 4. in Gen. c. 29*

*Drex. de ætern.*

LEUC: Infelices Philoſophos, niſi in tempore bene diſtinguant, æternitatem inter & tempus: *non enim ratio, nec ſapientia, nec ſcientia apud inferos.* *MEL*: Quid nî ibidem per experientiam diſcant, quod per Scientiam diſcere hìc neglexerunt? certè nec ſua orco deeſſe problemata, teſtis eſt ille Philoſophus, de quo Innocentius III. Pontifex fide digniſſimus, etſi de cathedra non loquatur. Hic, infauſtâ ſorte, damnatus, cùm

*Ecclеſ. 9.*

Pro-

Profeſſori ſe ſiſteret, interroganti, num in orco etiam diſputetur? repoſuit *apud inferos ſolummodo quæritur, an aliquid non ſit pœna?* & reſolvitur *pro parte negativâ:* mox ille concluſionem ad oculum demonſtraturus: age, inquit, ſi lubet, ad inferos mecum deſcende, & Hercle ſenties, nihil non eſſe pœnam. Videbis locum in centro terræ, qui à ſitu infernus, à tenebris carcer, à profunditate abyſſus, ab igne rogus, à fumo caminus, à ſulphure ſtagnum, à fœtore mephytis, à Dæmonibus tartarus, à damnatis gehenna, à perturbatione chaos, ab amaritudine malorum Oceanus appellatur. Videbis locum, cujus terra *operta mortis caligine:* cujus aulæa *tenebræ*, ſuppellex *miſeriæ:* cujus ludi *tormenta*, muſica *fletus*, *& ſtridor dentium:* cujus torrentes, *pix ardens:* humus ſulphur: cujus incolæ *ericij, corvi, & onocrotali:* hoſpites *umbra mortis, & perpetuus horror:* cujus cibi *fames canina:* potus *fel draconum*, vinúmq; *furoris iræ DEI.* Deniq; cujus thori, *ſtagnus ignis ardentis:* cujus janua *deſperatio*, cujus ordo, *nullus ordo*, ſed chaos horridum confuſionis. Videbis locum, ubi Principem agit, qui à truculentia dicitur *Draco:* à verſutia *ſerpens:* à nocendi deſiderio *Diabolus*, ab ira magna *Leo rugiens:* à potentia *Behemoth.* Videbis locum, ubi ſocij malitiâ improbi, ſpecie horrifici, conditione miſeri, rabie furioſi, malevolentiâ obſtinati: locum, ubi primo poſt ingreſſum momento clauditur porta ſpei, miſericordiæ, quietis, felicitatis, gratiæ, pietatis, ſolatij, & omnis boni: locum, ubi nil auditur præter ſuſpiria, gemitus, lacrymas, ejulatus, & ululatus: ubi meræ blaſphemiæ, imprecationes, ſtridor flammarum, & ignis miſerè devorantis: verbo, videbis locum, ubi nihil non eſt pœna, ſeu tormentum. Denique videbis locum, anguſtum ſimul, & amplum: anguſtum, nam veluti ignitos lateres comprimit damnatos: amplum; quia etſi hoc anno foret dies judicij, & quot diebus, à Mundi exordio, fuiſſent nata quinquaginta damnandorum hominum millia, ſufficeret in orco quadrata milliaris medij cavitas ad eos recipiendos. En! quantum ſpatij ſuppetat, damnari ut poſſis, ſi velis.

*Tilkow. Phyſ.Cur. p. 2. de Mundo fol. 219.*

LEUC: Superi! quæ paradoxa hæc explicatio? digna certè, quam etiam à Diſcipulo audiêrit Profeſſor *MEL:* Docentis filum ne interrumpas. En! ut theſin ſuam ulteriùs Sophus hic urgeat: in hunc locum, inquit, deſcende mecum, & Poë-

 tarum

tarum fabulas, hìc videbis minimè fabulas: cernes, ùt fugitiva ſub undis fallentibus poma fruſtrà guloſi eſuriant Tantali: ùt rerum temporalium helluones Siſyphi fruſtrà petant, & urgeant *rediturum denuò ſaxum*: ùt ſub vulture gemant rapaces Titij, ùt vanæ Belides in cribris aquam inaniter hauriant: ùt laſcivi Ixiones, in rota æternitatis, volvantur, séque ſequendo fugiant. Imò erravi: meræ fabulæ ſunt, hoc in loco, hæ fabulæ; umbræ ſunt, non tormenta:

*Hìc mites Diomedis equi, Buſiridis Aræ*
*Clementes, Phalaris tauri ſolatia, molles*
*Scironis ſcopuli, Schineos pacata Tyrannis.*

Nam quid quid malorùm excogitare ſævitia, quid quid dolorum congregare poteſt corrupta morbis Natura, fabulæ ſunt, quæ non niſi in phantaſia, umbratilem exhibent mœroris Scenam. Objectum oculi, tenebræ ſunt, plùs quàm Cimeriæ, in quibus non niſi teterrimæ fulgurant Inferni larvæ: aures maledicta flagellant, hebetat dentium ſtridor, mixtíque, rugitibus diſſonis, ululatus obtundunt. Voluptuarias fauces eliquata pix ſatiat, & luridæ lacertæ repunt per ſtomachum: embammata ſunt venena, pro tragematis ſerviunt bufones: ſemeſa membra intolerabilem ſpirant mephytin: ærata incus vices ſupplet ſpondæ eburneæ, ubi ſe Vulcanei Cyclopes exercent. Interim lebetes incaleſcunt ebulliente ſulphure, & reſina exultat inter torridos ignes, ut carnis illecebras vindicet: pro ferocia certant Rhadamanti, & Æaci: alij expeditis retibus, & harpis circumfremunt: alij Pyracmonis compedes rotant: alij improvidos ferreis longurijs inuncant: alij involant, & horridis intrò trahunt capillis. Quos priùs cinxerant torques aureæ, & inſecuta ſunt ſyrmata, longíque elenchi, nunc Gorgones, Dracones, & cenchrides ambiunt: viperæ ſunt armillæ, cataſtæ ſunt collare, cameli nautici gravant nudatum tergus. Verbo: in orco nil niſi pœna, credere qui renuit, experiatur.

LEUC: Jam non miror effatum illud, Oraculis annumerandum, quod Juvenis quidam Sophus, dum concluſionem vocationis heroicam, malè reprobarent ſenes, peſſimè impugnarent inimici, ùt ſolet, amici: parceret ætatis flori, tenęritudinem indolis delicatam ferendo non eſſe monaſtico oneri. Quibus ille: ô malè providi! hoc clypeo armatis, non exar-

matis

matis meam conſtantiam: nam ſi delicatulus ferre nequeo rigorem clauſtri, quî feram rigorem tartari? edicite, quomodo habitare potero cum igne devorante, & ardoribus ſempiternis? *MEL:* Rectè hic equidem: nam ſi moleſtia inſuperabilis, quæ momento finitur, quomodo inferni ardor ſit tolerabilis, qui in æternitatem totam extenditur? eſt hæc reflexio digna reflexione. Fac enim, jaceas, in viridario, Pæſtanis æmulo: mollem thorum inſternat Chloris, viridi veſtita gramine: florenti te conopeo obumbret luxurians arborum ſcena: nares odore recreet frequens Amaracus: lumina rapiant coloratæ florum areolæ: leniter admurmurent Zephyri: adſtrepant ſalientes undæ: plumei in aëre accinant choraulæ: verbô, tam vernus te cingat lepos, ut amœniorem nec ipſe optaret ſibi Alcinous. Hìc, inquam, jaceas, ſed ea lege, ut nunquam liceat latus invertere: nunquid vel unus dies hæc gaudia mutaret in tædia, in ſupplicia hebdomas, annus in tormenta vix toleranda? ſenſit Philoſophiam hanc Fulco, mundanæ ludibrium vanitatis, quem nocte quadam, abyſſo demerſum plumeâ excepit thorus, ſed ita, ut ſomnus ab oculo fugeret: ſenſit ille quietem tam inquietam, ut in hæc verba prorumperet: *tam moleſta in molli thalamo eſt nox inſomnis: quid ſi in ignivomâ jacerem culcitra? quid ſi non una nocte, ſed æternitate, duraturâ ſemper, finiendâ nunquam?* fregit mollem animum inſomne hoc ſomnium, ſícque ſurrexit melior, ut meliorem poſtmodùm in Religione ceperit quietem.

LEUC: Eſt hæc nova æternitatis proprietas, ſat magna, ut inferni tormentis, pro peccatorum pondere maximo, pondus adjiciat infinitum. Damnatus patitur dolores im̄enſos, & quia patitur, immenſo pariter tempore, quovis in tempore patitur ſempiternos. In ſingula momenta colligit cuncta ſimul momenta, jugiter oberrans menti æternitas: patitur dolores præſentes, ſed & futuros patitur, quia intellectus ſiſtit præſentes: tormenta ſentit, & quia ſentit non finienda, totam in quovis momento collectam ſentit tormentorum æternitatem: ſcilicet, *quod quisque timere cepit, jam paſſus eſt,* unique inſiſtens puncto, *Gregor.* toto damnatos pondere, premit globus æternitatis. *MEL:* *Naz.* Placet Aſceſis, quam acutam in Damnatorum ſupplicia è Patribus recitas. Ita eſt: hæc eſt, juſta Numinis ira totam ſævire in Creaturam, quæ tota ſæviît in Creatorem. Cruciatus præ-

ſentes

ſentes voluntas nolendo facit ſentire ; acuit, dum averſatur; intendit, dum fruſtrà fugere nititur. Intellectus præſentibus jungit futuros, dúmque non poterit non obverſari hæc veritas, *durabunt ſemper, finientur nunquam,* in momenta faciet dolores ſentire æternos. Sed præteritæ vitæ memoria his omnibus cumulum addet, nî vehementer fallor, propemodum infinitum. Nugæ ſunt, quod de Letheo flumine fabuloſa finxit Antiquitas: facultates, quas dedit natura, non eripiet orcus, eſt hæc clementia crudelis, ad augendam, non minuendam intenta calamitatem. Scilicet, *quod manducaverat apud Superos epulo, apud inferos digerebat:* nam út non ſine aculeo Apis melliflua: *tranſierunt præterita, nec tranſierunt: tranſierunt à manu, ſed non à mente: non enim tranſibit cum tempore, quod tempora tranſit; in æternum ergò neceſſe eſt cruciet, quod perperam te egiſſe memineris in æternum.*

*S. Aug.*
*S. Bern.*

LEUC: Superi! quantam dolorum abyſſum hæc mihi verba recludunt? quis penetrabit, quàm ſit amara præteritæ vitæ memoria? *MEL:* Crediderim, quòd præter damnatos nullus: quid enim poſt combuſtas in orco ſæculorum myriades, cogitabunt de vita? quo microſcopio quærent tantillum tempus? heu! clamabunt nos inſenſatos! quid fuit vita, niſi fulgur, quod diſparuit in ictu oculi? quid niſi vapor, qui mox evanuit? niſi umbra, quæ tranſiit? momentum fuit, quod viximus, æternitati ſi comparetur, quam patimur: momentum fuit totum penè amarum; nam ambulavimus vias difficiles: minutum momenti unicum fuit,' quo guſtavimus paululùm mellis, & ecce! æternùm morimur. Sed quid dico momentum? quinquaginta fuêre anni, quibus in manu noſtra fuêre Sortes: venale ſteterat Cœlum, neglеximus: obtrudebantur æterna gaudia, repudiavimus: infinitus Beatitudinis theſaurus momento laboris ſtetit, contempſimus, & infelici nimiùm cambio, pro pulte vendidimus hæreditatem; pro momentaneo quod delectat, elegimus æternum, quod cruciat. Verbo: pro Cœlo mutavimus orcum. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt:* ùt loquitur Sapiens.

*Sap. 5. v. 14.*

LEUC: Satìs eſt, hæc pauca Sapienti ſufficiant: plura qui petit, experiatur æternitatem. Id ampliùs non miror, quòd D. Furſeus, de æternis ſupplicijs cùm cogitaret, & inter media

dia brumæ frigora, in ſudores guttatim ſtillantes, totus diffluerct. *MEL:* Ita eſt: diſcamus ab Angelico hoc Anglorum Doctore, diſcrimen temporis, & æternitatis: quam ille cum ſudore, nos contemplemur cum pœnitentiæ lacrymis, infauſtam æternitatem: *deſcendamus cum illo vivi in infernum*, ne deſcendere cogamur mortui: deſcendamus mente, ne cogamur deſcendere corpore: contemplemur modò tormenta, ne aliquando experiamur. Si in afflictionibus caro obmurmuret, dicamus cum Triquelmo, *duriora vidi:* ſi ad pœnitentiæ flagella recalcitret, opponamus, *aſperiora vidi:* eſt enim *extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo ſtridorem eligere ſempiternum.* Alterutrum eſt eligendum: *aut ſemper lætari cum Sanctis, aut ſemper cruciari cum impijs.* Leucothee finio, domúmque ut feras, velim, epigraphen, quam inferni liminibus inciſam, ad nos tulit D. hic Furſeus, ab orco redux: hanc lege, & damnatorum damno, ut ſapias, lege ſæpius, lege ſemper.

*L. num. 16. v. 23.*

*Beda l. 5. de geſtis Angl.*

*S. Bern. declam.* in ecce nos.

*Idem l. med. c. 3.*

# HIEROGLYPHICUM,
## *Portæ Inferi inciſum ſtylo ferreo, in plumbi lamina, & celte ſculptum in ſilice.*

*Siſte Viator!*
*Nam ſiſtunt hìc omnia:*
*Poſt curſum temporis, ſtando decurritur*
*Stadium æternitatis.*
*Aſpice!*
*Porta ſum, ſine porta:*
*Aperta ſemper,*
*Sed ad ingreſſum:*
*Clauſa ſemper,*
*Sed ad regreſſum.*
*Ingredientibus aperit peccatum:*
*Ingreſſis claudit peccati pœna.*
*Cuſtos eſt mihi Nemeſis:*
*Extruxit me Divina Juſtitia,*

 *Ut*

*Ut deſtrueret hominum vitia:*
*Accendit me furor juſtus,*
*Ut extingueret furorem injuſtum:*
*Ignem hìc coquo æternum,*
*Ut illos excoquam,*
*Qui in momento temporis,*
*Totam decoxerant æternitatem.*
*Hìc urit ignis,*
*Quo nihil gravius:*
*Æternus, quo nihil longius.*
*Ignis,*
*Cui veſter collatus eſt fumus:*
*Æternus,*
*Cui vita collata eſt punctum.*
*Ignis,*
*Qui quadraginta novem cubitos altus:*
*Æternus*
*Qui in quinquageſimo numero,*
*Nunquam fit Jubilæus.*
*Hoc in loco una eſt actio,*
*Fallor,*
*Una eſt paſſio,*
*Ardere.*
*In hoc flammarum diluvio*
*Naufragant Damnati ſemper, pereunt nunquam.*
*Vivunt, ut moriantur,*
*Moriuntur, ut vivant.*
*Meta dolorum*
*Hìc ſine meta.*
*Pulſor, ſed non aperior:*
*Quæritur rima, nec reperitur,*
*Percutitur ſera, ſed immobilis,*
*Quia ſera.*
*Flent miſeri, ſed nihil eluunt:*
*Per lacrymas accendunt ignes,*
*Per ululatus exſufflant ardores.*
*Aſpice!*

*Hæc*

*Hæc infernalis portæ eſt teſſera,*
Semper, & nunquam.
Semper, *quod finietur* nunquam,
Nunquam, *quod durabit* ſemper.
*Hæc Damnatorum conditio:*
Nunquam *eſſe felicem*, ſemper *miſerum,*
Semper *in pœna*, nunquam *in pœnitentia*:
*Spirare* ſemper, nunquam *exſpirare,*
*Sperare* nunquam, ſemper *deſperare.*
*Hæc inferni proprietas,*
*Ut* ſemper *voret*, nunquam *devoret,*
Semper *necet*, & nunquam *enecet,*
Semper *dare, quod nolis,* nunquam *dare, quod velis.*
*O Æternitas!*
*Cujus clepſydra* ſemper *fluit*, nunquam *effluit:*
*In hac vita ſis morum forma,*
*Ne in altera ſis pœnæ norma,*
*Hìc ſtatera ſis veritatis,*
*Ne ibi ſis bilanx ſeveritatis.*
*O* ſemper, *O* nunquam!
*O Menſura Æternitatis*
*Sine Menſura!*

# PARERGA
## *Ex Univerſa Philoſophia.*

*1. LOgica eſt Virtus intellectualis. 2. Ars, & Scientia. 3. Ejus Objectum non eſt Intellectus rectè operans. 4. Nec Syllogiſmus vocalis. 5. Sed mentalis. 6. Inter gradus Metaphyſicos non datur diſtinctio ex Natura rei formalis. 7. Nec objectivè præſcindens. 8. Sed ſola rationis ratiocinatæ. 9. Figmentum ſunt ideæ Platonicæ. 10. Nec rigori Logico ſufficit univerſale ſimilitudinis. 11. Phyſica eſt Scientia ſpeculativa, cujus Objectum eſt corpus naturale. 12. Datur Materia prima Ariſtotelica. 13. Diſtincta ab elementis Chymicis. 14. Semine Anaxagoræ. 15. Atomis Democriti. 16. Et elementis Peripateticis. 17. Eſtq; Subjectum uniuscujusque. 18. Datur forma abſoluta non tantùm in homine. 19. Sed & brutis. 20. Plantis. 21. Et probabiliter quibusdam inanimis. 22. Duæ, pluréſve formæ principales in eâdem materiæ parte naturaliter repugnant. 23. Non tamen partiales. 24. Unio eſt entitas modalis. 25. Cauſa eſt principium ex intrinſeca virtute determinans aliquid de ſe inſufficiens ad exiſtendum. 26. Cauſa efficiens ut actu agat, debet actu exiſtere. 27. Et etiam eſſe applicata ſuo modo: hinc naturaliter repugnat actio in diſtans. 28. Accidens nec ſe ſolo. 29. Nec cum ſubſtantia producit ſubſtantiam. 30. Sed ſola ſubſtantia. 31. Eadem producit accidentia ad intra. 32. Accidentia verò ad extra, ſimilia accidentibus ad intra, producuntur à ſolis accidentibus. 33. Intenſio qualitatum fit per unicam formam, certo modo modificatam. 34. Plantæ ſponte naſcentes probabiliter proveniunt ex ſeminibus, ſimiliter inſecta, & bruta ex ovis. 35. Quare ſemina plantarum, & oviparorum vivunt. 36. Bruta non agunt perfectè formaliter, ſed tamen imperfectè propter finem. 37. Datur Cauſa prima, ſive DEUS, cujus exiſtentia demonſtrari poteſt argumentis moralibus. 38. Et Phyſicis, etiam permiſſo proceſſu aliquo in infinitum. 39. Influit im̃ediatè in omnes effectus. 40. Non tamen per prædeterminationem phyſicam Banneſij, 41. Quæ tollit libertatem. 42. Anima rationalis eſt demonſtrativè immortalis. 43. Libera libertate indifferentiæ 44. Etiam in ſtatu Naturæ lapſæ. 45. Cui libertati non obeſt Præſcientia Divina. 46. Lux probabiliùs eſt qualitas abſoluta. 47. Color tamen, etiam permanens, non diſtinguitur à luce certo modo modificatâ. 48. Sonus probabiliùs conſiſtit in impetu modificato, & tremore corpuſculorum. 49. Elementa ſunt generabilia, & corruptibilia. 50. Licèt maneant formaliter in mixtis.*

# ORDO DISCURSUUM,

## *Primæ Partis,*

## *Seu*

# MICROCOSMI.

## I.

MAuſolæum Peripateticum, *ſive* Diſcurſus Primus Præliminaris, *de Principijs, & Principibus Philoſophiæ.* Patronus. *S. Auguſtinus.* Doctrina Ethica. *De Vanitate ſolius ſcientiæ ſine virtute.* Epiphonema Atticum. *Epitaphium ad urnam Ariſtotelicam à D. Auguſtino erectum.*

## II.

SPhinx Clariſſima, *ſive* Diſcurſus Secundus, *De DEO, Rerum omnium Principio.* Patronus. *S. Dionyſius Areopagita.* Doctrina Ethica. *De Ultimo fine.* Epiphonema Atticum. *Categorema adverſus hominem à Natura ad Authorem Naturæ.*

## III.

FLamma Promethei, *ſeu* Diſcurſus Tertius *de Anima.* Patronus. *S. Franciſcus Xaverius.* Doctrina Ethica. *De Animæ pretio.* Epiphonema Atticum. *Obeliſcus Honoris B. Franciſco Xaverio, ex Diſputatione de anima melioris Philoſophiæ Lauream adepto, animarum Doctori, & Zelatori, ad metas Antipodum erectus.*

## IV.

COloſſus Myſticus Danielis, *ſive* Diſcurſus Quartus, *de Corpore.* Patronus. *S. Franciſcus Borgias.* Doctrina Ethica. *De Gravitate Peccati.* Epiphonema Atticum. *Ænigmato-Gryphus Coloſſo corporis Myſtico à B. Franciſco Borgia inciſus, ad Oedipum Philoſophicum.*

*                                        V. Scylla

# V.

SCylla atque Charybdis, *ſive* Diſcurſus Quintus, *De Aure, & Oculo.* Patronus. *B. Aloyſius Gonzaga.* Doctrina Ethica. *De peccatorum occaſione.* Epiphonema Atticum. *Naufragium Innocentiæ ad Oculi Scopulum, in teleſcopio Peripatetico, Juventuti exhibitum.* Item *Diræ per tubum Acuſticum ex Orco miſſæ ab anima ſeducta ad ſeductorem.*

# VI.

VIrgula Morphei, *ſeu* Diſcurſus Sextus, *de Somno, & Somnio.* Patronus. *S. Sylveſter Confeſſor ex Ordine D. Benedicti.* Doctrina Ethica *de Morte.* Epiphonema Atticum. *Statuta Academica ex mandato Mortis Peripato affixa.*

# VII.

SPeculum Phyſicum, *ſeu* Diſcurſus Septimus, *de Principijs Phyſiognomiæ.* Patronus. *S. Bruno, Fundator Ordinis Carthuſiani.* Doctrina Ethica. *De Judicio particulari.* Epiphonema Atticum. *Oraculum Philoſophi Judicati ex Tripode ſepulchrali, ad Philoſophos Judicandos.*

# VIII.

MOmi Feneſtra, *ſeu* Diſcurſus Octavus, *De Augurjis Phyſiognomiæ.* Patronus. *S. Gregorius Nazianzenus.* Doctrina Ethica. *De Judicio univerſali.* Epiphonema Atticum. *Augurium Phyſiognomicum præſenti Philoſopho ad futurum judicium.*

# IX.

JAnus Bifrons, *ſeu* Diſcurſus Nonus, *De Tempore, & Æternitate.* Patronus. *S. Furſeus Confeſſor.* Doctrina Ethica. *De Inferno.* Epiphonema Atticum. *Hieroglyphicum Portæ Inferi inciſum, Stylo ferreo, in plumbi lamina, celte ſculptum in ſilice.*

IN-

# INDEX.

## A.

*ACademia triplex à Divina Sapientia Philoſophis erecta. fol.* 60.

*Actiones hominis externæ ſecreta cordis produnt. fol.* 180.

*Adoleſcens garrulus argutè à Zenone caſtigatus. f.* 7.

*Æternitas. f.* 217. *&c.* 225. *Damnatos maximè cruciat. f.* 223.

*Alimenti diverſa ratio, diverſos in hominibus effectus gignit. f.* 160.

*B. Aloyſius Angelus aure carens, & oculo. f.* 93. *Oculorum Evergeta.* 114

*Anima.* 42. *&c. Cur ſolicitè curanda?* 59 *&c. Ejus pretium.* 43. 47. 60. *Facultates.* 47. *eſt unica, ſpiritualis &c.* 45. *&c. his proprietatibus multi abutuntur.* 46. *&c.*

*Animi repentinæ affectiones omnium apertiſſimi cujuslibet complexionis proditores.* 165.

*Anni Critici.* 213.

*Ariſtotelis vita, obitus, libri, aliáque varia.* 13. *&c. Ejus nominis Anagramma.* 22.

*Ars in templorum, & aularum fabricis naturam imitatur Echûs.* 109.

*Athei ſunt multi Chriſtianorum.* 29 *&c.*

*D. Auguſtinus verus Philoſophus deplorat Philoſophicam abſque virtute ſcientiam.* 220.

*Auris Scylla.* 92. *Ejus fabrica.* 94. *&c. Encomia.* 112. *&c: Auribus quomodo utendum.* 91. *claudendæ pravis colloquiis.* 116. *ab Ethnicis Memoriæ conſecrabantur.* 93. *Aures caſtiſſimæ Machetis, & B. Staniſlai Koſtkæ.* 117.

## B.

*Barba. fol.* 74,

*Bibliothecæ rariores igne abſumptæ.* 58.

*Bilis triſtitiæ, & inſaniæ radix.* 165.

*Bonum operari oportet, dum tempus eſt.* 151.

*D. Borgia formæ vanitatem in Iſabella Imperatrice videt.* 66. *&c.*

## C.

*Cæcitas à Deo mirè impetrata.* 114.

*Calvarum diverſitas.* 160.

*Canities, quæ illius cauſa?* 73.

*Caput humanum.* 70. *Capitis amputati mira nonnunquam vis.* 46.

*Capilli.* 71. *&c.*

*Carcer à Dionyſio Tyranno in auris modum fabricatus.* 121.

*Carmus Peſſimus Philoſophus.* 170.

*ob Carnis vitium damnantur plurimi.* 168.

*Carpati montis jocoſum prodigium.* 109

*Chiromantia.* 183.

*Chriſtianorum multi ſunt Athei, Polythei.* 29. 32. *Chriſtianos inter non eſt opus, niſi mortorophio, vel S. Inquiſitionis ergaſtulo.* 219.

*Colloquia prava.* 116.

*Color.* 96.

*Coloſſus Rhodius.* 65.

*Confeſſio Sacramentalis.* 208.

*Conſcientia ſpeculum.* 30. 166. *&c.*

*Cor, præcipua corporis pars.* 78. *De eo curioſa quædam. ibid. cor uni DEO conſecrandum.* 33. 79. *Magìs eſt, ubi amat, quàm ubi animat.* 80. *humani cordis duo miracula. ibid.*

*Cornu Alexandri M.* 100.

*Corpus humanum Divinæ ſolertiæ opus.* 66. *Ejusdem mirabilis fabrica.* 66. &c. *Anatomia.* 69. *Corporum Anaſtaſis glorioſa.* 85.

D.

*Dæmon animæ agnoſcit pretium.* 60.
*Damnatorum lamenta irrita.* 224.
*De Dentibus varia.* 75.
*DEUS* 27. &c. *Ejus exiſtentia demonſtratur* 29. *Ejusdem perfectiones* 31. 34. *Deus ultimus finis hominis.* 33. *Zelotes cordis humani.* 79. *Ejus Oculus Lucerna eſt.* 202. &c. *Deorum pluralitatem Ethnici Sapientiores rident.* 31.
*Digiti.* 81.
*D. Dionyſius Areopag: à converſione ſua ſingularis Amator DEI.* 26. 36. &c.

E.

*Echo.* 103. &c. *Varia ejus prodigia.* 108. *Echonici Polyphoniſmi.* 109. *unde tanta illorum intenſio?* ibid.
*Educatio mala.* 169.
*Epaminondas dormientem excubitorem confodit.* 148.
*Epitaphium cujusdam Rhetoris.* 167. & *Similij.* 216.
*Exhomologeſis.* 209.

F.

*Fabricæ acuſticæ.* 109.
*Facies ſummum naturæ prodigium, animi quoddam ſpeculum.* 82. *in mortalium pectora Tyrannis tacita.* 83. *Mare mortuum, innumeris naufragijs infame.* 84.
*Felicitates hujus ſæculi Somnia.* 145. 147
*Formæ, & pudicitiæ rara concordia.* 86.
*Forma Chriſti, & B.V. amœniſſima.* 196.
*Formæ humanæ vanitas.* 66. &c. 84.
*D. Furſeus mundum videt vitijs conflagrantem.* 212. *Supplicia æternitatis cogitans, in ſudorem totus diffluit.* 225.

G.

*Galilæus de Galilæis opticâ celebris.* 103
*Generoſi Signa.* 186.
*Gregorij Nazianzeni vitæ Synopſis.* 179.

H.

*Hebetis ſigna.* 185.
*Helenæ Trojanum elogium.* 83.
*Homo Microcoſmus.* 66. *Ejus cum Megacoſmo comparatio.* 65. *homines beſtiarum inſtar non raró vivunt.* 169.

I.

*Janus, mundi, temporis Symbolum.* 211.
*Ideæ Platonicæ non Platoni, ſed Platonicis tribuendæ.* 9. 12.
*Idolorum ſervitus inter Chriſtianos.* 32.
*Infernus.* 60. 221. &c. 226. *bene conſulit deliberantibus.* 222. *ad laborem excitat in hac vita, & pœnitentiam.* 226. *Infernalis portæ teſſera.* 227.
*Ingenioſi ſigna.* 185.
*Innocentia in aure, oculiſque ſæpe naufraga.* 113. &c.
*Intellectus.* 56. *Ejus mira vis.* ibid. *variæ ejusdem inventiones.* 57.
*Joannæ Portugalliæ Principis excellens venuſtas oris.* 84.
*Judicium particulare.* 168. 172. &c. *Univerſale.* 201. *terribile, & rigidum propter peccata occulta, & minutiſſima.* 202. 206.

Ira-

*Iracundi ſigna.* 186.
*Julianus Apoſtata Philoſophiæ oſor.* 5.
*Juventus præmaturum ſæpe mortis ſpolium.* 126. *Ejusdem metamorphoſes, & lapſus unde?* 14.

# L.

*Liberalis hominis indicia.* 187.
*Librorum emolumenta.* 58. *venenati partus.* 115. &c. *Librorum multorum Auctores.* 58. *Libri turpes lacerandi.* 115.
*Lignum Braſilum.* 77.
*Loquela Sodalem manifeſtum facit.* 117. *interna hominis videnda exhibet.* 179.
*Lucerna Epicteti Philoſophi à Regibus quanti æſtimata.* 5.
*Lux.* 95.
*Ob Luxuriam damnantur plurimi.* 168.

# M.

*Manſueti ſigna.* 186.
*Manus artium miniſtra.* 81.
*Mauſolæum artificioſum.* 10 8
*Melancholia.* 195. *Ejus effectus.* 194.
*Memoria.* 48 *hâc quidam excellentes.* 51. *de eadem variæ quæſtiones.* 51. &c.
*Metempſychoſis.* 44.
*Microſcopium.* 101. &c.
*Miſericordis ſigna.* 187.
*Momus.* 177.
*Mors.* 148.
*Moſcus Indicus.* 77.
*Mundus liber eſt, in quo legamus Divinitatem.* 29. *Mundi bona inania, & noxia.* 33. *ſomnia ſunt.* 145. 147.

# N.

*Nares.* 75.
*Nationum diverſæ propenſiones.* 159.
*Noctambulones.* 141.
*Nocturnæ Preces.* 141.

# O.

*Oculus, animæ charybdis.* 92. *Ejus ſtructura.* 93. *elogia.* 111. *maculæ, infirmitates.* 112. *multorum malorum cauſa, naturales animæ cuniculi.* 113. &c. *pro illis medicum Recipe.* 115.
*Odorum Geneſis, natura, & propagatio.* 76. &c. *odora canum &c. vis. ibid. olfactûs ſedes propria, in membranula. ibid.*
*Onirocritici.* 140.
*Onirologiæ non ſemper inanis uſus.* 140.
*Opera bona multîs ſæpe nævîs vitiata.* 202. &c.

# P.

*Parentes.* 169.
*Peccati gravitas ſuo modo infinita.* 35. *Ejusdem damnum.* 86. *peccatum graviter punitum.* 36. *momentaneum æternitate.* 220. *peccata occulta oblivionis, & omiſſionis.* 201. 203. *aliena.* 204.
*Peccator quale monſtrum, ex Dei perfectionibus evidentiùs elucet.* 35. *ſerò damnabit ſtultitiam ſuam.* 224.
*Pedes.* 82.
*Phantaſia turbida.* 141. *Ejus vis. ibid.* &c.
*Philoſophandi cauſa quæ ſapienti ſit?* 3.
*Philoſophia, Meditatio mortis.* 147. *multorum convitijs exagitata, & cur?*

*tur?* 4. *Ejusdem Symbola* 25. *&c. Laudes, natales &c.* 4. 6. *Philoſophiæ Carteſianæ principia.* 70. *Philoſophorum Antiquorum diſcendi ardor.* 10.

*Phyſiognomia.* 154. *&c. verioris phyſiognomiæ principia.* 158. *&c. Auguria.* 180. *&c. per totum diſcurſ. Ejus Auguria non ex unico tantùm ſigno deſumenda, ſed è pluribus.* 185. *ſunt probabilia tantùm, nec voluntatis actus tangunt. ibid.*

*Picturæ turpes.* 114.

*Platonis Philoſophi vita, obitus, & alia &c.* 11. *&c.*

*Pulchritudinis fluxæ vanitas.* 84. *&c. pulchritudo marceſcibilis nihil ad immarceſcibilem,* 85.

# S.

*Scientia virtuti jungenda.* 2. *ſine virtute vana eſt, & nocet. ibid. & per totum diſcurſ:*

*Seductores improbi malè in judicio habebunt.* 172.

*Senex.* 162.

*Senſus internus.* 126. *Ejus ſedes num Cor, an cerebrum?* 127

*Sirenes.* 92.

*Societas perverſa perverſos facit.* 170. *&c.*

*Somnij natura, proprietas, cauſa.* 133. *&c. varia de ſomnijs.* 135. *&c. ſomnia ſerviunt ad dijudicanda temperamenta.* 164. *Somniant in vita multi, & in morte tandem evigilant.* 145. 147.

*Somnus.* 126. 128. *varia de ſomno.* 128. *&c. Somni quædam veluti miracula.* 132. *&c. Somnus quomodo adhibendus.* 147. *Ejus damna. ibid.*

*Sonus in quo conſiſtat?* 98. *Ejus intenſio varijs declaratur experimentis.* 100. *oritur ab aëris reflexione.* 101. *Soni miracula in fontibus, ſpeluncis &c.* 110. *quænam obtundant ſonum?* 101.

*Specierum excitatio, ejúſque cauſa.* 49. *&c.*

*Species in oculo.* 110.

*Speculum Florentinum.* 166. *quô potiſſimùm ſpeculo Philoſophi utantur.* 153. *&c.*

*Supercilium.* 82.

*D. Sylveſter aſpectu demortui adoleſcentis meliorem auſpicatur vitam.* 146.

# T.

*Teleſcopium.* 102. *Ejus inventio.* 103.

*Templum Solymæum.* 86. *archetypon humani corporis. ibid.*

*Temperamentum.* 155. *Innatum, & adventitium.* 156. *varia de temperamentis: vide per totum diſcurſum. Temperamentum juſtum & corpori & animæ mirùm prodeſt.* 196. *Sed rarum hoc eſt temperamentum.* 198. *Temperamenta Nationibus communiora.* 198. *meliora, & ad ſtudia, alióſve fines aptiora.* 199.

*Temporis natura & proprietates.* 212. *&c. pretium.* 215. *à multis tamen parùm æſtimatur. ibid. damnati &c. æſtimant.* 216. *quomodo reparari poſſit?* 217.

Timi-

*Timidi Signa*. 186.
*Tuba Morlandica*. 100.
*Turpiloqui Sepulchra patentia*. 116. *turpiloquium noxium ibid.*

# V.

*Vanitas humanæ formæ*. 66. 84.
*Verbulum ſolutius Chriſtiani veteres quàm horruerint?* 115.
*Vermis in Corde Adoleſcentis Ferrarienſis*. 80.
*Vinum mentis index* 165. *ſecreta prodit*. 166.
*Viſio*. 99.
*Vita fluxa æternitati comparata*. 224. *Vitæ hujus miſeriæ*. 163.
*Voluntas magnum naturæ myſterium*. 58. *Ejus libertas*. 59.
*Vox laſciva*. 116.

# X.

*D. Xaverius grandis Philoſophus ex diſputatione de anima*. 42. *æternitatis conſideratione à malo revocatur*. 220.

# Z.

*Zenonis Philoſophi natales &c. obitus, & alia*. 7. *&c. in quo laudari ab hominibus voluerit*. 166.

O. A. M. D. G.

# Errata emendanda.

| | | | |
|---|---|---|---|
| bonorum - - lege | bonarum. fol 4. lin. 25. | auritæ - | - auriti. f. 109. l. 30. |
| athæneo - | athenæo. f. 7. l. 20. | interditur - | - intenditur. f. 109. l. 8. |
| Philoſopho - | Philippo. f. 17. l. 2. | In - - | in. f. 126. l. 10. |
| l. 16. - - | c. 16. f. 20. in citat. | cauſidici - | - cauſidici. f. 140. l. 22. |
| variegetatam - | variegatam. f. 25. l. 7. | non poſſet - | - non poſſe. f 161. l. pen. |
| quam - - | quem f. 26. l. 21. | conduntur - | condiuntur. f. 162. l. 34 |
| charyptin - | charybdin. f. 30. l. 19. | pleuridites - | - pleuritides. f. 162. l. ult. |
| poitùs - | potiùs. f. 31. l. 7. | ntentos - | intentos. f. 163. l. ult. |
| dedecorſum - | - dedecoroſum. f. 32. l. ult. | Leuc. - | - Luc. f. 173. in citat. |
| Scofras - - | Scrofas. f. 36. l. 15. | oderatûs - | odoratûs f. 182. l 32. |
| quos - - | quas. f. 45. l. 32. | Eurippus - | Euripus. f. 109. l. antp. |
| l. 1. - - | l. 10. f. 48. in citat. | Totáqua - | totáque. 190. l. 10. |
| Midritates - | - Mithridates. f. 51. l. pen. | Hippor - | Hippoc. f. 161. in citat. |
| tenuioris - | tenacioris. f. 54. l. pen. | Mimium - | - Minium. f. 196. l. 20. |
| dicet - - | dicent. f. 67. l. 1. | falor - | fallor. 218. l. 24. |
| ne tu - - | næ tu. f. 76. l. antep. | cepit - - | cœpit. f. 223. circa fin. |
| Maxentios - | Maximinos f. 84. l. 9. | manduaeverat - | manducaverat. f. 224. l. 10. |
| fonti - | - fronti. f. 84. l. 28. | Phiſoſophiam - | Philoſophiam. f. 213. l. 22. |

# PERIPATETICUS
## NOSTRI TEMPORIS,
*SEU*
# PHILOSOPHUS
## DISCURSIVUS,

In biennali Curſu, per Diſcurſus Symbolico-Phyſicos, ad Diſcurſum, juxta Sanctorum Philoſophorum Exempla, piè curioſum inſtructus: & publicæ Diſputationi propoſitus,

IN ALMA, AC PERANTIQUA,
## CÆSAREO-ARCHIDUCALI UNIVERSITATE FRIBURGO-BRISGOICA.

## *PARS II.*
SEU
## *MEGACOSMUS.*

PRÆSIDE
## P. IGNATIO SCHWARZ S. J.
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO,

*Defendente*
Prænobili D. Joſepho Antonio Xaverio Chriſt de Goldberg, Friburgenſi Brisgojo, Philoſophiæ Candidato.

*Menſe Auguſto, M. D. CC. XXIV.*

Friburgi Brisgojæ, Typis Franciſci Xaverij Schaal, Typogr. &c.




Votis omnibus Mariam veneremur, quia ſic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. S. Bern.

Gottfrid Rogg deline: Ioh: Melchior Gutwein sc: A. Vind.



SEDI SAPIENTIÆ,

# DEIPARÆ VIRGINI,

PHILOSOPHORUM

# PATRONÆ,

MATRI LIBERALISSIMÆ,

DOMINÆ POTENTISSIMÆ,

*Juventutis Academicæ*

PROTECTRICI,

# DEDICATIO.

Abi denuò felix Penna,
Reſume alas, & animoſior jam vola ſurſum:
Quò prævolârunt jam dudum vota, Cœlos ſubi devota.
Priùs te Filio, jam Filij te ſiſte Matri,
Et quæ priùs in Filio Matrem, jam in Matre adora Filium.
Abi:
Microcoſmum non reſpuit Chriſtus, quia Parvulus:
Megacoſmum non reſpuet Parvuli Magna Mater.
Philoſophiæ Primitias obtuliſti Primogenito Virginis,
Primogenitum Philoſophiæ laborem jam offer Matri:
Erit primus hic Partus Authori ſuo abortus,
Nî è ſacro fonte illum ſuſcipiat Divina Mater.
Abi! quid trepidas?
Philoſophiam non immeritò conſecras Philoſophiæ Parenti,
Quia *Sapientiæ Sedi*:
Nam unde fluunt Sapientiæ flumina, meritò refluunt;
Et unde veniunt Philoſophis Lumina, illuc meritò reflectuntur.
Megacoſmum non immeritò dedicas
*Deiparæ Virgini*:
Nam illuſtravit Mundum, dum Solem genuit Mundo,
Ipſamet Megiſtocoſmus,
Dum genuit Microcoſmum, qui fecit, atque refecit hunc Megacoſmum.
Quid miramur Sophi Naturam,
Dum Deiparam Virginem in Natura cernimus ſupra Naturam?
*Virgo Mater*, duo verbula,
Quæ includunt centum prodigia:
Debebatur hic honos ſoli Matri Divinæ,
Nec enim naſci, niſi ex Virgine, DEUS debuit,
Nec Virgo Mater eſſe debuit, niſi DEI.
Jure te conſecras
*Philoſophorum Patronæ*:
Nam indiget Philoſophia Sophis, nec raró Philoſophis:
Deſide-

Deſiderantur Patroni,
Qui contra temporis noſtri Zoilos Peripatum tueantur.
Invenies raros,
Qui Epicteti lucernam fictilem jam licitantur:
Utinam non invenias plures,
Quibus eviluit Stagira, quibus exoſum Nomen, epomis contempta!
Sed non indiges Patrono, ſi Illam habes Patronam,
Quæ plus una poteſt, quàm omnes ſimul Patroni.
Fac ſufficias ſoli, & ſufficiet ſola.
Jure te conſecras
*Matri Liberaliſſimæ:*
Nam
Aſylum eſt miſeris, Altare reis, Ærarium egenis:
Omnibus donat, ingratis ingerit, invitis obtrudit:
Neminem relictura miſerum, niſi eſſe velit:
Imò neque omnes patitur eſſe miſeros, qui eſſe volunt.
Præfecit Illam DEUS Beneficijs ſuis,
Ut quæ nobis donavit DEUM, per DEUM omnia largiretur.
Nec deeſt illi voluntas donandi, quæ à DEO donare didicit:
Nec facultas, quam DEUS pene reddidit Omnipotentem.
Hinc
*Potentiſſimam* ſcias pariter *Dominam,*
Quid enim non poſſit Illa, quæ poteſt omnia
In ipſum Omnipotentem?
Theſaurariam voluit, & Theſaurum,
Hunc, ut poſſet; Illam, ut vellet largiri omnia.
Se ipſum Illi dedit,
Qui omnia per Illam habere nos voluit.
Sancti impetrant rogando, Hæc pene imperando,
Subditus olim DEUS paréret, ſi Illa præciperet:
Licèt non ſit opus Imperio erga volentem,
Legem obſervat, quam tulit,
Reveretur Matrem:
Explorat vota, prævertit Imperia.
Denique
Jure te conſecras
*Juventutis Academicæ Protectrici.*
Non enim ullus Sophorum queri de Illa poteſt, etiam impius:
Beneficijs cumulat indigos, obruit indignos,

Patet

Patet omnibus, etiam dum non patet DEUS,
Poſt amiſſum DEUM adhuc ſupereſt Protectrix, Mater DEI:
Et poſt naufragium adhuc ſe ſe offert hæc Tabula;
Abjeciſti Illam, periîſti,
Apprehendiſti Illam, evaſiſti.
Abi igitur!
Accede Thronum, quem hactenus acceſſit nemo,
Quin auditus recederet, & exauditus.
S.Bern. *Sileat Miſericordiam Tuam, O Virgo,*
*Quicunque Te invocatam ſibi meminit defuiſſe,*
Abi, & offer hæc folia:
Dic, antequam illa legat, cor offerentis inſpiciat:
Ut priùs legat affectum, nec contemnat effectum.
Plura elogia non opus eſt addere,
Ubi Ipſa, quam laudas, eſt tota Elogium;
Ubi ipſum Nomen eſt inſtar maximæ laudis;
Quod ubi profertur, vel ſcribitur,
Panegyricum facit.
Verbo:
Dic, Matrem ſat laudari non poſſe,
Niſi unico VERBO:
Dic, qui non amat Mariam, anáthema ſit.

*Ita vovet, ſéque totum devovet*

*Joſephus Antonius Xaverius Chriſt de Goldberg.*
*Philoſophiæ Candidatus.*




S. Ignatius Loiola, Sorbonæ Sophus, dum è Creaturis Creatorem, è Philosophia terreſtri, novam docet cæleſtem, cenſoriæ virgulæ ſubiicitur: Sed vix agnitus, mox absolutus, et rude donatus in Peripatō Doctor, virgâ in laurum efflore ſcente, ex qua tot laureolas hactenus Philoſophia. Ex Vita.

G. Rogg del: I. Melchior Gutwein sculps.

# ATLAS PHILOSOPHICUS
## *Seu*
# DISCURSUS I,
## DE MUNDO CŒLESTI.

MELANDER. Heroëm tibi propono hodie, in quo quid quid aſpicis, paradoxum; quid quid dicis, miraculum. Heroum Heros eſt, nam ubi gloriam finire ſolent Heroës, incepit iſte: Martis Triumphi huic erant principia, ut ex Heroe puer, glorioſa poneret Rudimenta: victoriæ palmas demeſſuit, ut in ſcholaſtico pulvere nobiliores ſereret lauros: in Palladis ſagatæ circo deſiît eſſe Heros emeritus, ut in togatæ ludo rudis fieret Diſcipulus. En! hominem, ſi tamen hominem, & non aliquid majus homine ſpiret, hoc *Dijs* ſimillimum ectypon. LEUCOTHEUS. Adverto, quem inter ſublimes Olympi Aquilas, quem inter excelſos Tonitruum filios numeres: tuum nempe Patriarcham Ignatium, Societatis minimæ maximum Fundatorem. Scio, quòd nunquam pugnârit fortiùs, quàm cùm abjiceret arma; quòd nunquam feliciùs vicerit, quàm cùm chlamydem Philoſophico pallio, enſem calamo mutaret; quòd nunquam glorioſiùs triumphârit, quàm cùm, deſertâ Martis arenâ,

*Pſ.* 18 *v.* 6.

in Philoſophicam deſcendit, ut novâ philoſophandi peritiâ ſubjugaret Mundum, novâ præliandi methodo exarmaret infernum.

*MEL:* Argutaris appoſitè: Ignatium puto, Philoſophum paradoxum, Doctorem centum Perezijs magìs mirabilem. Philoſophus eſt, ſed qui diſputat de Natura ſupra Naturam; qui loquitur de creaturis, & cogitat de Creatore; qui diſcurrit cum Sophis in circulo, & cum Angelis converſatur in Cœlo. Doctor eſt, ſed mirabilis, nam cùm contemplatur Naturam, rapitur in Authorem Naturæ; cùm loquitur de humanis, ſentit divina; cùm agit ùt homo, vivit ùt Angelus, & in terra exiſtens ſemper intuetur faciem Patris, qui eſt in Cœlis. Si unico verbo multa dicere velis de iſto Philoſopho, *Atlantem* nomina, id eſt *hominem Cœleſtem.* Imò major Atlante eſt, nam hic Cœlum portabat in humeris, is capite concluſum circumferebat: huic Cœlum erat pro terra, quia Aſtrologo; illi terra erat pro Cœlo, quia Philoſopho, nam ex terra ſibi fecerat Cœlum, quod ſine ſcala conſcenderet per creaturas. Et hoc eſt arcanum Ignatianæ Philoſophiæ, ut *à magnitudine ſpeciei* metiremur Archetypon; hæc epitome, ut diſputantes de Mundo, concluſionem faceremus in Cœlo, & cùm per proprias non poſſimus, per ſpecies alienas DEUM meliùs contemplaremur. Obſtupuit primò hanc Philoſophiam Impietas; nam oculos perſtrinxit tam ſancta novitas, quos hebetaverat profana Antiquitas. Hinc ad cenſoriam virgulam, doctrinam revocat, ad virgas Doctrinæ Authorem. Exprobrat, quòd Philoſophos faceret probos, quos illa conaretur facere improbos: virgis caſtigare virtutem cupit, ut patientiâ coronaret heroëm. Quid factum? ſtitit ſe Ignatius, & niſi Ignatius fuiſſet, ſe non ſtitiſſet. Sedent in Academica Aula Doctores, virgis inſtructi, quas parare non poterát, niſi malè perſuaſa Sorbonæ Pietas. Nec cohorruit ad hoc ſpectaculum veteranus miles, barbatus Sophus, quia puerile: aliquot ſyllogiſmis Innocentiam demonſtravit, colendam potiùs, quàm caſtigandam. Agnovêre & ipſi errorem, ſícque (quod rarum inter Doctores) correxêre, ut pedibus advoluti peterent veniam, caneréntque palinodiam. En! actum publicum, quo Ignatius quondam Pariſijs creatus Philoſophiæ Magiſter, cui utpote Neo-Doctori hoc ego Jure jamSynchariſticon.

*Adeſte*

*Adeſte Sophi!*
*Ignatij ſolennis eſt Actus,*
*Quo ex Doctoribus creat Diſcipulos,*
*Quo ex Diſcipulo creant Doctorem*
*Doctores ſimul atque Diſcipuli.*
*Actum hunc publicum adornat Sorbona.*
*Et utinam bona, & bene!*
*Amovendus à Philoſophia Ignatius,*
*Siſtit ſe promovendum:*
*Promotor ipſe, turbarum eſt motor.*
*Hoſpites, Hoſtes,*
*Doctoratûs inſignia, virgæ.*
*Bellum Spectaculum!*
*An*
*Emeritus Belli Ductor, fors Neo creabitur Doctor,*
*Abjecto gladio per virgas?*
*Ringere Marſpiter,*
*Si repudiatis Armis,*
*Tantus eſt virgis honos.*
*Sed Tragœdiam aliam parat Livor:*
*Stupeſce Bellona!*
*Quem Pampellona inter ſtrictos invictum acinaces,*
*Minerva ſiſtit,*
*Puerilibus vincendum virgis.*
*Falleris Pallas Prothea:*
*Quem Sagata tot lauris,*
*Togata fruſtrà caſtigas virgis.*
*Nugæ!*
*Quem terrere non poterant belli tormenta,*
*Terrere non poterunt virgæ,*
*Puerorum terriculamenta.*
*Rides Ignati,*
*Tentamen hoc rigoroſum,*
*Ad quod pueri impalleſcunt, non Viri.*
*Probas unico verbo,*
*Sanam eſſe Philoſophiam, quam doces ſanctam:*

*Imò ſanam ipſemet probat Livor, dum reprobat,*
*Quia reprobus, & inſanus.*
*Sic unâ pugnâ viciſti multos,*
*Defendiſti theſin feliciter,*
*Brevì ipſe Mundi theſis futurus.*
*Viciſti!*
*Agnoſcunt errorem Victi,*
*Ignoſce errori Victor.*
*En aliam dant tibi cataſtrophen!*
*Te ſtante, ad pedes procidunt Doctores,*
*Ut videas probos,*
*Quos mala perſuaſio fecerat improbos.*
*En!*
*Accuſant tuos Accuſatores,*
*Tibique paratas, illis jam parant virgas.*
*Jubet Sorbona,*
*Ut puerile facinus teſtetur Livor:*
*Satisfactum læſo honori rata,*
*Si coram Diſcipulo Magiſter,*
*Humi flecteret inſtructus virgis.*
*Gratulor tibi Ignati:*
*Luit Impietas meritò dedecus,*
*Immerito quod irrogârat.*
*Tibi verò*
*Ex contumelia profluxit honos:*
*Nam decuit,*
*Ut ſic ex virga creſceres,*
*futurus Ludi-Magiſter Orbis.*
*Gratulor tibi Ignati:*
*Magnificentiùs triumphare non poteras,*
*Quàm ut deprecantem haberes Magnificum:*
*Non poteras glorioſiùs promoveri,*
*Quàm ut Promotor genu flecteret coram promoto:*
*Quàm ut Teſtes, qui iniqui acceſſerant,*
*Tuæ recederent æquitatis Encomiaſtes.*
*Gratulor tibi Ignati:*
*Nam ex arbore Porphyrianâ,*

*Dum*

*Dum Livor paravit virgas,*
*E virgis lauros paravit Virtus.*
*Imò*
*Arborem paravit prædicamentalem,*
*Quæ Ignatij Philoſophiam, & Gloriam*
*Apud Poſteros*
*Nunquam non prædicabit.*

LEUC: Admirans admiror hunc Neo-Doctorem, quia Atlantem, vel ſi mavis *Philoſophum cœleſtem.* Ab Hujus cœleſti Doctrina fac aliquot radios in me derives, nam amo *Scientiam Ignatianam*, hoc eſt *virtuti conjunctam. MEL:* Occaſiònem dabit diſcurſus. A Cœlo faciamus initium, vel potiùs à Mundo cœleſti: ſed quis aſcendit, Eliæ curru, per aëream ſemitam? quis luſtravit ſidereos tractus, ut annuntiet ea, quæ non licet homini loqui? fruſtrà Pelion Oſſæ ſuperinjiciunt Typhones, ut videant ea, quæ oculus non vidit, nec in cor hominis aſcenderunt: abſcondita ſunt hæc etiam à Sapientibus Mundi. Hinc tanta confuſio opinantium, putantium diſcordia, fingentium chaos. Mundi hujus ſiderei ſi forſitan Natales quæras, finget Philoſophus [mirare fictiones in Philoſopho veritatis] finget eos carere principio, Numiníque æterno eſſe coævos. Putabunt alij, è ſuo nihilo prodiîſſe hanc machinam, ante ſalutem in diluvio naufragam anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto: ante reparatam à Chriſto, anno ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ſexto. Opinabuntur alij, primam lucem aſpexiſſe hanc Lucem tempore verno, circa æquinoctium Menſe Martio: addent Chronologi pleniorem adhuc horoſcopum, diémque Dominicum aſſignabunt Mundo natalem, & quidem horam primam noctis, pertinentis ad primum diem, quem vigeſimum quintum Martij eſſe volunt, eum ſcilicet ipſum, quo incarnatus & annuntiatus eſt Chriſtus, atque poſt annos triginta tres, glorioſâ anaſtaſi, Mundum malè perditum meliùs reparavit. Si naturam Orbitæ cœleſtis indages, fingent alij ſubſtantiam ſimplicem, alij compoſitam tuebuntur. Anaxagoras dicet eſſe *ſubtiliſſimam flammam;* Empedocles *aërem congelatum;* Xenophanes *limpidiſſimam aquam;* Thales Mileſius *terram.* Plato aſſeret eſſe *mixtum*, & quaſi *florem elementorum puriſſimum:* Stagirita *quintam eſſentiam* appel-

*Corn. à lapid. in Gen. l. 1. v. 12. P. Thanner. in theſ.*

appellabit, ab elementis omnibus diſtinctam. Opinabuntur Veterum nonnulli, Cœlorum materiam ſublunari heterogeniam: Neoterici homogeniam affirmabunt. Pro forma Philoſophus illis *animam* adſtruet, Avicenna phantaſticus phantaſiam; Simplicius, nimiùm ſimplex, etiam *auditum* affinget, & *viſum*: alij formam elementorum, alij aliam, ab hiſce omnibus aſſignabunt diſtinctam. Denique putabunt cum Philoſopho multi, Cœlos omnis corruptionis expertes: contrà corruptibiles, & per Cometarum phœnomena ex parte corruptos, imò juxta Scripturæ phraſin, *perituros* alij tuebuntur. En quot putantium diverſa judicia, quot opinantium errores! nempe ſectam profitemur omnes Platonicam, quæ ſuum nomen *à Dubitantibus* traxit, præcipuè ſi de cœleſtibus philoſophemur.

LEUC: Adverto, divinationes & in Peripato proſtare venales. An nihil certius de Cœlorum numero Philoſophi afferunt? *MEL:* Dixi, in Topica tradunt Mundum cœleſtem: hinc opinantur continuò, niſi radium ſubin, è ſacra Scripturæ Analytica hauriant. Cœlos numero plures aſſignant; numerare vix poteris numeri diverſitatem. Alij unum, duos, tres: alij quatuor, alij octo, alij decem; duodecim alij ſibi fingunt; crediderim, ut deficiente uno non deficiat alterum, ſecuráque pluribus reddatur ſalus. Solidos eſſe Cœlos, & velut ex diaphano cryſtallo congelatos, aut etiam ex ære fuſos, ſibi aliqui imaginantur: alij contrà liquidos eſſe putant; quinam veriùs putent, Apollo vix divinârit. Dicent illi in ſolidis ſolidiùs explicari S. Scripturam: replicabunt iſti, in liquidis liquidiùs ſolvi Cœli phœnomena. His ſequeſtros ſe aliqui interponunt, dum Cœlum planetarium, propter intricatos invicem motus liquidum, firmamenti verò ſolidum, & ex nominis etymo firmum, fixúmq; perhibent, & aſſeverant. Id mihi extra dubitationis aleam omnem, Cœlum empyreum, ſolido velut ex adamante fuſum. Sed nec luсidiſſima hæc Sedes ab opinantium tenebris immunis. Eugubinus nec creaturam, nec
*in Coſmopœia.* DEUM eſſe aſſerit Aulam iſtam empyream, ſed *lucem quandam* Numini coæternam, & increatam, atque ex divina Eſſentia emanan-
*Pſ.* 103. tem: *hoc lumine ſicut veſtimento amictum DEUM; hanc* Illum *inhabi-*
*Tim.* 6. *tare lucem inacceſſibilem: hac claritate* Chriſtum *clarificatum*, quam
*Joan.* 17 apud Patrem habuit Filius jam ante mundi exordia: *hanc lucem*
*Eccleſ.* *perpetuam lucere Sanctis* ſibi firmiter ſic perſuadet, ut etiam alios velit eſſe

lit eſſe

lit eſſe perſuaſos. Sed luceat Eugubino lux iſta, ejúsque aſſeclis; nam in tenebris ſedet, quicunque tenebras hujus lucis non videt, quæ Creaturam adſtruit ab æterno. Cœlum ergò empyreum, verum corpus eſſe creatum tam certum eſt, quàm incerta illius forma, atque materia, ſitus, figura, origo, aliæque innumeræ proprietates. Diem Cœlo huic natalem, ante omnem diem, Angelicus adſtruit: hoc enim teſte, creatum eſt *ante lucem*, quæ phraſi Scripturæ ſynonimâ *dies* eſt. Cyrillo ſi fides, creatum eſt ſeriùs: nam ſi primo die jam ſtetiſſet cœleſtis Aula, malè Mundum dixiſſet Moyſes informe chaos. Sed qui preſſiùs Mundi Geneſin rimantur, nec ante, nec poſt primum diem productum aſſerunt Cœlum empyreum: non ante, quia *ſex diebus Cœlum & terram* factam novimus: non poſt, quia *in principio Cœlum & terram creâſſe* legitur Creator. Luciditlimum eſſe hoc cœleſte palatium, nemo eſt, qui negaverit, niſi in D. ſcripturæ Oraculis admodùm peregrinus. Solidum eſſe convincit ratio, eò quòd Beatorum corpora illud ſint habitura pro pavimento: *Immotum* ex eo colligimus, quòd locus ſit quieti perpetuæ deſtinatus. *Exod.* 11 *v.* 20. *Gen.* 1. *v.* 1.

LEUC: Sed quid de ſitu & amplitudine, quid de pulchritudine cœleſtis hujus Jeruſalem Philoſophi ſentiunt? *MEL:* Incerta: nam quæ afferunt, divinant; quæ aſſerunt, autumant: diſcurrunt velut de coloribus cæci, velut ſurdi de harmonia: *non enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparaverit DEUS diligentibus ſe.* Angelorum eſt de Cœlis diſcurrere, non Sophorum: hi quid quid dicant, nil dicunt; diminuunt, dum augent. Ne tamen vota piè curioſa deſtituam, delibabo, quæ Sphæram Philoſophicam non tranſcendunt. Altitudinem aliquot verbis menſus eſt divinus Pſaltes, dum cœleſtis Baſilicæ *fundamenta* dixit eſſe *in montibus ſanctis*: certè incredibile videri poſſet, quod tamen Philoſophis certum, modò per tranſennam ſalutaverint Aſtronomiam. Juxta calculum Riccioli, Magiſtri in arte celebris, cui nemo fidem negaverit niſi imperitus, infimum Lunæ Cœlum à terra diſtat, quinquaginta millia ſeptingenta, & quadraginta milliaria germanica. Solis verò quartum Cœlum abeſſe, ait, à terra ſex millionibus ſupra unum, & trecenta millia, ac ducenta viginti milliaria germanica: fixarum verò diſtantiæ aſſignat octoginta ſex milliones, quorum quilibet conti- *1. Cor.* 2. *v.* 9. *Diſtant. med. in ſemid. terræ.*

net

net decies centena milliarium millia: hinc ſi Die cinerum è pro-
*Tilkow. de Cœlo.* ximo Lunæ concavo ſagittam demitteres, quæ horis ſingulis triginta milliaria pervolaret, ad terram ante Paſcha vix perveniret. Imò ſi molare ſaxum ab octava ſolummodo ſiderum ſphæra dejiceretur, ante nonageſimum ſecundum annum non attingeret terram, etſi ſingulis horis ducenta milliaria cadendo conficeret. Porrò diſtantia terræ à ſupremo Cœlo Aſtronomis tanta eſt, ut licèt octo millibus annorum, in ſingulos diés, milliaria centum conficeres, rectâ viâ properans in altum, minimè tamen ad Cœlum empyreum pervenires. Ne ſis ergò ſollicitus, mi Leucothee, ad tam excelſum palatium non pertinget inſalubris aura, non grandines; illuc non procellæ, non turbines, non tempeſtates ullæ aſcendent; nil noctis, aut tenebrarum admittitur ad Civitatem hanc illuſtriſſimam, & altiſſimam. Amplitudinem illius quod attinet, im̃enſam eſſe conſiderans Propheta Baruch,
*C. 3.* attonitus exclamavit: *O Iſraël! quàm magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus! magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus.* Magna prorſus, & incredibiliter ampla neceſſe ſit hæc Aula cœleſtis, quæ citatiſſimo Solis curſui immenſum penè ſpatium præbuit. Una Aſtronomorum vox eſt, Solem horâ unicâ percurrere ducenta ſexaginta millia milliaria germanica, è quibus Cœli ambitum deducat, qui volet. Sunt, qui illius magnitudinem milliaribus 10314085710 definiant, latitudinem verò 3600000000 milliaribus metiantur. Philoſophi amplitudinem Cœli empyrei immenſam conſtituunt, & admirari malunt, quàm metiri: id facilè inferent, niſi omnem doctrinæ conſequentiam ejurârint, etſi Beatorum cuilibet ſpatium, terrarum Orbe grandius, aſſignet Numen, manſiones plurimas fore nihilominus vacuas. Inferent terram Cœlo collatam, punctulum eſſe, imò punctulô minus, cùm ſtella etiam minima decies & octies terræ magnitudinem complectatur. Inferent, quòd ſi DEUS è ſingulis arenæ granulis, quæ littus marinum ſtipant, ſingulos crearet Orbes terrarum, innumeri certè, ac infiniti dicerentur, & tamen immenſa Cœli ſpatia neutiquam implerent. Ite jam Sophi, dividite hoc terræ punctulum, quod ferro, & igne tot Gentes inter ſeſe dividunt: ite, & neglecto Cœlo pro terræ glebula digladiari magnificum putate. Ite inſani, & ambite domos, & prædia, villas, Civitates, & Regna, & hoc pun-

ctum

ctum in infinita puncta diſcerpite. Ite tumidi, & in hujus pun-
cti minimo punctulo concluſi, de pervulgandâ famâ, de profe-
rendo nomine cogitate. Nimirum punctuli tantilli amore Cœ-
lum ſpernitis, in gratiam momenti, beatiſſimam æternitatem ne-
gligitis. De fractæ acûs apice, de aſini umbra, de hircocervis
litigatis, & Cœlum perditis. Sapientior hac in re Tullius: quid *In Som.*
poteſt, inquit, ei magnum videri in rebus humanis, cui æterni- *Scip.*
tas omnis, totiúsque Mundi nota ſit magnitudo? ipſa terra mi-
hi parva viſa eſt, ut me Imperij noſtri, quo quaſi punctum ejus
attingimus, pœniteret. Religiosè Ptolemæus: ille inquit, in- *In præf.*
ter homines altior eſt Mundo, qui non curat in cujus manu ſit *Almag.*
Mundus. Quid jam dicam de pulchritudine Aulæ hujus Divi-
næ? D. Joannes, arrepto veluti carbone ab extincto foculo, illam
delineans, inquit: *hæc civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo, &* *Apoc.*
*fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioſo ornata: duodecim portæ,* *c. 21.*
*duodecim margaritæ per ſingulas: platea civitatis aurum mundum, tanquam*
*vitrum pellucidum.* Dixit, quod dicere potuit: neque enim minus, ſed
nec ampliùs quid potuit enuntiare: aurô, & gemmîs æſtimationi
humanæ nil pretioſius. Hæc, inquam, carbone delineavit: ſuis rem
coloribus effulgentem cernes Leucothee, ſi domum ipſam conti-
gerit habitare. Civitas iſta non egebit Sole, nec Lunâ, ſed cla-
ritas DEI cuncta illuminabit, nam lucerna ejus eſt Agnus. Sunt,
qui corpus ſpirabile, aurámque cœleſtem ibi admittant, quam
attrahere poſſint Beati. Sunt, qui admiranda palatia, fortè e-
tiam prata, & nemora, materiæ incorruptæ, & ſupra gemmas
pretioſæ, Cœlo concedant, quæ oculos amœniſſimâ varietate *Barra-*
oblectent. Illud certum, *manſiones* ibidem plurimas, & magni- *dius.*
ficentiſſimas, quarum intuitu fatebimur, Palladias turres eſſe hi- *Joann.*
rundinum nidos; Romæ palatia, mera eſſe tuguria; Regum *14. v. 2.*
Baſilicas columbarum caveas, & vix limaceæ teſtæ, ne dicam,
Diogenis dolio comparandas. Hoc igitur Domicilium DEI,
artificij Divini ſpecimen, omnigenæ voluptatis Sedes, & im-
mortalitatis beatiſſimæ Paradiſus erit: in hoc bonorum omnium
affluxus, omníſque mali exilium: hìc nullus hoſtis, tædium
nullum, ubi vel nomen miſeriæ ignorabitur: hìc fruemur gau-
dio ſine triſtitia, luce ſine tenebris, ſanitate ſine morbo, ſatieta-
te ſine faſtidio, jucunditate ſine interruptione, voluptate ſine
dolore, ſocietate ſine ſuſpicione, gloriâ ſine invidia, copiâ ſine

 defe-

defectu, vitâ ſine morte, bonis omnibus ſine fine. Superi! *quàm*
*Pſ. 83. v. 1. & 5.* *dilecta hæc tabernacula! quàm beati, qui habitant in Domo tua Domine!* LEUC: Næ tu multa ſuſpirio unico; ſed necdum omnia: nam ſic cœleſtis aulæ te abripuit decor, ut illius ſitûs, quem petiî, ſis oblitus. *MEL:* Rectè mones, opinione prolixiùs, me in profuſa effudi Superûm gaudia: nimius tamen eſſe non potui, nam de Cœlo etſi plurima dixeris, dixiſti nihil, cujus immenſa gaudia ſuſpirijs meliùs, quàm verbis in epitomen contrahes. Porrò ſitûs, quem petis, ea eſt ratio, ut Cœlum empyreum ſit omnium ſupremum: ſummo ſubjectum eſt Cœlum, quod primum mobile appellant; huic cryſtallinum; cryſtallino, Orbis ſiderum, ſeu firmamentum. Poſt hoc ſeptem Planetarum Orbes volvuntur. A Lunæ ultimo ſphæra ignis ſuum imperium explicat: poſt ignem aër, ejúſque diſtinctæ tres Regiones, ſuprema calida, media frigida, mixta infima. Aërem elementum aquæ ſequitur, cui adjuncta eſt terra, quam univerſi centrum eſſe verior docet Philoſophia. Inter ſidera ſeptem ſolummodo errones eſſe, ſive Planetas, nôrunt ij, quibus labore ſtetit non modico, invia eorum, & avia, ſpiras, atque Mæandros explorare intricatiſſimos.
*in ſyſtem. Tycho.* Mercurius, inter Planetas minimus, quia ipsâ Tellure plùs quàm vigeſies minor, tam arctum ſe probat Cynthij aſſeclam, ut ejus plerumque radijs abſcondatur: Solem, velut centrum ſuum, adorat, circa quem intra dies octoginta octo per ellypticam volvitur: illius à terra diſtantia nunc major, nunc minor, & licèt accipias minimam, tamen ſupra decies centena milliarium millia emetitur. Venus, infame Nomen apud Terricolas, Aſtronomis ſidus eſt, quod eminet ſplendore, oculóſque amœnè verberat ſcintillanti jubare. In terris lucem fugit, noctis amica; in Cœlo Cynthij comes eſt individua, & in majori, quàm Mercurius, ellypſi, circumeundo luſtrat Phœbi amicum jubar, ſcilicet intra dies viginti quinque ſupra ducentos. Nunc orientem præcurrit, anteſignanus Planeta, & dicitur Phoſphorus; nunc pediſſequus occidentem ſubſequitur, & Heſperi nomine gloriatur. Tellure minor eſt ſexies, ſi Tychoni eſt fides, à qua nihilominus in apogæo ultra decies centena, ducenta octoginta quatuor millia, & quadringenta milliaria germanica recedere comprobatur. Cynthiæ curſus magìs cæteris implexus, labyrinthum Aſtronomis aperit, in quo plures jam exitum perdidêre: illud eſt in comperto,

to, quòd, intra viginti octo vel novem dies, antiquam in ſua orbita repetat ſtationem. Phœbus Rex inter Planetas, anni unius ſpatio, ſtadium ſuum decurrit: in eclyptica nunc apogæus, nunc perigæus duo format ſolſtitia, & centies quadragies Tellure major eſſe perhibetur: unde ſi *volucres Pyrois, Eous, & Æthon* Phœbeæ peripheriam orbitæ circumcurſarent, unum ſupra triginta millia, & quadringenta ſeptuaginta duo milliaria germanica emetirentur. Mars ſuo circulo terram ipſam complectitur, biennij ſpatio volvens, & evolvens ellypticam orbitam: Tellure minorem putant, utut illam altitudine, plùs quàm trigeſies centenis, quadringentis ſexaginta novem milliarium millibus, tranſcendat. Jupiter ipſam Solis Eclypticam comprehendit, duodennali propemodum curſu ſuum ſe ſe gyrans in circulum: quatuordecim globos terraqueos ſuâ amplitudine exæquat, altitudine verò ſuperat in tantum, ut nonageſies centenis, nongentis octoginta octo milliarium millibus, intermedium ſpatium nemo facilè pervagaretur. Sed adhuc magìs Saturnus habitat in altis: nam ſupra decem milliones, trecentis viginti milliarium millibus terram tranſcendit, cujus amplitudinem vigeſies bis in ſe complectitur: hinc quia Senecio, difficulter movet tam vaſtam molem, feſtinat admodùm lentè, & triginta fermè annorum ſpatio, ſuam reptat per orbitam, nequidquam proficientibus ſtimulis, quibus comites urgent moroſum ſenem. Quid jam dicam de ſtellis, quas fixas in firmamento, & veluti aëreo annulo totidem infixas gemmas miramur, & contemplamur? plurimas eſſe nemo non videt, niſi craſſiori glaucomate laboret, quàm talpa: ſed numerum determinare quis poterit? *ſuſpice Cœlum, & numera ſtellas, ſi potes.* Tentârunt tamen innumeras numerare nonnulli, ſed neſcio, an conatu magis proſpero, quàm audaci: nam Ptolemæus 1022; Grienbergerus 1225; Keplerus 1392; Plinius 1600; Bayerus 1725; Galilæus de Galilæis ultra decem millia, & denique Ricciolus noſter ultra vicies centena millia teſtatur, armato oculo, ſe detexiſſe. En! quàm diverſi eâdem de re Sophorum ſenſus. Sed uti in numero, ita quoque in magnitudine inter illos diſconvenit. Sunt, qui æquali diametro ſtellas omnes dijudicant, & diverſa phænomena in diverſam diſtantiam refundunt: ſed meliùs, qui ſex diverſas, in ſideribus fixis, magnitudines notant: hos inter eſt Clavius, Aſtronomiæ cultio-

*Gen.* 15. *v.* 5.

ris Proto-parens, qui ſtellas magnitudinis primæ centies ſepties; ſecundæ nonageſies; tertiæ ſexageſies bis; quartæ quinquagies quater; quintæ trigeſies ſexies; ſextæ decies octies amplitudinem globi terraquei, in ſe complecti non modò putat, ſed & firmiſſimus aſſeverat. Omitto aliorum judicia ſtudiô, quia ſuperant rudiorum judicium, nec etiam à Doctis promiſcuè creduntur. Certè Ricciolus, magnitudinis primæ Aſtronomus, proportionem terræ ad ſtellam primæ magnitudinis ponit ut 1. ad 515, ídque in Syrio. Sextæ magnitudinis ut 1 ad 9. ídque in Alcor: Globum verò terraqueum ad firmamenti, ſeu Mundi viſibilis Orbem ut 1, ad 2744000000000. At in hypotheſi Copernicanâ incredibilis omninò foret proportio: ſiquidem ſtella magnitudinis primæ contineret terram, Longomontano teſte, vicibus 12167000000: Solem verò 86901143. Unde Orbis fixarum comprehenderet Cœlum Solis ultra vices 69 000 000 000 000, Ricciolo calculatore, quem numerum pronuntiabunt citiùs Arithmetici, quàm credent ſaniores Aſtronomi.

LEUC: Si moles adeò vaſtæ, veluti illuſtres tot Inſulæ, in æquore aëreo natitant, quis illis motum dabit tam celerem? quis ad Mathematicam amuſſim exactum adeò, & regularem? Aurigâ Hercle eſt opus, plùs quàm Phaëtonteo, qui dirigat: nec ſoli currui Phœbeo, Pyroënta ſuum, Eoúmque eſſe crediderim, ſed & alijs Orbibus proprios jugales, qui, plùs Pegaſo alati, non tam decurrant, quàm pervolent hoc cœleſte hippódromon. *MEL:* Non inaniter argutaris: nam in unico motu geminum Sophi ſtupent prodigium: velocitatem ſcilicet tantam, támque ordinatam, & regularem. Nolim ego, incertos Aſtronomorum calculos, librare ad Arithmeticam trutinam, id refero, quod Sophorum non nemo Curioſis noſtri temporis Phyſicis referre non dubitavit. Ait ille: punctum quodlibet firmamenti, unius horulæ ſpatio, motu raptûs, ſub æquatore percurrere longè ultra octogeſies centena milliarium millia, quæ vix annis bis mille, nongentis quatuor peragrares, etſi quot diebus octo germanica conficeres milliaria: imò velocior eſt ille motus, quàm ſagittæ, vel avis, quæ ſpatio minimo, plùs quàm ſepties, terræ totius ambitum circumvolaret. Idem alibi aſſerit Planetam poſitum in æquatore, horis ſingulis, plùs quàm vigeſies quinquies centena decurrere

*Tilkow. Phyſ. cur. p. 2. f. 220.*

*Idem p. 16. 203.*

currere milliarium millia, quæ ut abſolveret Pegaſus, indigeret annis mille ſeptingentis viginti ſex, etſi quadraginta quotidie milliaria emetiretur. Addit, quòd vel ideò *morulas à motu* removeat; cùm enim ſtella fixa, intra horæ minutum, decies centena conficiat milliarium millia, navis, intra hoc inſtans, milliare unum emenſa, plùs millies mille inſtantibus deberet quieſcere; atque ita, ſi illam progredi cerneres, multò magìs ſtantem in ipſo curſu admirareris. Hæc ille, quæ ſi carminare liberet longiori indagine, forſitan eſſemus duo. Sufficit quòd per diſcurſum, ſiderum velocem diſcurſum tibi probaverim. Motûs porrò tam paradoxi, quia tam celeris ſimul, & regularis, cauſam varij variam, ùt ſolet, aſſignant. Caſui illum adſcripſit Democritus: ſed hìc ridetur. Strato Lampſacenus refundit in impetum, ſuum crediderim, nam loqueretur meliùs, ſi ſine impetu. Animam aſſignant illi, quibus ſidera non modò currunt, ſed etiam humanâ ratione diſcurrunt. Ad machinam, quia ad DEUM, recurrit M. Albertus: alij ad formam intrinſecam, plerique Angelorum virtuti, & Miniſterijs tribuunt hunc impulſum. Sunt, qui mediatores in hac lite, ſe offerunt: nec ita alligant cœleſtes Spiritus ad hos Orbes, ùt ſaxo Siſyphum, ſed Rectores eſſe volunt, & Directores, ſícque Authoritati ſuam ſervari autumant Authoritatem. Cæterùm rationi id tribuunt, ut à forma intrinſecâ moveri aſſerant, & tueantur. Quid quid ſit, id ego in aurem tibi, hìc per diſcurſum: ſine Authoritate ſic interpretari Authores, audaciùs videri poſſet, quàm tutiùs.

LEUC: Extra teli jactum hìc erit Copernicus: huic enim ſtant ſidera, & ſola movetur Tellus. Quis, amabo, Philoſophis ſenſus de iſthoc Philoſopho? cujus in Peripato Famæ hic Author? *MEL:* famoſus eſt certè, ſi non infamis. Stigmatias audit in Orbe Catholico, quia programmate publico ad Alogorum Gyaros relegatus. Audi, quibus cenſurarum aculeis ejus ſyſtema configat Peripatus ſanior: vertiginem, ait, patiatur, neceſſum eſt, qui tantam Telluri vertiginem. Inſenſatus profectò ſit Sophus, qui omnes jugulat ſenſus, ut vel elidat, vel eludat ſenſum communem. Mirabilis, cui univerſale judicium, non dat judicium: ſurdus, cui Scripturæ Oracula, non niſi poëticas ſonant metaphoras: cui uni omnium voces non ſat acclamant, ut unus omnium vocibus non magìs obſtrepat nugator. Planetarium

netarium eſſe oportet, qui terram collocat inter Planetas, octavum Planetam, novus ipſemet Planeta, quia Lunæ ſuppar, & lunaticum ectypon. Audax Hercle Archimedes, qui non dato etiam loco, ubi pedem figat extra Tellurem, hanc ex univerſi centro revulſam, gyrat per annuum circulum. Novatorem meritò dixeris, quia è Philolai cujusdam cineribus ſuſcitavit antiquiſſimam hanc novitatem, infelici anaſtaſi, nam vix nata, antiquis cineribus denuò eſt conſepulta. In eo ſaltem occubuit glorioſa, quòd Purpurati Principes celebrârint illius exequias, dum hanc doctrinam, velut *abſurdam, in Philoſophia falſam, & quoad immobilitatem Solis formaliter hæreticam* declarant, atque pronuntiant. Audiant iſta Islebici Sophiſtæ, qui nil crepant, niſi novitates antiquas, nec niſi in Anti-Peripato ampullantur. Audiant iſta Philoſophaſtri in hypogeis Hollandicis blaterantes, quibus volupe ſemper fodere, & effodere fimeta ſanioris Peripati; qui vix conſarcinant codicem, niſi malè fartum centonibus, quos Roma dudum ſepelivit in putri. Audiant, inquam (nam illorum gratiâ alienam refero cryſin) & bene perpendant, quantum gloriæ accreſcat Peripato, ſi Tychonis Copernicíque ſyſtemata malè concilient, dum quaſi receptui tantiſper canentes, fatentur ſponte ſyſtema Tychonicum Oraculis ſacræ Paginæ meliùs congruum, Copernicanum verò rationi magìs conforme, & conſentaneum. Vah glorioſum εὕρηκα! vah primi ſubſellij novatores! itáne utrumque ſyſtema, calculo quoque veſtro, cœleſtibus phænomenis congruum? itáne utrumque à Conditore eligi potuiſſe fatemini? & tamen electos defenditis Copernici turbines, etſi S. Scripturæ Authoritas oppoſitum, claris in terminis, profiteatur? abite præpoſteri Caduceatores, & heteroclitam methodum Ambubajarum circulis, veluti dignum problema, relinquite diſceptandam.

LEUC: Alienâ bile acuis ſpicula, ut exorbitantes à fidei norma Philoſophos inſecteris. Scio, quid alij ſentiant, ſed & tuam hac in re mentem, mihi cuperem exploratam. *MEL:* Non ſemper expedit dicere, quæ vel licet, vel lubet ſentire. Ne tamen te aliquid celem, rem habe paucis. Si Copernicus in forma hypotheſis, quod Authorem feciſſe interpretor, ſuum publico exponit ſyſtema, Sophorum ingenijs eventilandum, an nempe Cœli phænomenis, an Aſtronomiæ calculis congruat,

habebit

habebit ſpartam difficilem, qui tam facilè extorquendam huic Herculi clavam ſperat: ſunt enim Sophi emeriti, in Prytaneo certè alendi, qui feliciori forſan impendio, experimenta Matheſeos, illo ſolvi non diffitentur. Quòd ſi fictionem pro veritate, hypotheſin pro theſi Peripato obtrudat venalem, meritò ſubjacebit cenſuris, quas in illum Romanus Jupiter. a. A quibus neutiquam immunes noſtri temporis Novatores, qui hoc ſyſtema, velut rationi conformius propugnare, etiam in theſi publicè non verentur. Et utinam! heri nata hæc in Peripato lolia, cum Galilæo ſeptuagenario, palinodiam canere non erubeſcerent, ſaperent ſaltem cum Sene, qui cum Juvene deſipere non recusârunt. Quod attinet reliqua Mundi ſyſtemata, ſicuti cuncta placent ex parte, ita nullum probatur ex toto. Non *Semi-Copernicanum,* quia etſi Phœbo motum tribuat annuum, terræ tamen affingit diurnum. Non *Anaximandricum,* quia Solem & Lunam ponit inter Planetas ſupremo loco: non *Porphyrianum,* quia iiſdem infimam dat ſtationem. Non *Platonicum,* quia Mercurium conſtanter aſſerit ſupra Venerem: non *Ptolomaicum,* & *Ægyptiacum,* quia non ſunt ſolvendis Recentiorum Phænomenis: non *Semi-Tychonicum,* quia ſat videtur inordinatum: non denique *Tychonicum*, quoad omnia, eò quòd ſubin faciat Martem, & Jovem terræ nimìs vicinos, ſubin nimìs remotos. Illud addo, quòd inter Planetarios motus præprimis arrideat ſpiralis, quia omnium ſimpliciſſimus, per quem Planetas, nunc ad ſenſum retrogrados, nunc ſtationarios, nunc apogæos, nunc perigæos, etiam tyro, in Aſtronomico limine, demonſtrabit. Sed ſatìs de Cœlorum hypotheſi; fingant Aſtronomi, Sophi philoſophentur: pergamus ad certiora.

*Tacquet.*

a. *Urb.* 8. *a.* 1633. 22. *Junij*

LEUC: Quæ tu certiora in ſiderum Patria, quam inviſere hactenus conceſſum eſt nulli? oculum ſi quæras, exploratorem armatum, à longè aſſeret ſe inſpexiſſe, nec vidiſſe ſe quidquam certius, quàm quòd omnia ſint incerta. Forſitan Meteorologia, pars illa Phyſicæ noſtræ amœnior, explorata magìs reddet Naturæ prodigia? *MEL:* Terres me iſthoc nomine, quia nimiùm vaſto: theatrum aperit, quod modico diſcurſu non licet, prolixo non lubet decurrere. Habes in manu epitomen, quam tibi non ita pridem lux publica: curioſitatis tuæ orexin ſatiare poteris, ſi velis.

LEUC:

LEUC: Tyronum latere te nequit fatum: inviſum nomen illis eſt *lectio*, diſcurſu capiuntur faciliùs, rémque capiunt meliùs. Da, quæſo, modicam ſynopſin, ne ſaltem me fugiant illa, quæ erudita magìs, & curioſa. *MEL:* Plura ne petas, non enim poſt lectam meſſem, colligo libenter ſpicas. Ex meteoris igneis alibi carminabo crines Cometis, nunc igni fatuo detraho larvam, quod meteoron nobis notius, quia frequentius. Ignis fatuus, ſpectrum illud inane rudium, qui, puerorum inſtar, quamvis trepidant Empuſam, fatuum meritò dixeris, non enim niſi fatuos decipit, & fatuorum inſtar, nocturnum aëra, pervagatur. Varia ſortitur nomina, quæ non tam Naturæ, quàm figuræ diverſitas huic phænomeno affingit. Auſculta, ſi lubet, cùm fortè in circulos confluunt Camilla, Sabina, Sybilla, & audies terrores, ruituri Olympi prodromos, vel ſpectra ex orco omnia erupiſſe percipies in hoc aëreum Mundi Amphitheatrum. Hæc enim aſſeret, vidiſſe ſe, *Dracones* in aëre *volantes*, nec eſſe dubium, quin ruptâ catenâ Cerberus evaſerit in hunc Orbem. Addet altera, ſe hirco nuper vectam volatili, offendiſſe *Capras* Paracelſi ignivomas, per aëra *ſaltitantes*: mox alia ſubjunget, ſe conſpexiſſe *ſtellas* de Cœlo *cadentes*, ſiderúmque partem ſat magnam, *flammâ* Promethei ſuccenſam, & conflagrantem. Sed ſilere jubebit cunctas Sybilla, per colum ſanctè conteſtans, quòd plagiarij, è furca pendentis, manes, feſtorum pervigilia, quæ in vivis malè neglexerant, accenſis in pœnam luminibus, cogantur jam celebrare: hisce oculis vidiſſe ſe aſſeret, noctu volitantes per cœmeteria ſpiritus, è quibus boni fugientem ſe inſecuti, inſequentem fugiſſent mali: jurabit, quod igniti exercitus paludinoſam infeſtent viciniam, quorum aliqui ſcintillantibus *lanceis*, horrenda forment in aëre prælia: alij velut ambulones erratici Viatores deducant in avia, & deductos per præcipitia, lamentabili fato, demergant. En fabulas, ad colum excoctas! ridet, cùm hæc audit Philoſophus, & ſarcaſtico cachinno explodit aniles gerras. Scit enim, pyrotechnica hæc phænomena, connaturali geneſi, eſſe vapores humidos, halitúsque ſiccos, ex corporibus mixtis extractos, & vi caloris, ac antiperiſticæ intenſionis accenſos. Hinc, ob levitatem facilè mobiles, varios in moto aëre fingunt ſaltus: ob denſitatem vel raritatem diverſos induunt colores, atque figuras: hinc in

paludi-

paludibus, & ſepulturis frequentiores, propter humoris putridi copiam: hinc ducunt ad torrentes, & præcipitia, propter aëra illuc abreptum, qui phaſmatum ejusmodi portitor: fingunt voces, & murmura, ſibilare videntur, & fremere, propter luctam cum humido, ut adeò non difficulter, rudi plebeculæ, ſpectrorum ſpecie, imponant, cuncta exaggerantibus tenebris, metúque territi ſpectatoris.

LEUC: Jam facilè capio illud Mantuani Vatis, quòd Aſcanij viſa ſit *Lambere flamma comas, & circùm tempora paſci.* Capio inſidentes antennis, de Cœlo reduces Caſtora & Pollucem; capio, quòd Tiberij ſonipes in effuſo curſu exſpuerit flammas; quòd Alexander ille Magnus in ardore certaminis ſæpe apparuerit radians, nec tamen ſanctus. Illud non capio, quod de fulmine tradunt Authores. Aſſerit Plinius à Jove excoqui fulmina, calorem Marte, humorem ſubminiſtrante Saturno. Bodinus Dæmones adhibet, qui veluti totidem Cyclopes, Jovi aëreo, hoc telum cudant triſulcum. In ſulphureo Stellarum concavo, veluti ollis ignivomis parari fulmina, & ad terram deorſum excuti, docuerat Paracelſus. Itáne Philoſophi, an Poëtæ? *MEL:* Quid hæres? cùm utraque manu palpare poſſis enthuſiaſmos. Conſtat in ſaniore Peripato, fulmen nil aliud eſſe, niſi *exhalationem ſulphureo-nitroſam, intra nubes accenſam, magnóque impetu excuſſam.* Colligis, nî fallor, *materiam*, è qua hic Jovis triſulci terror; quam in Ceraunio lapide nemo conſtituet, niſi qui ſapit vulgum. Id tamen non denegârim hiſtoricæ Authoritati, quandoque maſſam, unà cum fulmine deijci, compactam in cuneum, quem lapidis fulminei nomine ſuevimus compellare. Nam talem vidiſſe ſe aſſerit Avicenna, addítque, odoris fuiſſe ſulphurei, & colore ſimilem pumicibus aduſtis, quos ſubin flammivomi eructant montes. Talem, è catenula ſuſpenſum, aſſervari Herbipoli, in Baſilica D. Jacobi, affirmat Author, conteſtatæ in Peripato fidei. Quam tamen fidem nemo leviter dabit Anſelmo Boëtio, qui Enſishemij monſtrari lapidem fulmineum aſſerit, trecentis libris appenſum, Cœlóque dejectum, vertente anno, ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo ſecundo; eo forſitan, quo fabuloſus Jupiter novos Olympo dejicere tentavit Encelados, & Briareos. Illud extra Æſopi fabulas, quòd *modo triplici* ſoleat accendi fulmen: ſcilicet vel per antiperiſtaſin, ùt in calce laten-

*Fulmen.* *L. 2. c. 20* *L. 2. Theat.* *Meteor. c. 8.* *Apud averr. l. 2 meteor. c. 2.* *Schottus.*

C tes

tes colliguntur igniculi; vel per nubium attritionem, ùt ex ſilicibus excutitur ignis; vel per radios ſolares, qui in nubibus, veluti ſpeculo cauſtico, refringuntur. Motus non rarò ſurſum, frequenter accidit deorſum, contra ignis naturam,& indolem: tum quòd vapores, quibus involutus eſt ignis, ſuapte tendant ad centrum; tum quòd in tempeſtatis conflictu denſatæ ſuperiùs nubes, aut confertus imber, ex aëre ſublimiori ruens, fulmina deorſum præcipitet: *per vias* tamen ruunt *ancipites* & *obliquas*, eò quòd aëris commotioni ſe ſe accommodent. *Tempus* magìs accom̄odum præbet æſtas, propter calorem: hinc in Scythia rarò fulminat Jupiter. Sed & nimius calor vel diſſipat, vel extenuat vapores fulmineos: hinc ad tropicum Cancri rariora ſunt fulmina, uti & in Braſilia, quamvìs in Regione hac tanta fulgurum copia coruſcet, ut Solem aſſequi, everſóſque à Phaëtonte currus, novo repræſentare ſpectaculo, videatur. *Fulgur* eſt ſubitus, & evanidus ſplendor exhalationis accenſæ, nec à fulmine diſcrepat niſi forſan ob materiæ raritatem. Si albido colore micat, abundantis aquæ ſume indicium; prædominantis ignis, ſi flavo; ſi ferrugineo, peſſimum omen, nam adeſſe in copia indicat halitus minerales. *Tonitru* Sophis eſt vehemens nubis colliſæ fragor, ſequitúrque fulmen terrore pediſſequo, vel quod verius, fulmini hæret tumultuarius comes à latere, ſeriúsque fulgure,aurem quatit, quia feſtinat lentiùs, gradu ſcilicet ſucceſſivo. Unde intelliges illud Senecæ, non quibusvis de trivio lippis notum ora-
L.2.c.57 culum: *nemo fulmen timuit, niſi qui effugit*: nam quemcunque ferit, ſubitò perit: ſi advertiſti, jam evaſiſti: bruta ſunt fulmina quæ videntur: quódque timeri ſolet plerumque tonitru, nil habet periculi, plus terroris.

LEUC: Opportunè hìc in memoriam redeo illorum, quæ Authores quidam de fulmine, mira certè, ſi non miracula. Plutarcho ſi fides, Romæ excubias agenti militi fulmen liquavit aurum, liquatúmque abſumpſit, illæſo prorſus marſupio: alteri Stagiritâ teſte, æneum clypeum ſic abliguriît, ut intactum maneret penitùs involucrum. Imò, niſi fallat, aut fallatur Muretus, ſic non nemini gladium colliquefecit, ut coagularet in globulum, vaginâ prorſus inviolatâ. Sunt, qui oſſa comminuta teſtentur, carne penitùs indemni: ſunt, qui medullas arborum in cineres redactas ſcribunt, cortice non ſignato: quin & fœ-

tum

tum ſubitò interemptum, ſalvâ, & incolumi Parente affirmant. Et quid Philoſophi ad paradoxa hæc Phyſica? *MEL:* Admiranda potiùs cenſent, quàm explicanda. Varij variam experientiæ hujus analyſin afferunt. Veritati meliùs litant, qui certam fulminis agnoſcunt ſpeciem, *humidam & terebrantem*. Hæc conflata, ſi tamen conflata, & non potiùs extenſa per materiam ſubtiliſſimam, ſumméque rarefactam, poros innoxiè permeat, usque dum corporis cujusdam ſoliditas opponat obicem: tum enim verò [ut bellè Philoſophus] fortiùs applicata vis fulminis, *L.3.c.1.*
paululùm remoratur, & hæret in denſo, síceque inhærendo, vim vehementiùs exerens, obſtacula vel omninò abſumit, vel ſaltem vindicis flammæ inurit probroſum ſtigma: habes analogiam in aqua forti, ceræ parcit, furítque in metalla duriſſima, quæ diſſolvit. Illud, quod de fœtu humano addideras, non tam fulmini, quàm fulminis terrori, communiore calculo, adſcribunt Authores.

LEUC: Equidem perſuaderes, fulmen vehementiùs deſævire in dura corpora, quia obnitentia; quàm in mollia, facilè pervia, niſi contrarium experimenta plurima demonſtrarent. Author nobis eſt Schottus, Panormi, anno à reparata Salute milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, veſtes à fulmine cuidam abſumptas, corpore integro. Plinius fidem oppignerat, abſum- *L.2.c.51*
ptum quandoque vinum in dolio, dolio prorſus intacto. Senecæ contrà ſi credimus, effracto, combuſtóque non ſemel vaſe vinum ſtetit illæſum, quia ſubitâ cruſtâ, veluti viſcosâ pelle à fulmine, doliario planè mirabili, obvolutum. *MEL:* Næ tu vehementer deciperis, ſi ab eodem fulmine effectus metiâre ita oppoſitos. Unus tonat in Cœlo Jupiter, nec unam tamen cudit fulminis ſpeciem. Nunc ales armigera miniſtrat fulmen *clarum, & urens,* quod (teſte Seneca) magìs igneum, corpora, quæ attingit, vel afflando corrumpit, vel inflammando comburit; & cùm conſtet materiâ, picis inſtar, viſcosâ, pertinaciùs adhæret corpori, donec omninò illud inflammet: hinc abſumptis veſtibus debilitata vis tardior, ne ulteriùs progrederetur. Nunc fulmen offert, quod diximus, *terebrans;* hoc raritate ſuâ per ligni meatus, lubrico tranſitu illapſum, ſubtiliſſimis ſpiritibus vinum mox omne permeat, ac ardore immodico in tenuiſſimos diſſolvit vapores, qui proin & ipſi per vaſis poros, trajectu illo flammæ la-

xatos, ſine mora avolant, & in tenues exſpirant auras. Jam genus fulminis porrigit, *ſicci, atque diſijcientis:* quod ubi in dolio conſumendo propemodum jam ſe conſumpſit, fumosâ viſcoſitate, vinum ambit inſtar pelliculæ, evocatis ad ſuperficiem craſſioribus è vino ſpiritibus, ibíque in membranam tenuem condenſatis. Sed quia difficile verba dare Philoſopho, exemplum cape, quo Magnus ille Albertus, rem adeò paradoxam, elucidare ſuevit in Pſillio ( herbæ genus eſt, viſcosâ præditum indole ) hoc ſi vino injicias, viſcoſo totum replebit humore, qui calore maſſici, ad extima propulſus, membranâ liquorem veſtiet, & absque vaſe continebit, ne effluat. Denique hæc Ales, fulminis cuſtos, irato Jovi obtrudit tela, *triſulco igne* urentia, quæ ſubtilitate ſua poros omnes celeriter permeant, lignáque, & marmora momento in pulverem redigunt. Hinc factum, reor, cur icti fulmine aliquando diſparuerint, quod de Romulo Livius: nam contingere potuit, ut momento redigerentur in minutiſſimum pulverem, qui ventorum turbine in auras denique ſit diſſipatus.

*Cardanus l. 8. variet. c. 43*

LEUC: Hoc ſi verum, *urente* pariter *fulmine* tactos, credo, Meſſores illos, qui in Lemno Inſula, cùm fortè fortunâ cænarent, momento fuerant exanimati: & quod mireris, fato exſpirârunt ita mirabili, ut manerent, eodem in ſitu, exanimes veluti ſtatuæ, hícque comedere, is ori admovere poculum videretur. Imò, jurâſſes vivos, nî mortuales larvas, fuligine luridus probâſſet color, levíque tactu in cineres corruiſſent. Hæc poteſtas *urentis flammæ;* capio. Sed illud Oedipum petit, cur liquores, fulmine tacti, ſic corrumpantur, ut temerè potantem, vel ratione privent, vel vitâ? *MEL:* Refundit Peripatus ejusmodi experimenta in venenatas qualitates, in graveolentem odorem ſulphuris, in diffuſionem noxiorum ſpirituum, quos è putreſcentis terræ cavernis non raró attrahere ſolet fulmen.

*Schottus.*

Ejusmodi venenato ſpiculo ictus ille in Peripato Sophus, qui lymphato ſimilis diſcurrit per templum, ſibi reddi poſtulans ablatum caput: ſubin reſtitutus ſibi ad pluteum rediît; ſed tertio die repentè corruit triſte funus. Illud mirum, quòd venenata, ſi fulmine tangantur, ſubinde venenum ponant, & ſerpentes contra Naturam vermiculentur: ratio forſitan, quod venenum unum contrarium alteri, aut halitus igneus humorem abſumat

fri-

frigidum; in quo veneni virtus potiſſima, quíque præprimis noſcitur reſiſtere corruptioni. Problemata reliqua, quæ in Athenæo affigit Jupiter fulminans, ex dictis facilem ſortiuntur analyſin. Intelliges, cur ſub Imperatore Macrino, Theatrum ipſo Vulcanalium die, ſacro igne è Cœlo tactum, incendio flagrârit tam pertinaci, ut nec fluvij, nec profuſiſſimæ pluviæ reſtinguere valuerint ſerpentem flammam: nempe bituminoſus ſpiritus, fulmineo ſulphuri fuit immixtus, bitumen autem ſub ipſis undis flagrare, Pyrotechnicus non eſt, qui negat. Hinc lacte, & præcipuè caprino, extingues meliùs Vulcani furias; lac enim ſuo ſe glutine affigit, ac intra poros, quos occupat, ſuffocat ignitam luem. Intelliges, cur fulmine feriantur frequentiùs alta, raro humilia. Nam ſi cum turri Argentina, quadringentos, quinquaginta, & ſeptem pedes, aëreum verticem nubibus inſeras, quid mirum, ſi obliquæ fulminis ſemitæ magìs expoſitus, crebriora capias à fulmine vulnera? intelliges, cur tormenta ruentis fulminis avertant pericula; imò cur nonnemo è Brisgojæ, ubi hæc loquimur, Inquilinis, agitatione pilei unicâ præſentes triſulci Jovis evaſerit furores: cur feriantur ſæpius torrentes; cur inconſultum, mugiente Cœlo in campis currere, aut in Muſæo liberum aëri tranſitum indulgere, quia ſcilicet, hæc omnia ſubtiles fulminis halitus, unà cum aura, attrahunt potiùs, quàm propellunt. Sed ſatìs de fulmine, quod ſæpe brutum, Philoſopho niſi bruto, rariùs timendum; quod ſi quis in ſinu aleret leporem, in ſubterraneâ cryptâ ſeſe vivum ſepeliat: nam ultra quinque pedes, aut cubitos, terræ fulmen immergere non ſolet aëreus Jupiter, niſi fortè vim addat Tonans ille, à cujus furore, mens malè conſcia, nec in inferni barathro, ſatìs ſe occultabit.

LEUC: Terrores cœleſtes tu in fulmine hactenus: adjunge Iridem, Jovis placati nuntiam, ſerenitatis prodromam, quæ cœleſtem Telluri pacem amœna ferat, multicolore caduceo. Quid de iſta eruditi Philoſophi? *MEL:* Coloribus varijs depingunt meteoron iſtud emphaticum: Poſſidonius *Phœbi ſpeculum* appellat: Seneca *roſcidam Solis imaginem.* Samogitæ *fortunæ cingulum* dixêre, quod dum ſplendet, perit, ſítque tam difficile captu, quàm amabile viſu: alij nominârunt *opus Excelſi, jucundum ſpectaculum, oculorum illicium, pacis ſymbolum.* Optimè, divinus Plato, illam vocavit *Thaumantiam*, ſeu *admirationis Filiam*, ratus *Iris.*

forſitan, tot miraculis componi ejus Naturam, ut admiratione ſuſpici potiùs, quàm cogitatione comprehendi poſſit. Certè pulchritudine ſua Salomonis etiam oculos ſic perſtrinxit, ut ad hoc dignum Cœlo ſpectaculum mortales nos invitaret, ſequenti apoſtrophe: *vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo; gyravit Cœlum in circuitu gloriæ ſuæ, Manus Excelſi aperuerunt eum.* Quòd ſi, rigore Ariſtotelico, Naturam Iridis trutines, deprehendes, *quòd ſit arcus multicolor, in nube roridâ, Solis adverſi radijs illuſtratâ, depictus.* Exhibet ſic adumbrata meteori hujus effigies, cauſam, ùt loquuntur Philoſophi, materialem in nube roridâ; *formalem* in radijs; *efficientem* in Sole, Pictorum omnium Archididaſcalo: nam pingit, quin terat colores: ſcitè illos diſpenſat, quin egeat penicillo: artificioſè miſcet, quin didicerit artem: figuram circularem obſervat, quin accipiat circinum: verbo, tam bello ſpectaculo oculos recreat, ut cæcus ſit, qui ex unicâ in Iride lineâ Divinum non agnoſcat Authorem potiùs, quàm Apellem. Audi, quàm fluido colore hujus phænomeni ectypon adumbret Vates quidam, Parnaſſi incola:

*Eccl. c. 43.* *L. 3. c. 4.* *Parnaſſ. Poët. S. l.*

*Hìc & honorato ſe picta extendit in arcu*
*Iris, & innumeros ducens à Sole colores,*
*Oſtendit variæ Mundo ſpectacula formæ.*
*Ac nimìs horrifico ſedeat licet hoſpita nimbo,*
*Nil tamen Æthereæ decus admirabile frontis*
*Inquinat indecori hoſpitio, croceúmque colorem*
*Aurea, purpureos aſtri flagrantis honores*
*Flammea, cæruleam promit dein ultima pallam,*
*Et Mundum vario ferit inviolabilis arcu.*

Porrò Iridis geneſin ſic elucidat Philoſophia. Solares radij, in nubis roſcidæ guttulis, veluti pellucidis vitris variè modificati, vario quoque modo illabuntur in oculos; unde colores pingunt tam varios, ſpectaculo vero, & ficto, quia emphatico, & permanente. Permanentes apparent,& tamen cum luce ſunt tranſeuntes: nam continuò alij radij, continuò aliæ, & aliæ de novo guttulæ in decidentium ſuccedunt ſitum. Apparet eadem Iris, & tamen eſt jugiter alia: nulli eandem exhibet faciem, adeò, ut plures nunquam eandem numero Iridem contemplentur. Quot enim ſunt ſpectatores, tot Irides, quia eadem nunquam eſt linea, à Sole

*Cardin. Ptolem. phyſ. partic. diſſert. 5.*

à Sole per oculum alterius ad centrum Iridis trajecta. Quid? quòd eidem nunquam ſit eadem: cùm guttæ continuò defluant, & varientur. Fac locum mutes, mutabit illa mox faciem, ſenſibili quandoque diſcrimine; adeò benè locuti ſunt Veteres, dum hoc phænomenon *cæleſtem Protheum* appellârunt. Colores quod attinet, ordinariâ lege tres vel quatuor induit principales: ſupremus, & omnium lucidiſſimus eſt puniceus: medius non ita clarus, eſt viridis: infimus, & utroque obſcurior, purpuram imitatur: licèt puniceum inter, & viridem flavus quoque, & ut ore Philoſophi loquar, *utriusque* veluti *commiſſura* intercurrat, imò & alij ſecundarij plures: adeò ut Iris non modò cum Stagirita tricolor, aut ſepticolor cum Ptolemæo, ſed multicolor cum vulgo, & tantùm non millecolor [utut ſit ſine colore] dici mereatur cum Poëta, qui cecinit:

*Mille trahit varios, adverſo Sole, colores.*

Cæterùm Iris ſignum eſt, & Naturæ, & Authoris Naturæ: ex hujus quidem placitis indicat, nunquam porrò futurum totius terræ diluvium: *arcum meum*, inquit *ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & non erunt ultrà aquæ diluvij.* Et verò accomodum hoc eſt Divinæ Clementiæ ſymbolum; nam Iris, arcus eſt, at absque ſagitta: terrere vult Deus, non ferire: vult, non ut pereamus, ſed ut fugiamus à facie arcûs. Ex Naturâ ſuâ ſignificat, aut præceſſiſſe, aut ſecuturas propediem pluvias, licèt & naturale ſignum eſſe poſſit non venturæ tam ſubitò, ab aquis pluvialibus tantæ eluvionis, quia Cœlo Cataclyſmum parturiente, & Sole inter tetras nubium tenebras penitùs abſcondito, fingi Iris non poteſt; ùt ex Angelico rectè demonſtrant Conimbricenſes.

*Gen. 9. v. 15.*

LEUC: Supereſſent plura, quæ in hoc Cœleſti Meteororum Amphitheatro curioſam peterent mentionem: ſed monet clepſydra, ut Olympo jam deſcendamus. Priusquam ad terram denuò revertamur, placeat, quæſo, pauliſper divertere, in Æoliam, famoſam ventorum patriam, de qua ſæpe tam multa & mira, ut meritò tota me curioſitas illuc invitet. Memini, cùm adhuc ephebum lactarent Pierides, in topographia Poëtica viſam mihi Æoliam, penicillo tam graphico à Marone depictam, ut omnes te oderint Muſæ, ſi etiam ter repetita diſpliceant. Sic ille:

*Nimbo-*

1. *Æneid.*

*Nimborum Patriam, loca fœta furentibus Auſtris,*
*Æoliam ſpecta: hìc vaſto Rex Æolus antro*
*Luctantes ventos, tempeſtatéſque ſonoras*
*Imperio premit, ac vinclîs, & carcere frænat.*
*Illi indignantes, magno cum murmure montis,*
*Circùm clauſtra fremunt: celsâ ſedet Æolus arce,*
*Sceptra tenens, mollítque animos, & temperat iras:*
*Nî faciat, maria, ac terras, Cœlúmque profundum,*
*Quippe ferant rapidi ſecum, vertántque per auras.*
*Sed, Pater Omnipotens ſpeluncis abdidit atris,*
*Hoc metuens, molémque, & montes inſuper altos*
*Impoſuit, Regémque dedit, qui fœdere certo,*
*Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.*

Et, amabo, quem fabuloſò ex cortice nucleum, hìc Philoſophi eruunt? *MEL:* Non ineptè tu fabulas, cùm philoſophari cupis de ventis. Nam in Peripato quoque de his multa ſunt fabuloſa, incerta plurima. Maronem fabulando vicit ille Philoſophus, qui terram dixit prægrande animal, quod ſtatuto tempore per montium crateras exſpiret ventorum turbines; mirum ſi hìc non ſibilet, vel ſaltem rideat ipſemet Æſopus. Sed & fictam ſapit Æoliam Plinius, qui ventos nil eſſe voluit, quàm motum à cœleſtibus corporibus aërem, immemor ſequelæ ſat fabuloſæ, qua ventos omnes, & continuos faceret, & ortivos. Feliciore penicillo adumbrârunt alij ventorum imaginem, quos inter Vitruvius, qui dixit ventum quandoque nil eſſe, niſi *aëris fluentem undam:* unde Authore Seneca non aliter ſæpe diſtat ventus ab aëre, quàm flumen diſtet à lacu. Aſpirat huic opinioni Hypponenſe Oraculum, dum aſſerit *ventum eſſe aërem agitatum, atque commotum*, id quod muliebri flabello ad oculum putat ſe demonſtrare. Sed huic ectypo aliam adjungit lineam Stagirita, cum ventum vocat *exhalationem commotam, perſæpe ſiccam, & calidam, nec raró vapore humido permixtam:* ſingula pene verba centum firmant experientiæ: hinc enim plurimi venti admodùm ſicci, séque frequentiùs levant tempore verno, & autumnali; imò non raró orienti Phœbo ſe jungunt Comites, eò quòd hic è terra levet vapores. Hinc impetu ſæpe valent fulmineo;

*Keppleрus.* *L.1.c.6.* *L.2.ſum. 2.c.1.*

*Quà data porta ruunt, & terram turbine perflant,*

Quem

Quem turbinem ſi in *ſolum* aërem, certo impetu commotum, refundas, refragabitur Lithuania, utpote quæ bene meminit, furioſo ejusmodi Æolo pagum integrum quondam eſſe contritum, ſegetes in modum plateæ evulſas, & fœniſecam ſublatum in aëra, poſt quatuor primùm milliaria terræ denuò reſtitutum. *Anno* 1675. Hinc venti non raro aſſurgunt è maris fundo, propter ſpiritus, è Neptuni faucibus eructatos. Hinc color in Phœbo igneus ventos promittit, eò quòd indicet, exhalationes torridas in aëre congeſtas. Hinc circa Promontoria, hinc circa littora vehementes plerumque notamus ventos; propter vapores è vicinis terræ viſceribus reſolutos. Scivit iſta Columbus, & niſi Philoſophus, audeo dicere, novum Mundum non inveniſſet. Nam cùm in mari Atlantico ferociſſimos ſentiret ventos Europam verſus, bene collegerat, ultra Oceanum eſſe terram, quæ tot pro ventis de novo halitus, ſemper ſuccenturiaret. Cæterùm halitibus ſiccis, vapores non raro humidos commiſceri, eſt in comperto. Nam experimur ſæpe ventos ſat frigidos, ſæpe illos ſentimus defluxionum moleſtos Authores, quia aqueis repletos vaporibus, qui & ipſi ob adſcititiam raritatem, & levitatem quaquaversùm impelli poſſunt. Hinc eſt, cur fluminum, & Oceani accolæ, à ventis raro immunes, jugem Æoliam experiantur.

LEUC: Delineâſti ventorum vultus, ſed necdum alas: quis Æolus ventoſæ huic phalangi dat impetum? quæ cauſa impulsûs? *MEL:* Nodum tangis, Gordio ſupparem, quem plures tentârunt fruſtrà. Monarchicum Æolus non habet imperium: ſunt plures, quorum nutus adorant venti. Non nunquam ſpiritus, quos vel ſidera Legatos, vel Tartara emiſſarios ablegant Satellites, Euris, ſeu Favonijs laxant habenas. Sæpe Planetæ turbant ventorum Regnum: nunc enim Cynthius extenuat aërem, halitus ſufficit, atque vapores: nunc Cynthia ſpiritus concitat: hinc notat Maurus, ante Lunæ deliquia, ſex fere horas, plerumque ventos tumultuari: ſed & nobilem advertit Anglum, Typhones in novilunijs noctu, de die naſci in plenilunijs. *Bohun.* Nunc ſibi imperium arrogant ſubterranei ignes, quorum ope è catadupis elevati vapores, aliique in hypogeis rarefacti ſpiritus, maximo cum impetu, per montium ſiphones erumpunt. Nunc per montium juga, liquata hyems, ſalinis, nitroſis, & flatulentis ſpiritibus aërem concitat: hinc Eteſiæ flant

in Hiſpania à Pyreneis, ab Alpibus in Gallia, in Græcia à montibus Thraciæ. Verbo: Æoliam phyſicam ſi indages, dicam, originem trahere ab ijs omnibus, quæ ſive rarefacta, ſive condenſata, tollunt æquilibrium aëris. Fac enim calor extenuet
*Schererus t. 2. l. 8. c. 2.* aërem maximè condenſatum,& niſi Lana diſputet de lana caprina, occupabit ſpatium vigeſies millies majus ſe ipſo: quid ergò mirum, quòd atmoſphæra, adeò extenſa, impellat partem aëris proximam, hæc trudat denuò vicinam, ſícque ſenſim commoto majore ſpatio, oriatur ventus, qui eundo accipiens vires, ſeſe fortiùs propagat, non aliter ac ſeſe ſolent trudere fluctus,
*Fromondus.* ſícque ſenſim cõmovere Oceanum? ſed finge denuò, nam hæc fictio docebit te veritatem, finge, inquam, quòd exhalatio, ſubito frigore condenſata, ſuámet ponderis gravitate, nec proin abſque ſenſibili impetu, è primæ regionis vertice, ruat in terram: quid denuò mirum, quòd aëre tam derepentè contracto, in ejus locum mox alius advolet, ſecúmque trahat affinem? quid mirum, quòd hæc ſucceſſiva commotio ventum eundo generet, qualem hìc experimur?

LEUC: Capio originem motûs, in motu ventorum geneſin: ſed cur impetus, adeò ſibi ſæpe contrarius? cur nunc directus, nunc transverſus, nunc placidus Zephyrus, nunc fulmineus Ecnephias, nunc turbidus Typhon, nunc furore accenſus Præſter? *MEL:* Non eadem atmoſpheræ eſt diſpoſitio, non eadem exhalationum Natura, nec eadem agentium virtus: hinc pro varijs circumſtantijs, varios venti aſſumunt motus, & impetus. Flumen aſpice (nam venti ſunt aëris flumina) & omnis me oderit Stagira, niſi in ejus fluxu, pellucido veluti ſpeculo, ventorum phænomena deprehendas. Nunc enim pleno decurrit alveo, nunc diminutum, nunc inter montium angiportus velociſſimè fugit, nunc in ampliſſimis campis placidè exſpatiatur: ſubin inter obvia ſaxa, velut carminatum exultat, non nunquam ex catadupis præcipitatum formidinem incutit, jam in hanc, jam in illam partem excurrit, nunc denique in rapidos vortices gyratur, vel circumflectitur in Mæandros. Non aliter ventus nunc interciſo impetu ſpirat, modò ceſſat, modò reſumptis viribus, majori redit cum impetu, eò quòd exhalationes vel ſint magìs, aut minùs continuæ, aut plura, vel pauciora in itinere obſtacula intercurrant. Quòd ſi exhalatio ſuſpenſa in aëre, quaſ-

re, quaſdam partes calida, adeóque levis, nitatur ſurſum: ſed quaſdam alias frigida, adeóque gravis, retrahatur deorſum, neutrum motum poſſit evincere, luctatur, & ex lucta motum parabolicum, à recto tramite deflectentem, generat, quem alio nomine alij *tranſverſum* vocant, & *lateralem.* Quod ſi inæqualitas aëris, aut prævius quidam impetus exhalationem initio magìs determinet, in hoc vel illud latus; continuabitur, nec niſi ex una parte ſenties tumultuantem Æoliam. Subin amat contingere, ut ſpiritus nitroſo-ſulphurei, dum ſubtiliùs extenuati, eluctantur in altum, à frigore repercuſſi, totum impetum deorſum concipiant, aut ab ipſa ſuperioris nubis gravedine non aliter ac fulmen deorſum elidantur, ubi ſtatim alios concitant halitus, ac demum in horridas deſinunt tempeſtates: & hos furores *Ecnephiæ* adſcribunt Sophi. *Typhonis* nomine turbinem indicant, quem gigni volunt, cùm exhalatio in pluribus nubibus, nequicquam exitum quærens, in ſe ipſam reflectitur, conceptóque in ſpiram motu deorſum, vorticis inſtar, circulatur per turbinem. Erit *Præſter* hic turbo, ſi aliqua ex parte incenſus, fulminis inſtar ſæviat, & procelloſos per Lybiæ deſerta ſpargat furores. *Ariſtot. Sect.* 26. *Probl.*

LEUC: Ventos nominas minoris notæ, quos *laterales* Stagirita, eorúmque ingentem turmam Hydrographi afferunt: quinam ergò Æolij fratres, quos ſine purpura Cardinales veneratur Hippotates? *MEL:* Si neſcis, memoriam juvabit impoſterum Joviani Muſa, qua cecinit:

*A ſummo Boreas, Notus imo ſpirat Olympo:*
*Occaſum inſedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu.*

Signa ventorum prognoſtica, hoc quoque metro, incluſit Poëta quidam Philoſophus.

*Si ſcintillantes ſtellas, ſi fortè cadentes,*
*Halóque, & nubes cum Sole cadente rubentes,*
*Si tenues ſpargit per inane aranea telas,*
*Sole coronato, Lunáque rubente timebis*
*Ire leves ventos, flatúsque inſtare ſuperbos.*

Cæterùm venti, quos emittit Septentrio, à Zona frigida ſicci advolant, gelidíque, ſerenitatis plerumque prodromi: qui à meridie ſpirant, à Zona torrida calorem, ab Oceano afferunt humorem; hinc à pluvijs dudum notus Philoſophis Notus. Venti, qui ſuum ortum ab occidente, in mari Atlantico induunt humiditatem

tatem, nec niſi multis ſtipati vaporibus advolant; hinc Aquarij plerumque ſigniferi, cujus urnam non ſegniter effundunt. Illi, quibus Oriens fræna laxat, in calore & ſiccitate quandoque variant, ſerenitatis certi prænuntij, & ſalubritatis aëreæ Caduceatores. Hinc ſi quam luem peſtiferam afflet meridies, ad óccaſum detruditur, ortum declinare juſſa, ſalubritate ventorum, ùt Author eſt Plinius. Illud denique velim obſerves, utilitatem ventorum aëream quidem, ſed neutiquam inanem: purgant enim, & ventilant aëra; noxias ſæpe qualitates diſcutiunt, vel abſumunt; æſtivos temperant calores, & hyemis emolliunt frigora; fœcundas pluvijs nubes ab Oceano advehunt; terram, nimijs nivibus, imbribúsque propemodum naufragam, rurſus exſiccant; commercia maritima promovent, optimi Architalaſſi, cùm in triremibus ſuſpendunt remos, & Euro magìs volucres addunt alas. Sed ſic ego hodie vela non contraham, ſi infinita commoda, proprietates, & arcana ventorum myſteria dicendo velim eventilare: ſufficiat tibi pro epiphonemate illud Regij Vatis Oraculum, quòd non niſi DEUS *de theſauris ſuis* producat ventos: hoc eſt, *de ſua potentia ſecretiſſima, atque ditiſſima, quæ nunquam exhauriri poteſt*, ùt in hunc locum Bellarminus Scholiographus Purpuratus.

*MEL:* Sit igitur, ad terram denuò revertamur, ut in ignito Ignatio Mundum miremur cœleſtem, & à Seraphino terreſtri cœleſtem diſcamus Philoſophiam. *MEL:* Falleris, de Cœlo non oportet deſcendere, ſi cœleſti huic Philoſopho loqui cupis. Nunquam ille in terra, etiam cùm maximè fuit in terra: nam converſatio illi erat in Cœlis, etſi habitatio fuiſſet in terris: percipe mirabilem Sophum, paradoxam methodum philoſophandi. Sic intellectum excoluit, ut non negligeret voluntatem: ſic Palladi ſe dicavit, ut præferret virtutem; Philoſophiæ ſe commodando, Theoſophiæ Sanctorum totum ſe conſecrando: plus oravit, quàm ſtuduit; imò orando ſtuduit, & ſtudendo oravit: in Peripato ambulabat de die, in Oratorio flectebat de nocte, ſeptem horas orantem obſtupuit Phoſphorus, vultúſque ſplendore deceptus, Phœbum hunc eſſe æſtimans, in ipſo ortu ſegnem ſe Heſperum increpabat: Phœbus ipſe in radijs replicatum ſe ratus, Ignatianum ſæpe attonitus ſpectavit paraelion: ſed cùm ſæpius ſic offenderet ſublatum in aëra, ſenſit Ignatium

eſſe

eſſe ignitum, qui ſic tenderet ad centrum ſurſum. Theſi ſæpe unicæ totam noctem impendit, & mox repetere volens inventa exclamavit: *O ſi te homines nôſſent!* cùm diſputaret de creaturis, ſic præmiſſas diſpoſuit, ut concluſio eſſet de Creatore: optimè Philoſophatus, etſi plus inferret, nam nullum vitium, ubi virtus probat connexionem. Cùm Cœlum aſpiceret, jam illi ſordebat terra, ibíque magìs vivebat, quò aſpirabat, quàm ubi ſpirabat. Hæc inter ſtudia illi unicum tædium, delicijs cœleſtibus abundare: hæc illi tentatio unica, ne à pluteo raperetur ad Cœlum, ne penna, qua ſcriberet, ei adderet alas, ac ad ſidera transferret invitum. Illud hoc in Philoſopho mirum, quod meditationis tempus illi omnis hora, Oratorium totus Mundus, monitores ſingulæ creaturæ, viſitatores Angeli, & non rarò Chriſtus. Ecce Leucothee, Philoſophum paradoxum, cujus ne primis labijs libâſti ſanctam Philoſophiam, niſi ſic in Peripato ambules, ut plus proficias in ſchola affectûs; niſi Scientiam promoveat virtus, virtutem Scientia: nota bene hæc verba, nam Ignatianæ continent epitomen Philoſophiæ.

LEUC: Næ tu paucis mihi loqueris multa: hoc unum pluribus mihi magìs, quæſo, declares, quæ fundamenta Ignatianæ hujus Philoſophiæ? *MEL:* Unicum, quod ipſum docuit, quódque ipſe alios docuit. Hauſit illud ex Martis Palæſtra Miles; nam cùm Polyæni ſtratagemata perluſtraret, legit Coſingam, apud Thracas Sacerdotem, ac de gentis more Belli-Ducem, cùm detrectarent imperium ſubditi, ligneas ſcalas quàm plurimas, ingentéſque conſtrui, & alias alijs imponi curâſſe, quibus in Cœlum ad Junonem de contumacia expoſtulaturus aſcenderet. Et Hercle, ſtropha ceſſit ex Coſingæ ſententia: nam hoc facto ſtupidam plebem ſic perculit, ut ſe impoſterum dicto audientem, ritéque ſubjectam fore, interpoſitâ Sacramenti religione obſtringeret. Vidit Ignatius, quod in veteratorio artificio cum fructu æmularetur Philoſophus, futurus brevì Sacerdos, Gentíſque novæ ad Cœlum ductor. Vidit Mundum detrectaturum imperia, niſi ſcalas ſibi, ſuíſque pararet, quibus minitaretur, ſe Sidera conſcenſurum, ut apud divinam Sapientiam (meliorem Junonem) de Rebellium contumacia quereretur. Imò, quod non niſi inaniter jactitaverat Coſinga, hic ipſo opere præſtitit: paravit ſcalas, octavus hic Orbis Sapiens Pittacus: *L. 7.*

induit pennas, alter hic Dædalus, Cœlúmque auſu heroico conſcendit. Se levavit mente, non corpore, ſine ſcalis, & alis eniſus in altum, & tamen (ut cum Hipponenſi Oraculo loquar) per ſcalas, & alas, ſi animum attendamus. Quòd ſi quæras, quænam hæ ſcalæ? reponet hic S. Doctor, eſſe res iſtas viſibiles, & creatas, quæ quot perfectiones, tot ſuppeditant gradus, quibus per creaturas ad Creatorem Philoſophus aſcendat. Hinc in naturali Perſarum Thoſophia, dudum celebris ſcala Mithriaca, qua per ſeptem Planetarum gradus, mortalibus viam ad Superos aperuêre: hinc Baſilius Seluciæ Epiſcopus, pridem omnes nos admonitos voluit, *ut per creaturam ad creaturæ Dominum aſcenderemus; DEUS namque, ùt ait, cùm res creatas in morem ſcalæ adaptaverit, per eas ſui amantibus aſcenſum ad ſe extruxit.*

*Ad Pſ. 38. titulum.* *Ad Pſ. 122.* *Orat.* 1.

LEUC: Docuiſti ſcalam, doce & ſcalæ uſum: non enim ſufficit tyroni doctrina, ſi deſit methodus applicandi doctrinam. *MEL*: Lubens aſſentior: nam hoc ipſum ut peteres, habebam in votis; continet enim myſterium, non niſi ſanctis Philoſophis cognitum, ex quo quantum ſcientiæ, tantum trahunt utilitatis. Fundamenta hujus arcani ipſa poſuit fides Divina, ut de ſoliditate non dubites. Veritas eſt, de qua hæſitare ſacrilegum, cui diſſentiri hæreticum, *DEum creaturis omnibus intimè præſentem.* Eſt ubique *per ſuam eſſentiam*, totus in toto Mundo, totus in qualibet Mundi parte, ut hac analogiâ decepti Veteres eum *Animam Mundi* indigitarent: *nunquid non Cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus:* ita eſt, reſpondet coronatus Propheta, *ſi aſcendero in Cœlum tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sed etiam eſt ubique *per ſuam præſentiam,* & quidem talem, qua omnia videt, qua cuncta intelligit, ut non malè illum Sibillæ *Panepiſcopum*, hoc eſt, Auguſtino interprete, *totum Oculum* nominarent: imò & *totam Aurem* teſtati ſunt Veteres, cùm illi aures & oculos conſecrarent; quaſi dicerent: attende quid agas, loquaris, & cogites, nam omnia videt, audit omnia, omnia perſcrutatur. Non niſi ab ore impio vox illa egreſſa eſt, *quis me videt? tenebræ circumdant me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus.* Tam craſſum errorem dedoctus ille, quem diu pœnitentem ſacrilegum refert Thomas, dictus à Cantuaria, Author non integerrimæ ſolùm

*Jer. 23. v. 24.* *Eccleſ. 23. v. 26.*

lùm fidei, ſed & ſanctæ. Ait, quòd huic talpæ ipſe Chriſtus ſe ſpectabilem dederit, ſed Peregrini in ſpecie, quia à Domino peregrinanti: petiît lavari caput, quod ubi faceret cæcus, oculum in fronte vidit, atque obſtupuit: Superi! exclamans, túne hìc oculum? ita repoſuit Chriſtus, hic ipſe te vidit peccantem, & necdum de ſcelere pœnitentem: huic oculo nil abſconditum, nil occultum. Sic apertis oculis cæcum, poſtquam hoc oculo illuminavit, ex oculis peregrinus, neutiquam amplius peregrinus evanuit. Sed inſuper eſt ubique *per ſuam potentiam*: nam in omnibus omnia operatur, quia virtus archetypa, ex qua ſuam virtutem omnis creata virtus: hinc more ſuo appoſitè Auguſtinus, DEUM, *totam* quoque *Manum* appellat, utpote *in quo* ſolo *vivimus, movemur, & ſumus.* Hac ergò veritate ſuppoſitâ, Auguſtini veſtigijs inſiſtendo, ſic ſcalam cœleſtem conſcendet tyro Philoſophus. I.° *In conſpectu ſpiritûs ſui univerſam conſtituet creaturam*, tot ſpecierum conſideret cumulum, & videbit tot gradus ſcalæ, quot creaturas: perpendat hæc omnia *ambientem* DEUM, & *penetrantem*, non aliter, ac ambit, & penetrat *immenſus Oceanus ſpongiam.* Nec in cortice hæreat, ſed ad ſubſtantiæ nucleum penetret, ac velut ſub Eychariſtico velamine inquirat latentem DEUM: exploret in ſingulis creaturis, *cur* Numen inſit? *quid* operetur? indaget, *quomodo* inſit, & operetur? hunc gradum ubi conſcendit Philoſophus, ad alterum mox pergat Ethicus, fideíque vivæ ſigillo obfirmet hanc veritatem: dicat cum Iſaia: Credo Domine, quòd *omnia opera opereris in nobis*: credo, quòd in creaturâ hac, myſtico veluti ſolio, tua reſideat Majeſtas: ſed non credo, quia ſine mente illum intueor, in cujus conſpectu Mentes Angelicæ contremiſcunt. En! in ſecundo gradu conſcendiſti jam Cœlum, quia attigiſti jam DEUM. Supereſt, ut quem tenet intellectus credendo, voluntas amplectatur amando: hinc exclamabis cum Auguſtino: *Ecce DEUS, & ecce, quæ creavit DEUS, & bonus eſt DEUS, & his validiſſimè, longiſſiméque præſtantior!* in creaturis veneraberis Creatorem, in virtute participatâ participantis extolles potentiam, in bonitate creatâ prædicabis increati Entis perfectiones, in umbra obſtupeſces Lucis infinitæ ſplendorem, ſícque guſtato jam Numine entheus, DEO fruéris per mille affectus laudis, & gratitudinis, quos meliùs dictabit Amor, Ignatianæ Magiſter unicus Philoſophiæ.

*In vita S. Lud. l.2. c.20*

*Actor. 17.v.28.*

*L. 7. Conf.c.5.*

*Saint-Joure.*

*C. 26. v. 12.*

*L. c. c.*

LEUC:

LEUC: Tales Philoſophos ſi educaret Peripatus, multi, credo, utiliùs ſaperent, quia ſanctiùs viverent: non eſſet periculum, ne Auditoria perflarent Vanitatis ampullatæ Favonij, ſed aurâ fruerentur æthereâ, Auditores eſſent Cœlites, Repetitores Seraphini. Sed, putas, multos ejusmodi Sophos, in Philoſophicis laudari faſtis? *MEL:* Tot laudantur, quot ùt veri Philoſophi (Sanctos intelligo) prædicantur. Atque ut meliùs diſcas Doctrinæ hujus aſceſin practicam, ducam te per exempla. Divum Ignatium, in hac arte Magiſtrum, contemplare; & invenies DEO ſemper conjunctum, etſi abſtractum in creaturis: imò ideò eſt in DEO, quia vivit cum creaturis, in quibus DEUM ſemper quærit, & invenit. Non ille alta petit cum Icaro, Cœlum empyreum cum
*Act.* 17. Gigantibus non conſcendit: quævis Creatura illi acclamat: Ecce!
*v.* 27. *non longè eſt ab unoquoque noſtrûm*, quem quæris. DEUM in terra ſentis portantem, in aqua lavantem, calefacientem in igne, in aëre refrigerantem. Solem ſi aſpexit Ignatius, mox DEUM agnovit lucis Authorem: in cibis guſtabat Nutricium, Mæcenatem portabat in veſte, in libris audiebat Magiſtrum, in Superioribus ſuſpiciebat ſupremum Superiorum omnium Moderatorem. Si vidit Samſones, DEI laudavit potentiam: ſi Salomones, Sapientiam adoravit: ſi formoſos Adonides, pulchritudinem admirabatur, & ex rivulo creato, mox in immenſum ſeſe demerſit Pulchritudinis increatæ Oceanum. Ad Creatoris laudes illum animabant aviculæ, in concentibus muſicis audiebat Choros cœleſtes, & harmoniam virtutum animo conſiderabat. Notum eſt ex Vitæ ipſius Apographis, quòd à floſculis raptus ſæpe in extaſin: quòd Sidera contemplanti ſorderent terrena: quòd antonomaſtico nomine *Pater, qui ſemper Cœlum ſuſpicit*: quòd à fluminis cryſtallini undâ ſpeculum ſibi formârit ad contemplanda fidei noſtræ myſteria: verbo, quòd nunquam de terrenis locutus, niſi, aſcenſu facto ad ſidera, diſcurſum cum hominibus in
*In Apophț.* terra cœptum, cum Angelis in Cœlo finiret. Hæc hujus Philoſophi ſtudia, hi conatus: hanc Philoſophiam, quam Cœlo didicit Magiſtro, diſcendam ſuis pariter tradidit. Nunc juſſit, ut cum Mundi aſſeclis circulos ingrederemur, ſed ut illos nobis-
*In conſ. de amore ſpir.* cum in ſpiritu educeremus: voluit, ut Mundi Philoſophi facerent præmiſſas, nos adderemus ſanctam concluſionem. Nunc ſuaſit, *ſpeculari DEUM, in ſingulis exiſtentem creaturis: elementis qui*

*dem*

*dem dantem, ut ſint: plantis verò, ut vivant; hominibus, ut ſimul intelligant.* Nunc docuit conſiderare *eundem DEUM, propter nos in creaturis ſuis operantem, dantem illis eſſe, & conſervantem id, quod ſunt, habent, poſſunt, & agunt.* Nunc denique expreſsâ lege præſcripſit: *ut in omnibus quæramus DEUM, exuentes nos, quantùm fieri poteſt, amore omnium creaturarum, ut affectum univerſum in ipſarum Creatorem conferamus, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam, ac divinam ipſius voluntatem.* Habes ideam Ignatianæ Philoſophiæ, quam ipſe per omnes creaturas exercuit, & exercendam noſtri temporis Philoſophis præſcripſit. Ab hac qui recedit, Peripatum frequentat, quem coluit antiqua Gentilium Vanitas, non Chriſtiana noſtri temporis Veritas. *Reg. 17. ſum. Conſt.*

LEUC: Crediderim, hanc eſſe characteriſticam, quam noſtri temporis Sophis cupis impreſſam: nempe ut ſciant, quæ ſcivêre Antiqui, ſed ſanctiùs: ut Philoſophiâ utantur, ſed ad ſalutem, nec abutantur ad vanitatem. Capio, quod inter profana Hæreſeos Athenæa, tuúmque Peripatum petis diſcrimen: nempe, ut eandem Sophi utrobique Scientiam, ſed quam ibi ſolam; fallor, quam ibi non ſolam, ſed cum vitijs hauriunt, hìc capiant cum virtute: ut omnia, quæ illis, quia malis, cooperantur ad malum; his, quia bonis, cooperentur ad bonum. Sed quid putas, an omnes capiunt verbum hoc? *MEL:* Illud ſcito, qui ſic non colligit, diſpergit: *mercedem congregat, ſed in ſacculo pertuſo:* paſcitur, ſed inani vento: haurit Scientiam, *ſed quaſi qui haurit in cribro aquam:* laborat, ſed littus arat: audiat, ſed & capiat, quod illi DEUS per Prophetam Oraculum: *ſementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam.* Sed tandem ſatìs: finio, & pro dictorum epitome extaſin tibi offero Ignatianam, minimè poëticam, quia veram, & ſanctam: optimè philoſophicam, quia à creaturis ad Creatorem. *Aggæ. c. 1 v. 6.* *Deut. 28 38.*

# ENTHUSIASMUS D. IGNATIJ LOYOLÆ,

## *Novæ Authoris Philoſophiæ, in qua plùs amatur, quàm diſputatur.*

*Quò raperis Ignati?*
*Surſum, quò ignis rapitur,*
*Ab igne Ignatius rapitur,*
*Incendiarius Orbis futurus.*
*Stupeſce Natura, Sophum ſupra Naturam:*
*Paradoxa, quæ rejicis diſputando,*
*Hic vera probat vivendo.*
*Vivit in terra*
Semper, & nunquam.
*Nam Cœlum illi eſt terra,*
*Vel ſi mavis,*
*Terra illi eſt Cœlum.*
*Mirare*
*In veteri Elia Ignatium,*
*Vel in Ignatio novum Eliam:*
*Hic Phœbo, is aurigante Florâ,*
*In Cœlum rapitur:*
*Antiquam hic ſemitam, quia arduam:*
*Is novam terit, quia mollem,*
*Gratisque conſtratam floribus.*
*Hic vivit raptus cum corpore,*
*Is rapitur vivus in Mente:*
*In Cœlo ut viveret iſte,*
*Terram debet deſerere:*
*In Cœlo ut viveret ille,*
*Terram debet incolere.*
*Ignati!*
*Eliâ major es!*
*Hic in Cœlum aſcendit, ut Cœli ſit incola:*

*Ad te*

*Ad te in hortos Cœlum deſcendit,*
*Ut eſſe queas in terris Cœlicola.*
*O ter Beatum!*
*Cui Cœlum eſt Terra,*
*Cui flores ſunt ſidera,*
*Cui prata ſunt firmamentum.*
*Ter Beatum!*
*Cui mundus eſt liber,*
*Cui folia Creaturæ:*
*Qui ſine litteris*
*In roſis legit characteres Martyrum,*
*Qui è lilijs colligit laureolas Virginum.*
*Felix!*
*Cui Creaturæ ſunt ſpeculum Creatoris.*
*Qui in tulipis DEI potentiam,*
*In Cariophyllis eſſentiam,*
*In Narciſſis præſentiam,*
*Clauſis etiam oculis*
*Intuetur.*
*Felix!*
*Qui, quod alij ſtudendo,*
*Hic otiando;*
*Quod Doctores in libris,*
*Hic in limphis;*
*Quod Theològi in ænigmate*
*Hic Philoſophus in pellucido undarum ſpeculo,*
*Videt inviſibilem Trinitatem.*
*Felix!*
*Cui lilia agri etiam ſilendo prædicant,*
*Salomonis in luxu pauperiem:*
*Cui marceſcentes in clibano floſculi,*
*Vel ſine voce exaggerant*
*Rerum omnium inanitatem.*
*Cui flos,*
*Qui manè oritur, & conteritur veſpere,*
*Mundi loquitur vanitatem.*

*Felix!*
*Qui quot videt gramina,*
*Tot audit monitores:*
*Qui quot cernit arborum folia,*
*Tot Creatoris percipit laudatores.*
*Felix!*
*Qui dum ſolſequium contemplatur,*
*Solſequium imitatur:*
*Illo ſe convertente ad Phœbum,*
*Hoc ſe elevante ad DEUM.*
*Felix,*
*Qui dum agit Philoſophum,*
*Theologum patitur:*
*Qui dum novus in hortis Aſtrologus,*
*Contemplatur cœleſtes influxus,*
*Divinos ſentit.*
*Quid mirum Ignati?*
*Si terræ Sidera in Cœlum te rapiunt,*
*Cùm terra, in quam reverſus es,*
*Nova jam terreſtria producat Sidera,*
*Quibus ad Sidera*
*Tuos rapias Nepotes?*
*Felicem te ſupra Phœnicem!*
*Qui ſuis cineribus,*
*Novâ geneſi producis ſtellas,*
*Quæ lucebunt in perpetuas Æternitates.*

DIPH-




*B. Severinus Boëtius in carcere, velut novo adverſæ Fortunæ Peripato, laureatus Philoſophus, fortitudine Chriſtianam docet, Fatúmq; Aſtrologicum proſcri= bit è noſtri temporis Philoſophia. Faſt: Mar: 23 Oct.*

G. Rogg. del. I. Melchior Gutwein sculps.



# DIPHTHERA JOVIS,
## *Seu*
# DISCURSUS II,
## *De*
# MAGIA ASTROLOGICA.

LEUCOTHEUS. An nondum tuas ad aures rumor, quem novus herì Mercurius? *MELANDER*. Quid ille? LEUC: Bononiâ huc delatus, famoſi Aſtrologi, quem Coelitem nominant, Fatum per litteras attulit: quod an dolendum potiùs, quàm ridendum, haud facilè dixerim. *MEL*: Ænigma loqueris. LEUC: Ingenti nugarum plauſtrô hominis cujusdam aures oppleverat blatero, inter alia infelicis horoſcopi omina, homicidam hunc fore, velut è Jovis diphthera, aſſeverans: hoc ſiniſtros portendere ſiderum aſpectus, in id conjurare fatales cum geminis Antropo-phagi Saturni Syzigias: verbo, ſic decretum à Cœlo; ſic ordinatum à Fato. Infremuit inopinato augurio conſternatus hoſpes: mox indignatione in Nugatorem impium excandeſcens, pugionem ſtringit, & iratum mergens in viſcera ferrum, age, inquit, meum tuúmque Fatum exequere: Vaticinij Author, mendax ne ſias, Veritatis quoque ſis teſtis. Quod huic Epitaphium ſtatuis? *MEL:* Meritis dignum:

*Abi Viator!*
*Fatalis locus eſt,*
*Ubi fatidicus conceſſit Fatis.*
*Homo fuit, nam fuit mendax,*
*Utut non niſi ſemel fuerit in vita mentitus.*
*Hoc mirum,*
*Quod in morte etiam fuerit cum veritate mentitus:*
*Nam mendax effatum, verum reddidit Fatum,*
*Alterius Fato, quod malè prædixit,*
*Bene immortuus.*
*Sepelitor:*
*Nec ſit illi jam terra levis,*
*Qui toties alijs ſueverat eſſe gravis.*

LEUC: Salsè equidem inſulſi hujus condis cadaver, crediderim opobalſami locò, ne putreſcat: naulum certè non petet Charon, ſi hoc Chirographo munitus, appellet Stygem. Sed quid cum Fato Aſtrologi, quid cum Aſtrologis Fatum? *MEL:* Arctam habent affinitatem: nam è Doctrinæ Aſtrologicæ placitis, Fatum non modò fluit, ſed neceſſariò ſequitur: Patronos ſe probant, & quamvìs videri nollent, videntur tamen ad oculum, imò utraque manu palpantur. Edic enim, vel cum Gentibus inſaniunt Stolidi, dum vitam Sideribus tribuunt, fanatica colendo Numina, aras erigendo Mercurijs, thus adolendo Saturnis? & tunc, deſpotico Deorum Imperio, cuncta regi exiſtimant, atque per diſpoſitionem agentium inevitabilem, ad effectus fatales, quia infallibiles, humanis rebus Fatum inducunt, Augures tam DEO rebelles, quàm ſibi exitiales. Vel cum Chaldaica Spermologorum fæce delirant Lunatici, dum Aſtris influxum adjudicant propemodum thavmaturgum, quo in ſublunaria agant tam fortiter, ut ab agente particulari, etiam libero, impediri nullatenus queant? & tunc in neceſſariâ effectuum ſerie Fatum denuò aſtruunt, nugatores non minùs impij in Creatorem, quàm injurij in creaturas. Vel cum Hæretico furfure, Aſtra faciunt ſigna eventuum futurorum prognoſtica, in quibus, veluti Numinis incomutabili Diphthera, legere ſit decretorum ordinem, abſolutè inimpedibilem: in quibus videre ſit notas, rerum omnium indices, per quas facienda prædici, & præmonſtrari

ſtrari queant futura? & tunc in horoſcopo, concurſu, & diſpoſitione Siderum, quo quis conceptus, vel natus, inevitabile rurſus Fatum ſtabiliunt, Aruſpices tam in DEI pietatem ſacrilegi, quàm in hominis libertatem ſceleſti.

LEUC: Adeóne inimicum ſit Fati nomen, veræ amicis fidei? & tamen (ùt audio) Angelico illud ore profatur Doctorum Primas, utique veritati non inimicus. *MEL:* Non mala ſunt verba, ſi bonus, imò Angelicus ſit verborum Interpres. Sic caſum, casúsque comitem Fortunam, noſtra proſcribit Religio, ſi ad DEI Providentiam referas, cui fortuitum nihil, nihil non eſt prævisum. Quòd ſi tamen ad agentia, Naturæ proxima referas, nemo erit tam bardus, ut cauſam neget per accidens, quæ in agentibus liberis *Fortuna,* in neceſſarijs *Caſus* dicitur, linguâ à Principe linguæ Philoſopho, approbatâ. a Quis igitur gulam tibi ſtrangulet Rhadamantus, ſi cum Angelico Divinæ Providentiæ decreta, *Virtuale Fatum;* b ordinem verò cauſarum, decreta hæc exequentium, per effectus fatales, ſeu infallibiles, ſalvâ hominis libertate *Fatum formale* c dixeris? loquéris bene, quia cum Auguſtino, Auguſtinum citante Angelico: d *ſi quisquam res humanas Fato tribuit, quia ipſam DEI voluntatem, vel poteſtatem, Fati nomine appellat, Sententiam teneat, linguam corrigat;* non propter Doctos, ſed puſillos, quos inter potiſſimùm Aſtrologos cenſemus, *qui ad poſitionem Siderum nomen hoc detorquere*, uti habent in votis, ita tenent in Fatis.

a 2. *Phyſ.* c. 5. & 6.
b 2. *Phyſ.* *lect.* 10.
c *p.* 1. *q.* 117. *a.* 1. 2. &c.
d *Ibidem art.* 1. *ad* 1.

LEUC: Ergóne infami ſtigmate notatam è Chriſtiano orbe proſcribis Aſtrologiam? hoc equidem programma ſi in Europæ Academijs affigas, erit planè Matheſis, quæ ad altius appellet tribunal, téque velut iniquum Judicem de palmari injuria poſtulet. *MEL:* Næ tu extra orbitam denuò: loqueris, quæ ignoras, & ignoras, quæ loqueris. Non ego in jus vocare aggredior, illam Matheſeos nobiliſſimam partem, quæ Aſtrorum proprietates examinat, aſpectus, congreſſúsque obſervat, varióſque in ſublunaria influxus, afflatúsque indagine utili, veréque philoſophicâ rimatur. Non illam genuinam Aſtronomiæ filiam, quæ per Cometarum minas, per Planetarum inuſitatas ſyzigias, per inopina Solis Lunæque deliquia ſcit, unde fluvij tumeant, maria exundent, inſanæ hyemes, & calores ardentiſſimi ſæviant: unde diluvia, unde anni amœni & triſtes, pingues & macilenti, unde annonæ

nonæ ſterilitas, ſanitas, morbi, ac frequentes mortes originem ducant. Non illam arguo Philoſophiæ amabilem ſociam, quæ ex ſiderum motibus, concurſu, occurſu, ortu atque occaſu, nunc tempora & Eclipſes obſervat: nunc verò pluvias, calores, frigora, ſiccitates, ventos, aliáſque aëris mutationes agricolis, Medicis, ac Naucleris prænuntiat: non, inquam, Aſtrologiæ huic litem intendo, quam ab eruditis in pretio habitam, nec ſemel, DEI etiam calculo probatam, ij ſolùm calumniantur, qui terminos artis, ultra quos ſe extendere nefas eſt, ignorant: ſed illam, litterario Orbe, in longas Gyaros, exactam velim, quæ è Chaldæorum, Arabúmque inſomnijs, ac ſuperſtitione coaluit; quæ horoſcopos ardentiùs, quàm par eſt, inquirit; quæ garrit inſulſa de matrimonijs, ac jurgijs Xantippes; quæ de liberorum numero, de itineribus, divitijs, fortunis, infortunijs, de dignitatibus, aliíſque pronuntiat; quæ *fatalibus Stellis animos hominum, & corpora adſtringit;* quámque *Idolorum cultricem* agnoverat pridem Eccleſiæ primævæ Sidus, Tertullianus.

*S. Leo. Ep.* 71. *L. de Idol.*

LEUC: Quæſo, enucleatiùs ſepara pretioſum à vili: doce, quænam Aſtrologiæ oracula fidem mereantur aliquam, quænam nullam? quippe ſunt, qui omnem omnibus negant, & contrà, qui omnem omnibus tribuunt, pari credo errore, vel etiam impari, quia priore innoxio, poſteriore pernicioſo. Criſis tua mediam, quam tenuêre beati, monſtrabit ſemitam. *MEL:* Tria ſunt, in quibus ſi minùs audiendi, ſaltem non contemnendi vel condemnandi ſunt Aſtrologicæ Magiæ cultores: nam ea, quæ ex Siderum motu præcisè pendent, uti Eclipſes, aliáque in Aſtris Phænomena, Aſtronomiâ duce, prædicant augurio etiam certo, & infallibili. Quòd ſi cuipiam datum eſſet, quod datum à DEO legimus, Regum Sapientiſſimo, nôſſe ſcilicèt *anni curſus, & Stellarum diſpoſitiones,* naturam atque proprietates, næ ille ex tripode ſatìs certo prædiceret ventos & pluvias, aliáſque aëris mutationes, accedente præcipuè experientiâ propriâ, vel alienâ, qua ad oculum quotidie erudimur, è vario Siderum aſpectu, varias oriri viciſſitudines in ſublunaribus. Sed nolim his ego ſyngrapham dare, imperitis è ſchola Samia Sciolis, qui dum ſeſe Calendariographos jactitant, plerumque non niſi phantaſticam cudunt Siderum ſyntaxin, nec temporum vices, niſi ad lunaticum cerebri ſui barometron metiuntur. Cæterùm influxus Siderum in

*Sap.* 7.

ſub-

ſublunaria, qui negaret, maximum pateretur influxum, ſaltem à Cynthia: non enim, reor, Philoſopho vacillare ſic caput poteſt, ut per experientiam non didicerit, à Saturno frigus, & quamdam diffundi malignitatem: à Jove provenire temperiem aëris, & ſerenitatem, præſertim ſi Cynthio conjungatur: à Sole ardorem vitæ nutricium: à Venere, & Mercurio moderatum calorem, à Luna humores profluere, quos centum ſymptomata ad oculum exhibent, ac conteſtantur.

LEUC: Illud etiam me minimè præterit, quòd eâdem Aſtroſophi, quo Phyſiognomiſtæ utantur fide, probabili nempe, dum hominum temperamenta dijudicant. *MEL:* Ita eſt; tertium præripis, ſanioris Aſtrologiæ principium, virtutes ſcilicet Signorum cœleſtium, & Planetarum influxus, qui pro ſua diverſitate nunc Joviale, nunc Solare, vel Lunare; nunc Saturninum, vel Mercuriale temperamentum efficiunt. Quis enim ire inficias poterit, admirandam illam Megacoſmi cum Microcoſmo, ſeu Homine analogiam, qua ſtomachus terram, Lunam cerebrum, cor Solem, pulmones Mercurium, renes Venerem, ciſtula fellis Martem, hepar Jovem, ſplen denique Saturnum, vivâ veluti in imagine, repræſentat? Cerebrum quippe, inſtar Cynthiæ, frigidum ſimul, & humidum, frigore calorem ſpirituum temperat, humore nervos nutrit, & irrigat. Cor, veluti Phœbus, vitalem ſuppeditat calorem, & ſic de reliquis, ut planè nec absque fundo, nec absque ingenio philoſophatus ſit ille, qui in partium illarum temperie hominis temperamentum primariò ſtatuere, non dubitavit. Quid igitur mirum, quòd ratione mutui fœderis, has inter partes, & animam, indirecta virtute, inclinari homo poſſit, ac perfici? luſtra Regiones, atque Provincias, & videbis, quod Aſtrorum virtute in hac procreentur homines, ingenio præcellentes, in illa hebetes: in alia ſtudioſiores virtutis, in alia voluptatis. Sed quid opus, ut extra Patriam vageris hoſpes? domeſticum Achatem obſerva, quem Melancholicus gubernat humor, & vivum, vel ipſo inſcio, notare potes Oceanum, qui æſtu ſympathico ad Lunæ phaſes creſcit, atque decreſcit. *Temperamentum ex influxu Planetarum.*

LEUC: Memineris Planetarij, nuper typis impreſſi, quo non-nemo, ætates hominis ſeptem, ad Aſtrologicum citans Tribunal, cuilibet ſuum Planetam, in Planeta ſuum legit horoſcopum: legeris, nî fallor: & amabo! qua cenſoriâ virgulâ? *MEL:*

Legi: habet partus multum Ingenij, nec habet nihil ſoliditatis. Infantiæ infimum Planetam, Lunam ſcilicet, & in Luna humidum dominium tribuit: nam in humorum lacunis ætatis primæ cymbula fluctuat, teſte Poëta: *nutrit cruda novæ frugis triſtes infantia ſuccos.* Pueritiæ præfigit Mercurium, Sidus Cynthiæ proximum, & inconſtantiæ ectypon: nam Mercurialis hæc ætas eſt, non niſi Protheos ludit, & Vertumni inſtar variabilis, vento vertitur: rectè de hac Horatius: *iras colligit, & ponit temerè, & mutatur in horas.* In tertiam ætatem adoleſcentiæ, imperium Veneri tribuit: ſcilicet tam eget ſpiritu, quàm abundat ſpiritibus pubertas: audi Magiſtrum Eroticum, utique teſtem non inexpertum: *Ovidius.*

*Juvenilibus annis*
*Luxuriant animi, corporáque ipſa vigent.*
*Prima datur ludis ætas, Veneríque ſecunda,*
*Tertia divitijs, ultima ſerò ſapit.*

Quartam à Sole aſſerit gubernari: nam in hac virtutis ſtimulo ad honores, & quærendos fortunæ Favonios impelli nos experimur: accinit Venuſini Calliope: *Horatius*

*Converſis ſtudijs ætas, animúsque virilis*
*Quærit opes, & amicitias, inſervit honori.*

Quintam impetuoſis ſpiritibus, vindictæ, & odij flammis, hoc Judice, exagitat Marſpiter: hinc Lucretius:

*Furor, iráque mentem*
*Præcipitat, pulchrúmque mori ſuccurrit in armis.*

Ad clavum ætatis ſextæ Jovem ſedere affirmat: nam ubi deferbuit impetus, & *Lucretius.*

*Robuſtis adolevit viribus ætas,*
*Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.*

Denique ætatis decrepitæ gubernacula, hoc Teſte, regit Saturnus, Deorum antiquiſſimus, & malè regit, quia *titubans lento, & pede fracto:* nam hac ætate titubant, & claudicant omnia: *gelidus tardante ſenectâ ſanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires:* ùt canit Poëtarum Princeps Virgilius.

LEUC: Quid porrò ſoliditatis ab Aſtrologo Philoſophus exſpectet? hæc, quæ in medium hactenus, levioris Minervæ ſunt, & intra conjecturæ limites coarctantur. *MEL:* Plus ſolidi nil habent Aſtra: Aſtrologiæ ſuas hìc metas poſuit veritas: ſi *plùs ultrà*

*ultrà* progreditur, in immane errorum chaos prolabatur, neceſſum eſt. Nam quid quid de futuris vaniſſimi ſomniant Aſtrologaſtri: quid quid crepant de Fatis nugivenduli Ardeliones: quid quid de horoſcopis, augurijs paratragædiant mendaciſſimi Impoſtores, quid quid crepant per hendecaſyllabos, & ſeſquipedalia verba, nugæ ſunt, quas ad anilem colum; umbræ, quas ad incantatos circulos; muſcæ, & grylli aberrantis cerebri ſunt, quos è Philoſophiæ Athenæis ad moriæ ergaſtula relegamus. Verbo: impia ſunt Chaldæorum deliria, quæ Divus Ambroſius, cœleſtem ſpirans Ambroſiam, telis araneæ aptiſſimè comparat, de quibus nemo ſibi meritò timeat, niſi papilionum infirma cohors. Itaque, inquit, validiores qui eſtis, cùm Aſtrologos videritis, dicite: telam aranei texunt, quæ nec uſum habet, nec vincula, niſi culicis inſtar, lapſu infirmitatis tuæ incurras, ſed quaſi columba caſſes invalidos, præpetis volatûs celeritate, diſſolvas.

*Or. 4. in Hexam. c. 4.*

LEUC: Adeóne inanes, Aſtrologorum ſint nœniæ, ut & Ambubajarum collegia illas confutent? adeóne deteſtanda Oracula, ut ne dicam effari, ſed nec audire, niſi impius, in Peripato Sophus ſuſtineat? *MEL:* Dixi: imò nihil dixi, ſi cenſuram judicio Univerſi ſubjiciam. Clamat, multis Scripturæ locis, imò fulminat vox Tonantis, ſuáque jura, temerario auſu, violata queritur: *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna divinorum. Stent, & ſalvent te Augures, qui contemplabantur Sidera. A ſignis nolite metuere, quæ timent Gentes.* Reclamat unanimi calculo SS. Patrum Societas: Baſilij, Chryſoſtomi, Auguſtini, Euſebij, & Gregorij Magni: prô quanta nomina! ad quæ ſola, totidem velut tonitrua, Aſtrologicæ ſine fundo machinæ difflantur, & corruunt. Theologica refragantur ſubſellia, & humanæ libertatis privilegia acerrimè vindicant: tota denique Eccleſia Aſtrologiæ infame nomen, dudum Romanis damnatum faſtis, non ſine probroſo cenſuræ ſtigmate ex Orbe Catholico proſcribit: ſed quid multis? tam craſſi ſunt Aſtromantiæ errores, ut non modò non effugiant Eccleſiæ lumen, ſed in ethnicis quoque tenebris palpentur. Socrates certè, ùt Author eſt Xenophon, ejuſmodi Augures, ùt inanes, riſit; ùt DEO injuriòs, contempſit. Pythagoras, Democritus, Plato, Trias in rimandis Naturæ myſterijs adeò prodigioſa, ut infinitis prope itinerum tædijs, Chaldæorum arcana, & Ægyp-

*Iſ. c. 44. & 41. 47*

*Conc. Bracar.* 1. *c.* 9. & 10. *Toletanum* 1. *Alex.* 3.

*L. de dictis Socratis.*

Ægyptiorum Oracula expiſcarentur, hanc tamen Scientiam divinatricem, vel neglexerunt, quia inanem, vel in uſum deducere erubuerunt, quia fallacem. Ipſe Philoſophus, in ſcrutandis Naturæ miraculis, ad miraculum curioſus, in rerum cœleſtium copia copioſus, Aſtrologicam tamen prognoſin, licèt ab alijs ætatis ſuæ Philoſophis exercitam, ùt Tullius memorat, omninò neglexit: volve libros de Mundo, & Cœlo, de hiſtoria animalium, generatione: ſcrutare problemata, libróſque meteorologicos, in quibus admirabilium maximè rerum cauſas indagat, & tota cæcum me dicat Stagira, ſi vel verbulum de Aſtrologicis ille ampullis: ut adeò futilis eſſe debeat illa Scientia, cujus nec meminiſſe dignatur Magiſter ille, qui pro objecto omne ſcibile, pro Auditore omne hominum Genus, pro cathedra Mundum numerat univerſum.

*L. de divinat.*

LEUC: Obeſæ nimiùm naris ſit ille Philoſophus, cui ſilentium iſtud Philoſophi ſatis non loquitur. Ita equidem ſentio: ſed putáſne tam facilè quivis mihi, tibíque conſentiet? falleris: audivi à multis non pauca, quæ illi minimè vana, minùs inania. Contra allata hactenus totum exſurgunt in enſem, tótque fundamentis, ac rationibus digladiantur, ut ſi non veram, veroſimilem tamen Aſtrologiam demonſtrent, etiam cordatis non uno halitu exſuffiandam. *MEL*: Ore tuo non loqueris, ut epiſtomio opus ſit: ſi tamen tibi hæreat fucus, in medium affer hæc fundamenta: auſim ſpondere, quòd ruinoſam adeò machinam, ſi non infirment, certò non firment. Age, age: dixiſſe, erit jam refutâſſe.

LEUC: Si quas adhuc memoria reliquias teneat, proferam, erunt curioſa, ſi minùs vera. Pro primo illis fundamento ſervit Cœli aſpectabilis ambitus, quem in duodecim partes ( domos illi cœleſtes, ſeu dodecamoria nominant) diſpeſcunt. Primam domum in horizonte ortivo ſtatuunt, ſic ut ſex primæ, ordine verſus imum Cœli retrogrado, hemiſphærium inferius; ſex verò poſteriores ſuperius occupent. Ab effectu, quem Sidera reſpectu cujusque loci producunt, hæ domus ſua ſortitæ ſunt nomina: prima *horoſcopus* dicitur, & ſignificat *vitam:* ſecunda, *inferni porta, ſpem, & lucrum* portendit: tertia, quæ *Dea* appellatur, præſagit *fratres:* quarta, quæ *angulus terræ,* indicat *Parentes*: quinta *bona fortuna,* eſt *valetudinis index*: ſeptima *occaſus, Conjugis*

*jugis fata* demonſtrat: octava *ſuperna porta, mortis* præbet indicia: nona *DEUS* denotat *Religionem*: decima, quæ *medium Cœli*, auguratur *Regnum, atque Officia*: undecima *bonus Dæmon, amicos, & benefacta* divinat: duodecima denique, quæ *mali Dæmonis* nomine indigitatur, ominatur infauſta quæque *carceres, & inimicos*.

*MEL:* Cur non addis Planetarum ſexus fœmineos, & maſculinos? cur obliviſceris Status auctos, atque combuſtos? cur omittis paſſiones, & dignitates, gradus puteales, igneas triplicitates, carpenta, almugæa, ſigna reptilia, & centum alias voces, multò magìs horribiles, quàm Draconis caput, & caudam, de quibus Aſtrologi, velut de veriſſimi monſtri partibus, diſſerunt? nugæ nugarum! quis non palpat, hos architectos raró domi, dum tot inanes domos ædificant? in ſuis dodecamorijs eſſe morologos, qui juxta ideas Lunatici capitis, dum in fundamento aëreo machinas ſtruunt, ſtruendo deſtruunt? ſed ne verba vendere videar, erigant thema cœleſte, ſiquidem poſſunt ſine ſolœciſmo diſſenſionis, tam in domorum fabricâ, quàm ſignificatione; erigant, inquam, globóque ad latitudinem natalis ſoli ſtatuto, Solis locum meridiano, horarum indicem duodecimæ applicent: circumagatur globus, & horam Nativitatis notam demonſtret: ſic erecto utcunque horoſcopo, arroſas extrahant ephemeridum tabulas, & exſufflato pulvere crepent Oracula: quid reponam? unicum verbulum: cur neglecto conceptionis momento, cui tamen Aſtra jam æquè dominari aſſerunt, nativitatis exordium pro Vaticinij epochâ ſtatuunt? an exortûs primi momentum, Mathematicâ libratum trutinâ, à Parentibus autumant? an Aſtrolabijs tantum fidei tribuunt, ut ne minuto quidem à vitali infantis limine aberrare ſe credant? qualis tamen error ſi intercedat, prô! quantis non milliaribus horizonte ſuperior evadet ſtella, quam illi aſcendentem, ac velut, recèns in lucem editi characteriſticam nuncupant? quaſi verò Sidus in meridiano tunc poſitum, radio ſuo infantem debiliùs feriret? apage! tam hebes non eſt Philoſophus, ut nugas credat.

LEUC: Eſto, tam accuratam in tempore obſervando induſtriam ſat habere difficultatis: quis tamen dicet chymæricam? pro illo igitur momento non erit nullius momenti horoſcopus.

*MEL:* Grallis indiget hæc ſequela, nam claudicat. Eſto, illos, ad unguem, nativitatis tempus ſignâſſe; eſto, octavam, id eſt,

Mortis domum in ortu infallibiliter conſtitiſſe, en dirum omen! actum exclamant de Porphyro-geniti ſalute, & ſextam Fortunæ domum jam prætergreſſum, plenis buccis deblaterant: interim credo, cùm domus Religionis, ac Regni, in horoſcopo ſubſequantur, idem Princeps ad tiaras, & coronas aſpirabit, poſtquam ſcilicet immaturo Fato jam conceſſit. Porrò ſi Remus iterum, ac Romulus aliquis gemello partu forent effuſi, an invariata Aſtrorum facies violentum unius interitum, alterius verò imperium, Olympo æquandum, ſtellatis quaſi litteris promulgaret? aut viciſſim, ſi fratres illos vel innumeros alios, diſtincto tempore prognatos, una horâ naufragio mergeret, vel hoſtium ferro, in decretoria acie, hauriret, obliquum ambo, omnéſque in horoſcopo Aquarium, vel Martem retrogradum ſortiri debuiſſent? unde, Superûm fidem! unde hæc ariolandi fiducia proceſſit, niſi à malè feriatâ libidine, qua quid quid Lunatici ſomniant, id Fato planè Carteſiano, in rerum Naturâ hoc ipſo dari ineptiſſimè augurantur.

LEUC: Abſit: nihil illi ineptè, & ſine fundo: nihil illi in aëre, niſi ſolidi. Aſtrorum Natura, & indoles, Planetarum virtutes, atque proprietates, quas illi ingenij acie, totas perſpiciunt, pro baſi alterâ ſervit, qua, veluti Marpeſiâ caute, Coloſſum illi ſuum ſtabiliunt, perpetuántque. Quem enim, inquiunt, latere poteſt, quòd Saturnus in ſicco, & frigido hæreat, atque ideò ſit vitæ funeſtus? unde nil inſpirat, niſi triſtitiam, tarditatem malignam, & atra conſilia; Melancholicis præeſt, & inter metalla ſibi vendicat plumbum. Jupiter humori miſcet calorem: hinc habetur vitæ propitius: inſpirat magnanimos auſus, lætitiam, gloriæ aviditatem, & dotes prorſus Regales: præeſt ſanguini, habétque inter metalla ſtannum. Mars ſiccitate conſtringitur, ſimúlque funeſto calore æſtuat: hinc malignus, inſpirat temeritatem, iras, furores, & rixas, præeſt bili, ſibíque attribuit chalybem. Sol ſiccitatem benigno temperat calore; hinc vitæ amicus, dat pulchritudinem, & moderatum ardorem: præeſt bili, per ſanguinem mitigatæ, & in metallis gloriatur auro. Venus eſt frigida, ac in humido natitat, vitæ propitia, urbanitatis cauſa eſt, ac lepóris: phlegmati præeſt temperato per ſanguinem, inter metalla proprium ſibi numerat cuprum. Mercurius inter Planetas eſt Protheus, quia, verſatilis Naturæ, ſeſe

cunctis

cunctis accommodat, quibuscum graditur: hinc volubilis ingenij Author eſt, inclinat ad dolos, induſtriam, & eloquentiam: Melancholiæ dominatur, ſed moderatæ per bilem, & ſanguinem: ac in metallis ſibi ſervat hydrargyron. Luna denique, & multum frigoris, & plurimum habet humiditatis, Sidus utcunque benignum: inſtabilitatis eſt nutrix, mollitiei teneræ Genitrix; hanc velut Dominam adorant Phlegmatici, eíque inter metalla dedicant argentum. En! quanta ominum ſeges ad ſucceſſuros effectus, qui ab oculo aſtrologicè armato, velut fructus è ſuis radicibus facilè prænoſci queunt, ac prælibari. *MEL:* Denuò adverſæ partis malus eſt Syndicus, dum dicis multa, omittis plura: cur non exaggeras quoque radios dextros, atque ſiniſtros? cur ſiles aſpectus partiales, quadratos, & ſextiles, qui amicitiæ perfectæ; oppoſitos, trinos, qui imperfectæ ſunt prodromi teſtes? nugæ, & iterum nugæ! non ita miſceo quadrata rotundis, ut negem omnes influxus, conjecturæ etiam probabilis indices: non nego vires, quibus inclinant, ſed quibus imperant: non qualitates, quibus diſponunt, ſed quibus cogunt hominum voluntates: ſed quid ego improvidus? quæ nego, affirmant illi, Tonitruum Filij, Aſtrorúmque arbitri, qui Sidera dum feriunt ſiderati, ſecreta Siderum, aduncâ nare, explorant, neque ambulant tantùm, ſed etiam habitant in altis: affirmant illi, quibus ad apicem accurata notitia, qua cujusvis Aſtri Naturam definiant, qualitates penetrent, vires, & efficaciam, qua vel in ſe, vel in hoc, aut alio ſigno, in hoc, vel illo gradu, ſitúque pollent, ita determinent, ut hujus, hanc eſſe cauſam, effectûs etiam per Oracula decidere non vereantur. Affirmant illi, quibus nihil non obvium, quod abſtruſum! nihil non exploratum, quod difficile ad detegendos futurorum eventus: qui etiam urbibus, ut quondam Romæ quidam Tarutius, erecto ad illarum natales horoſcopo, præſignare Fata, caſúsque futuros non dubitant. *Cic. l. 2. de divin.* DEUM immortalem! etſi extent, ignota ſæpe ſunt Philoſophis Sidera: & etſi nota, ignotæ tamen plurimorum virtutes: imò in certis eorum motibus ſumus incerti, quæque videmus, neſcimus: *quæ in conſpectu ſunt, invenimus cum labore: quæ autem in Cælis ſunt, quis inveſtigabit?* *L. Sap. c. 9.* & horum oculis nihil non ad oculum pateat? ubi Stagirita, Ingeniorum Aquila, Talpam ſe nominat, *L. 2. de Cæl. text. 17.* hæ Talpæ glorientur, ùt Aquilæ? qui etiam obvia neſciunt, & ad Si-

ad Siderum ordinem, numerum, magnitudinem, differentiam humeros contrahunt, & aſinorum pontem tranare primùm incipiunt, hos occulti nil lateat, nil fugiat futuri? vah extremi Ingenij vappas, & nullius conſilij pecora! *quis enim tam patiens, & ferreus, ut teneat ſe?* ſed quia ipſimet hoc aſſerunt, teſtes omni exceptione majores, quia, ùt habet proverbium, *velut Aſtrologi mendaces*, demus, quod & Arcades Balaamo prophetent, demus, quòd Diphtheram Jovis aërei totam denique devorârint, an ſatìs hoc erit, ad certa, quæ quidem jactant, futurorum auguria? minimè gentium: nam unde illis tam adamantina vincula,ut voluntatem liberam ad Aſtrorum influxus,velut Prometheum ad rupem Caucaſi adſtringant? unde teleſcopium illis tam perſpicax, ut fortuitos cauſarum concurſus, à quibus dependent effectus, non modò totos perſpiciant, ſed etiam comprehendant? nam finge, in Lyciaca acie, Pegaſi ungulæ, clavum male infixum, claudicante equo Bellerophontem concidere, turbari ordines, confuſum devinci exercitum, vaſtari à victore provincias, & innumerorum hominum fortunas everti: unde,.quæſo, ex Aſtris proſpicient ſexcentas ejusmodi circumſtantias, quarum unica non rarò totam perturbat effectuum ſeriem? unde unde? dicant, ſi poſſunt, ſed verba, more ſuo non vendant, ut, totum cùm dixerint, dicant nihil.

LEUC: Non inaniter premis: cedunt equidem, necdum tamen plenâ fugâ recedunt. Suppetias ferunt ipſa impedimenta Antiquitatis: immemorabilem, neſcio, cujus experientiæ præſcriptionem allegant, qua ſe in Philoſophici fori poſſeſſione tueri ſatagunt. Ægyptiacam Gentem, teſte Philoſopho, Gentium omnium antiquiſſimam, & Matheſeos ad ſuperſtitiones usque ſtudioſam, Aſtrologiæ ſi non parentem, certè obſtetricem eſſe perhibent: Nationem verò Chaldaicam adeò ſedulam nutricem, ut obſervationibus propemodum infinitis, erectis ſine fine horoſcopis, per quadringenta omninò, & quadraginta annorum millia coluerit ſemper, & excoluerit, è quibus experimentis, per tot rerum eventus probatiſſimis, Ars iſta denique collecta, ac ad modernum deducta apicem. *MEL:* Serius es, quòd iſta tu ſine riſu: quis non ſtupeſcat Chronologos ſupra ætatem mundi eruditos? ceras quis non miretur, in Aſtrologicâ Stirpe, adeò fuliginoſas, & nobiles? quis non videt, niſi ſtipes & caudex ſit, elumbe,

*L. 2. de Cæl. text. 60. l. 1. Meteor.*

be, ſua Antiquitate arthriticum, podagricúmq; hoc argumentum? Genealogiam artis ſuæ ſi petunt, dicam, mali corvi peſſimum ovum: nam Impiorum Soboles eſt parentum, ſuperſtitioſis fota cunis, in Lunæ concavo nutrita, inter fraudes adulta, nullum hactenus Patronum habuit, ad cujus nomen vel modicè pileum moveas. In obſervationibus ſuis, quas crepant, id obſerva, Aſtrologicas eſſe, hoc eſt, mendaces. Vel enim aphoriſmos Ptolomæi colunt, cujus excentrici Veneris, Mercurij, & Martis circuli dudum expuncti ſunt? at ab illis ſiderum in firmamento ſitus jam vehementer abludit, utpote quæ, ſingulis interim annis, juxta Tychonis calculum, per ſecunda, ùt Aſtronomi vocant, quinquaginta, & unum progreſſa ſunt: vel novos fortè prognoſticandi canones ipſimet cudunt? at tales à veterum obſervationum veritate tam parum roboris poſſunt accipere, âc heſternæ diei lux hodiernas tenebras illuſtrare. Nil igitur commodare illis poteſt Antiquitas, niſi vitia ſenectutis. *Albumazar, Maternus.*

LEUC: Necdum debellâſti: novam aciem inſtruit Aſtrologicus Atlas, & inſtar Virgiliani illius Tauri

*Ventósque laceſſit*
*Ictibus, & ſparsâ pugnam proludit arenâ.*

Aſtra prætendit, Aſtrorúmque concurſus, ſi non cauſas, ſigna ſaltem eſſe ab Authore DEO ſic inſtituta, ut quaſi futurorum Præcones linguæ, aut arcani conſilij indices faces, futura ſcintillantibus veluti verbis promulgent. Originem hæc Sententia ab Origene traxiſſe, videri poſſet: hoc enim apertè is ſcholion in verba Geneſeos: *& erunt in ſigna:* cui non minus inſuave addit Julius Sirenus in Iſaiæ augurium: *complicabuntur, ſicut liber, Cœli*, in quo Aſtroſophi ventura, utpote folio nunc patente, & legant, & lecta annuntient. Taceo Iridem, & Cometas, quibus veluti totidem teſtibus, theſin ſuam etiam ad oculum demonſtratam jactitant, & gloriantur. *MEL:* Gloriantur pro more, inaniter: nam operoſæ hæ machinæ unâ cum reliquis, non niſi in aërem armantur: ejusmodi notationes in textus, cerebro non ſemper ſano excoctas, minimè moror: Origeni hìc præcipuè, thus non adoleo, minùs Sireno. Juſtinos Martyres, Hieronymos, Angelicos, Lyranos Interpretes veneror: quorum ultimi vagæ Chaldæorum Soboli hoc fulmen intorquent: complicandos in epilogo Cœlos, veluti librum, Aſtrologis præpri- *In Tomis ſuper Gen.*

mis claudendum, ut tandem inanes nugas, veluti in Aſtris expreſſas vendere damnati deſinant. Hæc conſulat Eccleſiæ Sidera Cingarorum appendix, *& enarrabunt Gloriam DEI, annuntiabunt Juſtitiam ejus*, & intelligere ſaniùs Scripturæ Oracula docebunt. Iridem quod attinet, proprio illos telo aggredior: nunquid enim hujus generatio arcûs ( radiorum nempe Solis in nube roſcida reverberatio ) diluvium diu proceſſit? nunquid manè præſertim ſpectabilis, pluviæ potiùs propinquitatem, quàm finem portendit? igitur non à Naturâ, ſed à revelato Numinis beneplacito vim totam ſignificandi deſumpſit. Jam ubi ſimilem pro Planetis revelationem cribrô hausêre Aſtrologi? hanc certè Patrum Senatui potiùs conceſſam credam, quàm ejusmodi Agyrtis, qui ſicut Poëtæ fabulas, & infames Deorum faſtos Cœlo inſcripſerunt, ita hi ſecuturas cædes, proditiones, aliáque nefanda ſcelera, in expanſo Cœlorum volumine deſcripta ſeſe legere perhibent; non alio, reor, conſilio, quàm ut vel ipſo Siderum nos aſpectu prohibeant, vel ad deſperationem impellant, utpote in quibus non niſi impendentes laqueos, enſes, venena, præcoces ſandapilas, aut alia fortunarum, honoris, ac vitæ pericula, ſtellatis characteribus prænotata, legere cogamur, ſolo malorum metu abunde infelices. Cometarum ſyrmata oculô vulgi, non Philoſophico, adverſa pars contemplatur: quo enim experimento hausêre, Cometas ſemper rerum fatalium eſſe infallibiles prodromos? nunquid Phænomena ſunt, ab effluvijs halituum conflata, & accenſa, quæ ſuam Naturæ Geneſin debent? *Ariſt. 1. Meteor. c.7.* quid hic funeſti? imò, cùm corruptis halitibus, ſæpe aërem purgent, per ſe in emolumentum potiùs, quàm univerſi detrimentum à Natura provida intenduntur.

LEUC: Equidem non perſuades: aliud docent Mundi annales, & Cometas, Fatorum triſtium nuntios, iteratis per tot ſæcula experientijs demonſtrant: teſtes ſunt Solymæ, quæ anno integro ruinam in Cometa prævideránt. *Joſ. l. 6. belli c.12.* Præſenſêre ſuas quoque calamitates Machabæi Heroës, dum illis præluxit Phænomenon adeò inſolens, ut minitanti flammâ noctis propè tenebras vicerit. Ejusmodi meteoron barbatum Veſpaſiano necem; aliud ſcintillante caudâ furores Totilæ, excidiúmque Orbis Urbi præmonſtravit: denique, priusquam trecenta hominum millia Conſtantinopoli peſtis abſumpſerat, diu

San-

*Sanguineo feralis crine Cometes*
*Terruit aſpectu populos, flammaq; minacis*
*Prodigio ardentes Superûm circumtulit iras.*

*MEL:* An jam finita enumeratio, ut Cometas ad unum omnes infauſti ſyrmatis poſtules? cur ſilentio premis quinque notiſſimos, quos, intra annum milleſimum ſexcenteſimum decimum octavum, luxiſſe Ricciolus eſt Author, vel nullo, vel fauſtiſſimo omine, cùm eodem anno Ferdinandus Secundus, glorioſæ memoriæ, Hungarico; ſequenti verò diademate etiam Auguſto ſit redimitus? quaſi verò non pari jure dici tunc potuiſſet, ſtellas illas recens exortas coronam ſucceſſuro Romani Imperij Capiti texuiſſe? deinde cur Solis deliquia fatales Sceptrorum vices Aſtrologis indicant, cùm profundiſſima Eclypſis anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto Solem eripuit, non ſine fauſtiſſimo omine, brevì alium Solem Romano Imperio oriturum, Leopoldum ſcilicet, qui ſequentibus ſtatim annis in Hungariæ, & Bohemiæ Regem, mox in Romanorum Imperatorem eſt inauguratus? qua fronte iidem aſſerunt, concurſum omnium Planetarum, in eodem ſigno, tragica Mundo fœdera nuntiare, cùm anno milleſimo octogeſimo ſecundo Planetæ omnes unà cum capite draconis, Menſibus Julio, & Auguſto igneum Leonis ſignum occupantes, fauſtiſſimi fœderis ſymbola fuerint, quod altero poſt anno, inter ſummum Pontificem, Auguſtiſſimum Cæſarem, Polonos, ac Venetos ſancitum eſt? & quid tu ad iſta? an etiamnum vulgi errore abriperis, quo aiunt, *nunquam terris ſpectatum impunè Cometam?* colligis, nî fallor, ejuſmodi Phænomena, eventuum, qui à libertate hominis pendent, de ſe minimè prodroma: nec certos calamitatum impendentium Feciales, niſi ab Authore Mundi omniſcio, *in ſignum Iræ DEI,* ùt Damaſcena phraſis eſt, accendantur; non enim hominum vultus in Cœlo ſunt facilè, niſi illos erigat timor; neque à terra oculos levant, niſi hiſce torvis irati Numinis oculis aſpiciantur. Id tamen hìc nolim diſſimulare, quòd Stagiritam dudum advertit: Cometas, utpote aëris, veluti excrementa, & atmoſphæræ putridæ apoſtemata, ſæpe ex ſua Natura, diſcraſiæ cujuſdam eſſe indicia, ut ominari liceat ventorum turbines, intemperiem aëris, ſterilitatem terræ, *aridum, & flatuoſum annum,* & quæ mala ſolent eſſe pediſſequa, famem, & peſtem.

*Hevelius.*

*L.1. meteor. c.7.*

*l.1. Sum. 2. c.4.*

LEUC: Vix occurrit, quò minùs & ipſe ſubſcribam Sententiæ, qua, renovato diplomate, totam è Peripato exigis Aſtrologiam: id ſolummodo me habet attonitum, quòd Oraculis non rarò reſpondeat eventus, & falſitati fidem faciat ipſa propemodum veritas. Petrus certè Apponenſis, Albumazaris regulam ſequutus, qua qui, Lunâ Jovi conjunctâ, in capite Draconis, DEO ſiſtit ſe ſupplicem, quidquid poſtulat, impetrat, hac conjunctione vigente ſe ſtitit, donum Scientiæ petiît, & impetravit. Porphyrius violentas ſibi manus jam illaturus, à Plotino ſeſe prohibitum ſcribit, qui ex curſu Aſtrorum præmonitus, illuc in tempore advolâſſet. Sic teſte Suetonio Nigidius figulus, ſupra cacabum eruditus, confecto Auguſti horoſcopo exclamâſſe fertur: *Orbis Dominum eſſe natum.* Sic Rudolpho primo in Aula Friderici Cæſaris verſanti Romana Sceptra præſagiît non nemo, inter Aſtrologos ſi non fatidicus, certè veridicus, ùt demonſtravit eventus. *MEL:* Hoc equidem minimè miror, nam fuit & Saul inter Prophetas: Plotini, & Apponenſes non movent: ſcio ex quonam tripode hi ſua auguria: niſi pigeret augiæ ſtabulum reſerare, horoſcopum illis ſtatuerem, ut major dictis foret fides, atque Authoritas. Scilicet, cæcorum inſtar ad metam collimant, millies errant, ſaltem caſu ſcopum ſemel ut feriant. Chriſtiana certè Religio, jam ante tria propemodum ſæcula, ſuam ingloria clauſiſſet periodum, ſi Aſtra phantaſtica, cerebríque emoti cancros, & ſcorpiones bene obſervâſſet, impudens mendaciorum faber, Albumazar. Sed quis in cumulum tot mendacia cogat? non illepidè Cato, mirari ſe
*Cic. l. 2. de divin.* dixit, *quòd non Aruſpex rideret, Aruſpicem ſi vidiſſet*, quia Sinenſem Sinon, Cretenſem Mercurij pronepos, ſibi ſimilem Sycophantam, aëreo dignum tumulo. Et verò ipſimet, converſis
*1. Reg. 14.* veluti gladijs, ſeſe configunt, Philiſteorum propago impia. Plotinus, diu Aſtrologicæ cortinæ cultor, tandem mendaciorum
*Porphyr. in vita.* ſatur, ipſe futilem calamô confutavit Scientiam. Porphyrius, ſacrilegus à fide transfuga, poſtquam Cœlo excluſus, Aſtris ad-
*Euſeb. l. 6. de præpar. Evang. c. 1.* dictus, in Orbem declamavit non ſemel, exquiſitam futurorum Scientiam, neque Dijs ſemper conceſſam. Hinc inter Oracula Apollinis Delphici hoc etiam refert reſponſum: *nihil hodie ſtellarum mihi via dicendum præſtat.* Cui confeſſioni, tam ingenuæ, quàm demiſſæ, hoc ſubdit epiphonema, Gentilium Dijs digniſ-

digniſſimum: *manifeſtum jam fecimus, unde falſitas ad Deorum Oracula ſubrepat.* Omnium optimè Oenomaus, inter Græcos Græcæ neutiquam fidei, diu Oraculis Delphicis deluſus, impoſturæ tandem impatiens, in Jus vocavit nugivendulum Numen, collectiſque non curioſè minùs, quàm ſedulò effatis plurimis, ea ùt falſa atque inania, orbe arbitro, cæloque Judice, demonſtravit. *Idem l. 5. ibidem c. 10.*

LEUC: Id tamen, ut fatear, necdum penetro, cur Aſtrologi ex eodem ore calidum, frigidum? cur ex eodem tripode jam vera, jam falſa ſpuant Oracula? *MEL:* Dixi: & cæcus reperit olim Gemmam. Sæpe ancipiti verborum ſenſu, ſic in bivio locant effata, ut ſi minùs reſpondeat veritas, illa reſpondeant veritati: noveris illud: *Ibis, redibis, non, morieris in bello. Attica civitas in ligneis muris* (naves puta) *ſecura erit: ajo te Æacidem Romanos vincere poſſe.* Nonnunquam, ore Stygij necromantæ, loquuntur ex pacto interpretes: aliquoties per Sortes, diſponente DEO, divinant: ſic Alexandro ſevero, etiamnum juveni, ex Urnâ Virgilianâ, hoc inſperatum obvenit augurium. *Aug. c. 7 l. 5. de civit. Dei*

*Tu regere Imperio populos Romane memento:*
*Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem,*
*Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

Multa etiam ſuggerit ingenij ſagacis ſolertia, rerum peritia, uſus multiplex, & exquiſita eorum, quibus augurantur, notitia, ac obſervatio, quo ad negotia, mores, ſtudia, atque ingenia: ſic non difficile fuit Annibali, perſpectâ Imperatorum temeritate, & imperitiâ, Romanis cladem, Afris victoriam ominari. Nec raro ipſa credulitas, ac conſulentium levitas vera facit Aſtrologorum auguria: Duces certè Romani Exercitûs, mentiti frequenter auguria, militem ſic animârunt, ut ſi fauſta non eſſent, bellandi ardore facerent. De Nicia legeris Athenienſium Architalaſſo, qui dum ob Lunæ deliquium, claſſi ſuæ deliquium timens, egredi è portu horret, quod timuit augurium, effecit, nam paſſus ea nocte deliquium, quia à Syracuſianis cum tota claſſe captus, & debellatus. Id tamen non ſine gemitu fatendum, quòd Oracula non raro comprobet eventus, DEO ſic permittente, ut mali à malis reddantur pejores, ſitque peccatum ipſum peccati cauſa & pœna: circumſpice ejusmodi Jovis aërei Flamines, quique genua illis incurvant, circumſpice Clientes: illos videbis à conſilijs orco, hos ab obſequijs; illos in flagitijs docen- *T. Livius.* *Aug. l. 2. de doctr. Christ. c. 22. & 23.*

 dis

dis tam promptos, quàm in diſcendis hos curioſos, quia vulgi de furfure leves, & otioſos: quid ergò mirum, ſi illis Impietas cedat ad lucrum, his curioſitas ad mali illicium, ſuíſque ipſimet laqueis irretiantur?

LEUC: Utinam penes vulgi ſentinam contineret ſe tantùm lues! ſed nempe accidit noſtra ætate, quod de ſua queſtum legimus Tacitum: Aſtrologorum Nationem, tanquam potentibus infidam, & ſperantibus fallacem vetitam ſemper, ſed tamen ſemper retentam. Sunt etiamnum perſonati Aſtrologiæ Patroni, qui eam linguâ damnant, factis probant res, eſt ſtupore, an dicam, vituperiodignior? mirante propemodum Orbe, ſe totum evaſiſſe Aſtrologum. Quid enim aliud loquuntur tot ephemerides, à Sapientibus quoque tam ſollicitè conſultæ, cùm de pacis, bellíque viciſſitudine, de Regnorum, ac Rerum publicarum ſtatu eſt augurandum? quid aliud ſonat feſtivum illud: *Euge, bellè!* ſi fortè Aſtrologaſter nativitatem, ac periculum Principis, prælij vel obſidionis proſperum eventum, Magnatis captivitatem, aut morbum appoſitè vaticinatus eſſe videtur? quid, inquam, hæc cura, plauſúsque deſignant, niſi Aſtrologicam Hydram identidem repullulantem, adeóq; armis ad Philoſophiæ cotem affrictis, identidem jugulandam? *MEL:* Rectè obſervas: Sed alios ego in Peripato Aſtrologos horreo, qui nempe ſiderum fata, doctrinâ reprobant, ſed vitâ, & moribus probant *Philoſophi imbelles.* Fac enim tentatio ingruat, premat afflictio, perſecutio inſtet, valetudo tentetur, elabantur fortunæ, honor ad æmulos fugiat, & Ecce! *Caſum* mox lamentantur, *Fortunam* increpant, *infauſto ſidere* ſe natos ejulant, indignantur *Aſtris, Fatum* execrantur velut injuſtum, præ mœrore dejecti, præ furore amentes; Philoſophi, vel ſi mavis, *Aſtroſophi imbelles.* Ruat Peripatus, ſi carioſis adeò fundamentis nutat: pereat Philoſophia, ſi primævos dedocta ſpiritus, docet cum fortibus ſentire, cum imbellibus vivere.

LEUC: Quis ergò tuo in Cœlo Jupiter? quæ tibi Philoſophica Diphthera, ut Aſtroſophiæ Principia evertas? Age, in hac quoque ſcholaſtica lite Achillem prome, cujus exemplô roboratus Philoſophus, confundat nugatorum imbellem turbam. *MEL:* Vide quem tibi Atlantem exhibeat hoc emblematicum ſchema; Severinum Boëtium cernis: prô quantum in Peripato Sidus, ad cujus illuſtres radios, Græciæ lumina, velut minora

Sidera

Sidera obſcurantur. Supra vulgarem maſſam illuſtris ſanguis, ſupra Eruditorum ſphæram Philoſophia, ſupra Aſtra virtus, ſupra Cœlos Martyrij Laurea eum extulerat: tam felicem ſua illum infelicitas fecit! nam cùm Conſul Romanus Juſtitiæ, ùt par eſt, conſulit, ab Injuſtitiæ Miniſtris accuſatur, à Theodorico injuſto Judice condemnatur ad carceres. Hìc demum ille fortunis omnibus exutus, in ignominiæ Theatro, iniquam ſortem attentiùs contemplari. Non defuit Aſtrologia, ſed uſa tempore, infauſtum illi horoſcopum ob oculos poſuit: nunc in ſexta domo *malæ Fortunæ* conceptum aſſerens, nunc in duodecima natum, unde præter inimicos, & carceres nil ſperandum, ſed ob Fatum inevitabile deſperandum. At alijs Athletam ſuum principijs erexit purior Philoſophia. Imò ſic conſolata eſt alloquio propemodum divino, ut illud ſua manu Poſteris conſecraret; opuſculum de conſolatione Philoſophiæ omni ſæculo ſummè, nullo ſatis deprædicatum, ipſa æternitate digniſſimum.

LEUC: Theſaurus iſte me fugit hactenus: amabo! unam, & alteram gemmam pro ſolatio ſpiritûs, fac, domum feram. *MEL*: Non abnuo, ſi modò me velis eſſe ſuccinctum. Sic ergò Philoſophia, ejectis, quæ mœſtum muliebriter ſolabantur, flebilibus cum Uranie Muſis eum affata: quid mœrore dejiceris Severine? túne ille, quem virili nutritum lacte, dedi in murum ferreum, inani Fato ne frangereris, ſed frangeres? túne ille, quem ſic firmavi, ut immobilior ſtaret Siculo Peloro, qui ſive jaculis pluat, ſive ningat haſtis, impavido necis cuncta deſpiciat vultu, metuendus ipſis quandocunque Fatis? túne ille, quem innubi educatum Olympi vertice, à tonitruis immunem, à fulmine tutum, ipſis Aſtris feci ſuperiorem, non ſubditum: *Sapiens dominabitur Aſtris?* ſiccine Pythagoricum, quod dedi ſcutum *ſequere DEUM* abjeciſti imbellis? ſiccine adverſis tam leviter proſtratus jaces? ſed nempe Sors eripuit famam, Fortuna fortunas, amicos ſuſtulit Caſus. Iniquum Fatum inimicis te expoſuit ſcopum, ſcelerati triumphant, ſuccumbis juſtus, præmiantur flagitia, merita puniuntur: næ tu præ dolore es immemor eorum, quæ tibi toties: *ſi per ipſum omnia, ſi nil in terra ſine cauſa fit: ſi* *Job. 5.* *ſtellas regit ille regentes,* ſi Caſum, Fortunam, Fatúmque divina eliminat Providentia, quid lamentaris? quid infelicem te facis, cùm putas? næ tibi, arcto nimiùm conſtricta eſt hemiſphærio,

Divina

Divina Providentia, quæ tuis ſat comodis providere, vel cæca nequit, vel renuit invida, vel non poteſt invalida. Age per me licet, tibi ipſemet provide, ſi quid melius velle potes, quàm ille velit, qui non poteſt non omnibus velle optima optimè, utpote optimus. Illius te manui ſubtrahe, qui tenerius te amat Pater, quàm ipſe poſſis, qui utiliùs tibi providet Promotor, quàm ipſe ſcias. O te miſerum, ſi per adverſa putas te miſerum! didiciſti nondum, quod è Philoſophia etiam Ethnicus didicerat Bias, dum dixit: *Infelicem eum, qui infelicitatem non ferret.* Didiciſti nondum, quod Anaxarchus: qui ne revelare poſſet celanda, in mortarium conjectus cùm tunderetur, ille ridenti ſimilis: *tundite*, inquit, *Anaxarchum, Sidera celſa petit.* Utilius ſi quid eſſet, quàm pati, Divino Filio providiſſet Pater, utpote infinitè dilecto. Patiendo augentur merita, expunguntur demerita, & levi pretio comparatur immenſæ gloriæ pondus. Hinc fortunatos ne puta improbos: nam Philoſopho fortunæ, non ſunt niſi bona Fortunæ, beare nequeunt, quia volubili rotæ impoſita; quia externa, & alieno ſubjecta arbitrio: felicitatis limpida ſcaturigo ab animo ſtillat, tui compos ſi ſias, habes felicitatem perennem, quia inauferibilem. Quid multis? Crux Electorum eſt characteriſtica: ergò felicium. Cur te torques? pati neceſſe eſt, nî è mortalium albo te velis expunctum: meliùs ergò pateris pro virtute. Pati neceſſe eſt, aut bene, aut malè: minus pateris, ſi bene pateris, nam lenit adverſa virtus: plus pateris, ſi malè pateris, nam invitus animus hìc auget dolorem, ibi pœnam doloris. Pati neceſſe eſt, aut hìc, aut ibi: nec ipſi Chriſto conceſſum erat, in utroque ſæculo eſſe beatum. Vide igitur, quàm ſint felices hìc infelices: triſtantur modicum, coronantur æternùm: contrà quàm infelices ſint hìc felices: nam gaudent modicum, cruciantur æternùm. Sed Sapienti pauca; abeo, & ſi quæris Severine, quid è Philoſophiæ alloquio Sophus didiceris? *Diogenes* cum illo Philoſopho repone: *prævidere adverſa, & cùm advenerint, illa patienter ferre.* Hæc ubi dixit, evanuit, ad ergaſtuli fores hunc affigens Severino Horoſcopum.

HORO-

# HOROSCOPUS DESCENDENS SEVERINI BOËTIJ
## *De glorioſò ejuſdem Fato, contra Fatum, erectus à Philoſophia conſolante.*

*Siſte Viator:*
*Lege, nec luge.*
*Horoſcopum, non Epitaphium legis,*
*Erectum morituro, non mortuo.*
*Nomen inſolens ne mirare:*
*Horoſcopus deſcendens eſt, non aſcendens:*
*Erigitur iſte*
*Per vitam recenter natis:*
*Erigitur ille,*
*Per Mortem denuò naſcituris.*
Dos iſta Sanctorum eſt, moriendo naſci,
Atque ſuos in obitu celebrare natales.
*Ejusmodi Sanctum hoc claudit ergaſtulum,*
Severinum Boëtium:
*Tumulum diceres,*
*Niſi clauderet exſpirantem ſpirantem,*
*Qui vivendo identidem moritur,*
*Ut moriendo æternùm vivat.*
*Inſpice!*
*Et Philoſophicæ ſplendorem Gloriæ,*
*Squallentem cernes in tenebris.*
*Erro:*
*In tenebris plùs quàm Sidera rutilat,*
*Quia Doctrinæ Luce, Sidera obſcurat,*
*Ac de Cælo malè loquentes,*
*Totóque Cælo aberrantes,*
*Vel ſilendo confutat.*
*Novus in Carceris ſqualore Aſtrologus,*
*Dum ſine Cælo Cælum obſervat,*

*Ac contemnendo Sidera tendit ad Sidera.*
*Inſpice!*
*Et ſtupebis jacentem,*
*Qui Romani culmen Imperij ſteterat.*
*Fatis major, dum Fato ſuccumbet,*
Severinus Boëtius.
Severinus *non quia Severus,*
*Sed quia vivit ſub Theodorico Severo:*
*Cujus Aulicam Sortem, vel inter blanditias,*
*Senſit ſeveram:*
*Dum eum ſuſtulit altiùs*
*Ut dejiceret ſublatum profundiùs.*
Boëtius *nomine, re autem Philoſophus,*
*Nam reſpuit Poëtarum Fatum:*
*Philoſophorum ſentiens Numen,*
*Dum illum tot Fata premunt, nec tamen opprimunt.*
*Cauſam futuræ Mortis ſi rogas,*
*Crimen Regis erit, utpote Ariani.*
*Sed luet ipſe crimen,*
*Dum Caput, Quod unum habet in Severino,*
*Sibi ipſi demetet Tyrannus.*
*Stare felix non poterit, cadente illo,*
*Per quem hactenus ſtetit.*
*Suo caſu Romanum Imperium*
*Hic Samſon concutiet:*
*Sed quid dico Samſon?*
*Samſone major hic Heros eſt:*
*Is enim abſciſſis crinibus victus:*
*Hic abſciſſo cum crinibus Capite erit invictus.*
*Fortitudine vincit Atlantem:*
*Is enim Cœlum tulit placatum:*
*Hic cum Cœlo fulminante;*
*Mundum quoque ſuffert iratum.*
*Sortis tela non timet, ne feriant,*
*Sed exhaurit,*
*Ne ampliùs ferire queant:*
*Tum demum ſe Victorem exiſtimans;*

Cùm

*Cùm deeſt, quod poſſit ampliùs vincere.*
*Philoſophiam hanc novam*
*Non in Peripato didicit,*
*Sed in ergaſtulo:*
*Non ſtudendo, ſed patiendo:*
*Sine Magiſtro Diſcipulus,*
*Sine Diſcipulo Profeſſor.*
*Ludet Philoſophus iſte Fortunæ ludibrium,*
*Dum hac tentante probabitur,*
*Hac promovente creabitur.*
*Baccalaureus, quia Martyr;*
*Magiſter poſt Mortem efficiendus.*
*A quo diſces,*
*Vera Philoſophiæ veræ principia;*
*Solam ſcilicet in Peripato Providentiam,*
*Adorandam eſſe Magiſtram,*
*Quæ tum bonos fortiter amat.*
*Cùm habet ſeverè.*
*Diſces,*
*Meliùs nunquam illudi Fortunæ,*
*Quàm ſi oſtendas, rideri poſſe.*
*Diſces,*
*Nunquam Heroëm reſplendere illuſtriùs,*
*Quàm ſi in Carceris ſqualore jacet obſcuriùs.*
*Diſces,*
*Irati DEI certum eſſe indicium,*
*Et infelicitatis Argumentum,*
Semper eſſe felicem.
*Quid multis?*
*Ab Heroë diſces Philoſophiæ veræ epitomen,*
*Chriſtiani nempe Philoſophi eſſe:*
*Magna agere, & multa pati.*
*Abi Viator, & cogita,*
An non vir fortis, adverſæ Fortunæ conjunctus,
Par nobile ſit, dignum DEO.

# VIRGULA PHARAONIS,
*Seu*
# DISCURSUS III,
*De*
# MAGIA DIABOLICA.

LEUCOTHEUS. Thavmaturgam Ducis Iſraëlitici virgam obſtupuit quondam Orbis Ægyptius, nec immeritò: obſtupuit, quia ſenſit; ſenſit, hac quia feriît dextera Omnipotentis. Sed quid Philoſopho mirum ab illo patrari miracula, qui poteſt omnia? id miror potiùs, ab illis, qui nihil poſſunt, patrari mira, quæ Orbis obſtupeſcit, velut miracula. Ægyptiaca Magorum virgula eſt, quæ virtutem Numinis æmulata, ea facit, quæ quidem fide teneo, ùt Chriſtianus, non tamen capio, utut Philoſophus. *MELANDER*. Philoſophum te probas, qui in Peripato necdum civis, ſed hoſpes: in Athenæo ætatem tere, nec iſta ampliùs obſtupeſces. Non Magorum hæc virtus fuit, ſed illius, qui ſceleſto fœdere junctis, opem præbet Stygius Alaſtor. Hunc uti Naturâ, ita & potentiâ ſupra conditionem humanam elevavit Creator, neque ſibi rebellem congenitis ſpoliavit viribus Judex: æterno nempe conſilio, ut quam potens eſſet Naturâ, tam impotens, & imbellis foret ex Numinis Providentiâ. Hujus Scientiam ſi indagas,

gas,




*S. Cyprianus, Antiochenq Philoſophq, et in Stygiæ Magiæ Peripato famoſus Profeſſor, dum vanas ſentit inferni vires, ſolidiorem ſectatus eſt Philoſophiam: in qua, dum ſtygem felicius debellat, ad Doctoratus lauream evocatur, glorioſus Martyr, ſuo ſanguine hanc Magiæ ſubſcribens epigraphen: Tantum nocet illa volenti. Ex Surio.*

*G. Rogg delin.* *I. M. Gutwein sculpsit A.*

gas, callet ille Philologorum omnium placita, & quidem ſine ſtudio: reſolvit omnes omnium Sophiſtarum fallacias, ſine difficultate: abſtruſiſſima exhaurit naturæ arcana, & ſine labore: peritiam omnium artium, totámque Scientiarum Encyclopædiam ſine magiſterio poſſidet, infelix in ſua felicitate Lucifer. Hujus certè intuitu obmuteſcunt, etiam Divini Platones; balbutiunt humanæ intelligentiæ termini, Stagiritæ: cæcutiunt Salomones, cæteráque clariſſima Scientiæ lumina, quos ùt Sapientes Græcia, quos ùt humanæ Doctrinæ Oracula, utroque poplite adoravit Antiquitas: ut planè mireris, humanæ Sapientiæ apicem ne quidem infimam attingere ſphæram Angelici intellectûs. Omnes Sophos ſi ingenio ſuperes, poſtremum dæmonem non adæquabis. Hinc Superis, reor, margarita non debet eſſe humanæ donum Scientiæ, quam liberaliter adeò, Creator projicit ante porcos. Et tamen quàm multi, Leucothee, tanti faciunt ſæpe ſcientiam, ut conſcientiam perdere non formident! tam avidè fluxis inhiant Naturæ bonis, ut Cameleontis in morem, inani aurâ, ſatiandos ſeſe confidant! Infelices Philoſophos, qui magni faciunt parva, parvi faciunt magna! Qui admirantur Naturæ vires, & malè negligunt virtutem! Cæterùm non tantùm ſcientiâ, ſed & ſtupendis viribus pollet tenebrarum Princeps. Ejus potentiam ſi nôſſe cupis, nunquid ille eſt, *qui conturbavit terram, qui concuſſit Regna, qui poſuit Orbem deſertum,* *Iſa.* 14.
*& urbes ejus deſtruxit?* relaxa Stygijs conſtrictum vinculis, & invertet ſidera, confundet elementa, diſperdet Imperia, ſuo centro dejiciet terram, nullóque negotio, ſus déque vertet univerſum Orbem. *v.* 16.

LEUC: Tam potens ſit ille, quem adeò debilem ſacri Annales produnt, ut unico crucis ſigno, Stanislai etiam parvuli; quin unico verbo Simeones in turpem eum fugam conjiciant? tam imbecillem, ut baculo, canis inſtar, ad Tartara eum relegent Ignatij? ut aduſtis etiam unguibus, verè Luciferum, ſibi cogant eſſe Dominici? tam enervem denique, ut ignita etiam forcipe naſo reluctantem ducant Dunſtani? Colnagi per contemptum, cingulo ad lecti pedem alligent Moloſſum? & è ſexu etiam tenero Margaritæ, per ludibrium, levi filo circumducant Draconem hunc Stygium, Orbíq; tam formidandum? *MEL*: Ita eſt: debilis eſt in Chriſti aſſeclas, ſed in ſua terribilem ſeſe præbet mancipia:

*26. Julij Faſti Mari.*

*In vitis.*

cipia: imbellis eſt, DEO vires pro libitu reſtringente, ſed & potens eſt, Numinis Providentiâ ſic permittente. Bene dixit inter doctores Mellifluus: *latrare poteſt, mordere non poteſt* infernalis hic Cerberus, *niſi volentem.* Veritatis hujus locupletiſſimum teſtem ſe nobis exhibet D. Cyprianus, è Philoſopho Magus, è Mago Chriſtianus, è Chriſtiano Sacerdos, è Sacerdote glorioſus Martyr. Percipe, quæſo, quàm admirabili filo, è Magiæ Stygiæ labyrintho illum eduxerit Divina Providentia. Erat Antiochiæ Philoſophus, quem à natalium ſplendore, vultúsque flexanimi gratiâ Aglaidam dixêre domeſtici. Sed quia rarò in fronte ſimul, & in pectore lilia, formas, quas in ſe ſuſpici ſenſit, in aliis ipſe ſuſpiciebat. Sic degener hic Sophus ſeveriorem coluit Minervam, ut eſſe virginem oblitus, impuris amoribus extremum virgines deperiret. Fuit inter alias Juſtina, ſic dicta, reor, à Chriſtianæ Juſtitiæ laude, quam non modò nomine, ſed quod majus, glorioſo etiam omine prætulit: ſic enim hunc ſpurium è Peripato hircocervum excepit hæc caſta Pallas, ut contra omnes preces, & minas, caſtitatis ægide invincibili, ſentiret armatam. Quid jam agat hoc Peripati probrum? agit quod agere conſuevit Juventus, cui ſemel ſeductæ, nullum præcipitium ſat altum, nullum fundum ſat eſt profundum; erat Antiochiæ Philoſophus, Cyprianus nomine (nam Cypro ſtudebat, & militabat) quem Magia celebrem fecerat, & utinam licita! hunc adit Aglaidas, amoris petit remedia, peſſimo morbo pejora: nam mox ab Orco Amores evocantur, ut huic milvo ſubſidium ferant, corvorúmque collecta cohors unam in caſſes pertrahant columbam. Unus jactantior cæteris amandatur ad virginem, mille philtris, mille machinamentis armatus: ſed unico Crucis ſalutiferæ ſigno, virgo difflat inanes tentaminum machinas, & vix incœptâ pugnâ jam retulit lauream Heroina. Sed mox miſit Cyprianus ſuppetias: Aſmodeus ipſe in arenam deſcendit, mille fraudibus ſtipatus, ementito larvatus ſplendore aggreditur virginem, quæ brevì agnitum è cauda ſerpentem, Crucis ſigno debellatum, egit in fugam glorioſa Amazon. Hìc ille confuſus ad Cyprianum, exarmatas fateri vires, extinctas dicere incœſtas faces, omnia tela unico Crucis clypeo repulſa, totúmque Cupidinum exercitum, ab unica fugatum teſtari ſanctiore Diana. Enimverò hìc obſtupeſcere primò Cyprianus,

mox

mox Arti ſuæ iraſci, ſed multò magìs Stygio Artis Magiſtro; & quia ſe imbellem, utpote ab imbelli victum puellâ, hìc ultrò jam fatebatur, dato eidem repudio, meliorem ſectari ſtatuit Philoſophiam, quia ſanctam, & Chriſtianam. Nam libris Magicis, Veneréque in libris Vulcano traditâ, ipſe Chriſto, & Juſtinæ adhæſit: quam etiam, veluti melioris vitæ Magiſtram, in exilium, ab exilio in Carcerem, à Carcere ad equuleum, ab equuleo in bullientes à flammis ſartagines, & ad ipſum denique palum eſt inſequutus glorioſus Martyr. En! Magiæ novæ prodigium, ſociatum virgini Magum, volo dicere, oviculæ conjunctum lupum: imò agnum ex lupo, qui ex oviculis tot fecit lupos.

LEUC: Utinam plures Sophi huic cœleſti ſe addicerent Magiæ! non haberet orcus tot Baccalaureos, nec in ſeducenda Juventute tot numeraret Magiſtros. Sed hoc Fatum humani generis, facere ex imbelli hoſte potentem, & mancipatu ſpontaneo Stygiam coronare tyrannidem. *MEL:* Prô pudor Leucothee! ſunt, qui thus adolent Plutoni: ſunt, qui Sacramentum dicunt Orci Magiſtro, jurati in ejus verba Diſcipuli, eò magìs ſceleſti, quò non in ſuam modò, ſed & in alienam perniciem impenſiùs ſunt ſtudioſi.

LEUC: Magos, & Necromantas notas, nî fallor: equidem me dudum curioſa cœpit aviditas, penitiùs pernoſcendi, quæ hæc Magia? quam illa originem? quóve prodigiorum ementito ſplendore popelli oculis illudat? neque reor, curioſitatis me argues, vel inutilis, vel vitioſæ; nuda enim cognitio, quæ perficit intellectum, mala eſſe Philoſopho nequit, niſi DEUM, vel negare omniſcium, vel probare velis omnium peſſimum. *MEL:* *L. de ani.* Mitte metus inutiles: *Nos Chriſtiani Magiam hanc non ſociâ Conſcientiâ, ſed inimicâ Scientiâ novimus*, inquit Tertullianus. Imò ſine huius notitiâ, ſi Philoſophum te quis negaret, ſat forſan negotij haberes, ut hoc tibi nomen evinceres. Edic enim amabo! quo tu lapide lydio diſcernes mira, quæ operatur tenebrarum Princeps diabolus, à miraculis, quæ in vita operatus eſt Chriſtus? quo argumento probabis, Sanctorum prodigia non Magicis Artibus: nec Magorum portenta divinæ adſcribi virtuti? qua ratione deteges Magiæ hujus vanitatem, fallacias, maleficia, ſuperſtitiones ſacrilegas? quomodo demonſtrabis, præſtigiatorum oſtenta neutiquam mereri glorioſos miraculi titulos, ſed

eſſe

eſſe impoſturas, dæmonum opera, vel etiam occultâ virtute edita degenerantis naturæ monſtra? Ecce! adeò curioſitatem tuam non inutilem judico, ut etiam Chriſtiano Philoſopho neceſſariam eſſe affirmem.

LEUC: Si ita eſt: ſecretiora pande Philoſophiæ Sacraria: habebis utrâque aure intentum, in argumenti hujus diſcurſu non minùs utili, quàm jucundo. *MEL:* Præcipua delibare eſt animus, & ſic utile miſcere dulci, ne prolixitate nimiâ perdatur punctum. Magiæ hujus ſive naturam ſive originem, feſtivis Apologi frondibus velatam, in hæc verba deſcribit Cœlius Calcagninus: *Vanitas*, inquit, olim *Miraculo* juncta, furtivo concubitu genuit *Magiam*: ſed reformidans, ne forte *Veritas* partum hunc enecaret, illum *Impudentiæ*, ac *Timori*, connubiali fœdere junctis, educandum tradidit. Magia his nutricibus ſub *præſtigiarum* crepundijs adulta, *fatuorum arces* cœpit incolere, ibíque peperit *Credulitatem*; hæc, beneficio Parentis grata, mutuis illam jam enutrit obſequijs, alioquin brevì interituram: hæc ille pari acumine, ac veritate. E quibus, ſi Magiæ ectypon depingere lubeat, *artem* non immeritò dixeris, *quæ pacto dæmonis nixa, operatur mira, naturæ viribus non niſi ad ſpeciem ſuperiora.* Horoſcopum infauſtæ ſoboli animus pene horret ſtatuere: Patriam nacta eſt, dignam natalibus, Acherontis chaos: hinc lucem aſpexit in tenebris, monſtrum æternis tenebris dignum. Cum mundi exordio ortum eſt, hoc malorum exordium: Authore illo, qui malorum omnium non malè dicitur Author: non enim alio Parente naſci potuit abortus, Orbis excidio deſtinatus. Obſtetricantibus Furijs enixam ſuſceperat infauſta nutrix, *humani nempe ingenij, ex Originali labe depravata indoles:* hac crevit Hydra, hac adolevit humani generis Lernea peſtis. Hinc diu deliteſcere in Orco non potuit, nutricium in terris nacta Zoroaſtrem, infame apud Hiſtoriographos nomen, quia non niſi ſacrilegâ impietate Orbi notum, & Heroſtrato magìs famoſum. Hunc vix natum, ad ſuos natales riſiſſe unicum ferunt, quos perennibus lacrymis ſatìs deflere hactenus nequiìt univerſus Orbis. Magiam ab inferis hauſtam, ut mundi vitijs, cataclyſmo mergendis, foret ſuperſtes, columnis æneis inſcripſit, ratus, hanc unam ſatìs fore vitiorum Iliadem, ut ſecundo Mundus interitu periret. Et verò diluvij undis ubi integra emerſit, ſenſim Urbes, & Regna, tribus, & popu-

*Author hiſt. ſchol. Caſſianus de Origine Magiæ.*

los

los infecit ſerpens, & malefica lues: vidiſſes à Bactrianis mox erigi dæmonibus fana, Deorum cultui conſecrari lucos, deſignari delubra. Conſpexiſſes Perſas adorare Idolorum Oracula, Ægyptios thus adolere cepis, victimiſque colere allia, & ſi quæ alia naſcuntur in hortis Numina. Obſtupuiſſes in Græcia Democritos exta, Tyaneos obſervare volatus avium, atque garritus, Simones Magos, ſuperſtitioſis Orci fallacijs, Divinos ſibi vendicare honores. Deprehendiſſes denique Theſſalas Urbes Circæis præſtigijs infames, Romámque ipſam Urbium Urbem, & *omnium penè in Orbe Gentium Dominam, omnium Gentium ſervire erroribus, ſibique viſam, quòd magnam aſſumpſerit Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem, in qua diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quid quid uſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.* **S. Leo ſer. 1. de Nativit. Apoſtol. Petri & Pauli.**

LEUC: Summum certè, ſi quod poſſet, patratum à Magia Miraculum crederem, quòd tot ſæculis non valuerit modò, ſed & viguerit; quod in toto terrarum Orbe non ſolummodo nacta ſit domicilium, ſed & imperium. *MEL:* Hæc poteſtas eſt tenebrarum, ſi illis ſe ultrò ſociet humana voluntas. Magia ſiquidem vires trahit ex fœdere, pactóque cum dæmone inito, tanquam baſi innititur. Percipe, quæſo, ùt apud Prophetam glorietur fœderata cum Orco cohors: *percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* *Iſa. c. 78. v. 15.* Hinc ſi quod lubet Artis nefandæ edere ſpecimen, Stygis poſcenda fides eſt, qua promiſſam ex pacto ferat opem. Sed quàm infida hæc fides eſt! ſua fefellit Lucanum Muſa, dum cecinit: *cujus commercia pacti obſtrictos habuêre Deos, parere neceſſe eſt.* Nulla homini in dæmonem poteſtas: cogi nequit, ut ſervet fidem. Cæterùm mendacem Scriptura, fallacem notat experientia: ſi frangit fidem, ùt ſæpe frangit, ſe probat fœdifragum: ſi ſervat, ùt raró ſervat, probat ſe perfidum: nam ſervat, ut turpiùs fallat; juvat, ut pejùs decipiat; fidus eſt, ut ad fidem alliciat, ſibíque fidos in fine decipiat, nunquam perfidior, quàm ubi ſe probat fidum. Et tamen prô quanta dementia! certatim fœdera cum hoſte cudunt, proni in ſua damna Mortales. Nunc enim dæmoni, in formâ Majeſtatis plenâ, viſibili homagium præſtant, adhibitis, quod vix credas, etiam teſtibus, ut nempe in ſua perfidia minùs liceat eſſe perfidis. Nunc libello ſupplici, per Necromanticas Sibillas oblato, nunc per ejuſdem furfuris Miniſtros, veluti Vicarios, &

Fidejuſſores, Orco ſe devovent, ſpontanea expreſſo pacto mancipia. Et ne injuſtiſſimo fœderi ſua deſit juris ſolennitas, pacti forma conſuetis Ceremonijs eſt obſervanda. Percipe ſceleſtos ritus, dignum Authore diabolo inventum. Initium ſumit hic actus, Orco ſolennis, à ſcelere omnium maximo, & è quo ſua veluti ſponte cuncta pullulant ſcelera. Artis hujus nigerrimæ Candidatus præprimis abnegat Chriſti fidem cum myſterijs ſingulis, ejurat baptiſmum cum reliquis Eccleſiæ Sacramentis: tum Promotor Stygius, injectis fronti unguibus, Sacri laticis characterem ſeſe fingit eradere, aliúdque parti corporis, maximè latenti, imprimit infame ſtigma: mox novo nomine è faſtis Stygijs deſumpto, tyronem initiat, dein jubet renuntiare patrinis, novósque recipere, quos in genealogico ſtem̃ate ſceleſtos Megæra numerat nepotes. His peractis, ne quod ſuperſit ſalutis Refugium, renuntiare cogitur illi, quæ ſe dicit, & probat *peccatorum Refugium:* ſi quæ adſint Crucis ſalutiferæ ſigna, abjiciuntur: ſi in amuletis Sanctorum Reliquiæ, pedibus conculcantur: tum deſcribitur fatalis in terra circulus, in qua tactis Scripturis, libri cujusdam tetrâ fuligine horrentis, juramento ſolenni ſacrilegum præſtatur homagium, mox deleri petit è libro vitæ, huícque inſcribi nigerrimo libro mortis: ſed & pro fidei teſſera è veſtibus centones, è corpore ſanguinem, noménque ſic exaratum dæmoni tradit, ſacrificia ſpondet ex infantum maximè cæde ſacrilega; vectigal quoque annuum (quod atri coloris ſit oportet) promittit cuſtodi corporis aſſiſtenti, & denique varia vovet Orco præſtanda obſequia. In compendio formulam dedit Sagarum aliqua apud Grillandum: me nunquam redituram voveo ad Chriſti fidem: non ſervaturam præcepta, niſi Principis tenebrarum: nunquam niſi ſimulatione ſacrilegâ, me uſuram Sacramentis Eccleſiæ: Euchariſticum Numen, Deiparæ ſimulacra, Sanctorum Imagines culturam nunquam, ſed calcaturam: Crucis ſalutiferæ ſigno, luſtrali latice, rebúsque cæteris ab Eccleſia benedictis uſuram nunquam, ſed abuſuram: pertinaci ſilentio hoc cum Styge commercium me celaturam: continuò adfuturam ludis, nocturnis Orgijs, ibíque cultu latrevtico, ſacrificijs, victimis adoraturam perſonatum ſub Hirco Numen: denique occaſioni nulli me defuturam, vel nocendi mortalibus, vel eoſdem ad idem Orci obſequium adducendi. Et hæc

*Q. 7. cit. à Delrio.*

Eſt

eſt abyſſus, in quam ſe præcipitem agit humanæ mentis, vertiginem ſemel paſſæ, infirmitas. Et, quid putas, promiſſis adeò execrandis repromittit dæmon, licitator tam avarus in mortalium commoda, quàm liberalis in damna? audi, & obſtupeſce: homini, quem hiſce peccati vinculis jam verè tenet conſtrictum, & ipſe mutuo, ſed tamen ficto, ſeſe fœdere obligat, utpote quo obligari neque cupit, neque etiam poteſt. Fœderatis ſpondet, ſe præſtò ſemper futurum, ſcilicet ut illudat, non juvet: votis velificaturum ſe aſſerit, ſi ſint ad vota: gaudia promittit, nempe illuſionibus plena: opes, ſed in aëre conficta; honores, ſed in Phantaſia formatos: voluptates, ſed imaginarias: felicitatem etiam poſt Fata duraturam, ſed nempe chymericam. Et hiſce fallacijs illos quoque fallit impoſtor, qui non ignari, vel ſuperſtitioſis utuntur ſignis, vel quaſi inſcij media adhibent, quæ nec divina, nec naturali virtute vident intento fini proportionata, adeóque pacto, ùt phraſis ſcholaſtica habet, implicito Stygijs commercijs ſe immiſcent: nullo forſan diſcrimine, niſi quòd ſic fallantur frequentiùs, alióſque ſub ſecuritatis ſchemate fallant quoque faciliùs.

LEUC: Ut video, ſat profunda Magiæ ſunt fundamenta, quia in Orci poſita abyſſo. Et quid mirum, ſi mira efficiat Ars, tam ſceleſtis nixa principijs? id jam ſcire percuperem, quo quis lapide Lydio effectus Magiæ varios queat diſcernere tum inter ſe, tum ab illis, quos Naturæ, vel Artis induſtria, aut etiam prodigioſa Superûm operatur virtus. *MEL:* Quatuor claſſes Academia Magica numerat; quævis diverſa dat Artis ſuæ ſpecimina: ſunt, quos delectat effectûs miri, vel cognitio, vel operatio, & hi *Magiæ ſpeciali* operam navant: nituntur alij res futuras, præteritas, vel etiam præſentes cognoſcere, ſed occultas, & conatus iſte *Divinatio* nominatur: hos juvat inſtrui, & juvari, non ut proſint, ſed noceant, hi *maleficio* ſtudent: illi denique cupiunt, ſine noxa, ſibi, vel alijs prodeſſe, ſeu operis utilitate, ſeu voluptate, & hi *vanæ* ſunt dediti *Obſervantiæ.* Illud altioris indaginis, detegere characterem, quo velut indicio ſignata noſcas Magiæ opera. An aliquid Artis humanæ induſtriam, aut Naturæ ſuperet facultatem, vel à medio, quod Stygis adhibet fœderatus, vel à modo licebit colligere. Si res, effectui producendo adhibita, naturalem ſuperet proportionem, ſive intuitu

diſtantiæ nimiæ, ſive defectu ſufficientis virtutis, neque ſuppetat ratio, cur Numinis altiori potentiæ tribuatur, Artis, vel Naturæ opus non eſt, ſed Stygius Magiæ partus. Et ipſe operandi modus ſuum non rarò prodit Authorem: ſi verba uſurpari percipias ignota, vel nihil, vel non niſi abſurdi quidpiam indicantia; ſi ſacra, ſed in ſenſus alienos detorta; ſi adhiberi perſpicias certos characteres, impertinentes figuras, ſi Cruces ineptè formatas, indebitè poſitas, ſuperfluè, & ſuperſtitioſo numero iteratas; ſi poni efficaciam videas in certis ritibus, hoc die, hac horâ obſervandis, ad certum ſtellarum ſitum, ſub certo numero candelarum, certo corporis ſitu, in tali charta, hujus coloris, vel illius figuræ; ſi advertas vim collocatam in obſervantijs tam ſuperfluis, quàm ridiculis, quales ſunt certa aqua lavare faciem, radere capillos, hac, vel illa indui veſte: denique ſi circumſtantias notes, quæ nihil conferunt, nec etiam videntur idoneæ, vel ſolidæ movere Superos ad producendum effectum: hæc, inquam, ſi notes, Circæa time ludibria, Magicóſque ſcito parturientis Tartari abortus. Ijsdem fermè indicijs Magiæ larva detrahitur, veráque miracula, à vanis Orci præſtigijs dignoſcuntur. Nam differunt *conditione Authoris*; illa enim communiter patrare non ſolent, niſi homines, virtutum famâ per Orbem celebres: hæc non faciunt, niſi Agyrtæ, flagitijs omnibus infames. Differunt *qualitate factorum*: nam Magorum prodigia non ſunt, niſi phantaſtica, & ſimulata, adeóque nec diuturna: non ſunt, niſi inutiles præſtigiæ, pernicioſæ illuſiones: vera autem Miracula diuturnitate ſua ſunt ſolida, utilitate proficua, neceſſitate rara, atque ſelecta. Differunt *operandi modo*, hæc enim invocatione divinæ virtutis, illa ſuperſtitioſis ritibus fiunt, ac Ceremonijs. Denique differunt, & vel maximè *in fine*, cujus gratiâ intenduntur: mira faciunt Magi, Sancti Miracula, ſed quanto diſcrimine! illi ſe ipſos quærunt, hi DEUM: illi ſectantur lucrum, hi ſpernunt: honores hi fugiunt, aucupantur illi, operantur Sancti, ut DEUM glorificent, operantur Magi, ut cultum DEO debitum ſacrilegâ vanitate ſibi attribuant: illi ut veram fidem confirment, fideles ædificent, omnibus proſint, & non corpore modò, ſed multò etiam magis animô juvent: iſti, ut veritatem pervertant, falſitatem perſuadeant, Fideles ſeducant, omnibus per maleficia, Magica furta, adulte-

ria,

ria, ac homicidia noceant. En caudam, ex qua facilè licebit noſcere ſerpentem, num prodierit à virgula Araonis, vel Pharaonis.

LEUC: Capio diſcrimen in fine, non ſemper capio diſcrimen in opere: virgam elevat Moyſes, elevant Pharaonis Arioli: utrinque ad juſſa ſe vertit unda in ſanguinem, proſiliunt ranarum examina, horrendi proruunt ſerpentes: Metamorphoſis utrobique eſt eadem, æquè nî fallor ſtupenda: cur igitur à Magis mira, à Moyſe dicis patrari Miracula? *MEL:* Hac linguâ Peripatus loquitur, corrigítque errorem vulgi, cui quæ videntur mira, dicuntur Miracula. Sed accuratiùs hæc verba librat Philoſophica trutina: quæ miramur mortales, ſive quòd vires noſtras excedant, ſive quòd ſuperent captum, dicuntur *mira; quæ verò totius Naturæ creatæ facultatem tranſcendunt*, ſola ſibi nomen *Miraculi* vendicant. Ex quibus manifeſtum fit primò: ſolius Numinis eſſe prærogativam *vera patrare Miracula.* Solus enim hic ſuperat Naturæ vires, *qui ludentis in morem ex nihilo* condidit ſpectabilem hanc Mundi molem: qui *tribus digitis appendit Fundamenta terræ*, cujus intuitu omnes Gentes veluti *ſtilla*, inſulæ velut *pulvis exiguus*, totáque Univerſitas evaneſcit velut *inane nihil.* Liquet ſecundò dæmonem, ejúſque aſſeclas mira quidem, non tamen vera patrare miracula: hæc enim Divinitatis ſunt teſtimonia, veræ fidei argumenta, & infinitæ inſtrumenta potentiæ, quibus veluti ſigillis veritatem obſignat, totidémque quaſi fulcris ſuam ſuſtentat Eccleſiam. Imò nec abſolutè mira efficere poteſt vis Stygia, nam *DEUS Iſraël eſt, qui facit mirabilia ſolus.* Portenta igitur, quibus, connivente Cœlo, & adjuvante Orco nos Magia reddit attonitos, mira ſolummodo ſunt intuitu noſtri, qui vires occultas, nobíſque inſolitas, quia non capimus, admiramur. Capis, nî fallor, quantum jam chaos diſtinguat Moyſen ab Ægypti Ariolis: illius Miracula Naturam omnem tranſcenderant, iſtorum mira, non niſi æmulatione fictitiâ tranſcendere videbantur. Si Juſtino Martyri fides, Magorum ſerpentes quid erant, niſi præſtigiatrix oculorum illuſio? dæmone, vel occultâ virtute ſpectantium turbante viſum, vel phantaſticas ſerpentum imagines in aſtantibus excitante, vel denique virgas, in formam aſpidum figuratas, per ſe ipſum in ſimiles animante gyros. Angelici cortinam ſi conſulas,

*Prov.* 8.

*Iſa* 40.

*In l. reſponſ. ad QQ. Orthodoxas. reſponſ. ad q.* 26.

minimè ficta, ſed veriſſima fuiſſe intelliges Naturæ monſtra, in quam ſententiam, veluti Scripturæ Oraculis conformiorem, non inviti concedimus. An verò ſublatis furto inviſibili virgis, ſerpentes celerrimè huc allatos ſubſtituerit dæmon, an agentium naturali virtute, nobis incognita, ſed ad hunc finem efficaciſſimâ, è virgis produxerit aſpides, non convenit inter Authores. Hoc Angelico, illud præplacet Lyrano: nos Angelici mentem toto capite veneramur, Lyrani Sententiam, Philoſophiæ principijs magìs conſonam, ſequimur. Illud eſt in confeſſo, Magorum monſtra, utut è virgis, non tamen immediatâ virtute, nec in inſtanti per dæmones producta; unde illi ſolummodo mira, Moyſes verò patravit Miracula.

*ApudPererium l. 1. de Magia c. 17.*

LEUC: Ut video, oſtentis æquè veris decipere, ac falſis illudere poteſt Sycophanta ſtygius: in Peripato Hercle non civis modò, ſed & Patritius ſit oportet, qui detegat ſexcentas fraudes, effectúsque veros diſcernat à ſpuriis. *MEL*: Ita eſt: craſſioris Minervæ Philoſophos non facilè advertet ſat ſubtilis ſæpe diverſitas. Quippe non raro ſic vera falſis commiſcet Nundinator Stygius, ut mixtas merces, etiam oculo Philoſophicè armato, vix deprehendas. Sic in Pharaonis Aula per præſtigias ſubduxit primò Magorum virgas, mox oculis objecit veros, è Nili ſentibus raptos, ſerpentes. Sic verum Samuelis Spiritum apparuiſſe Sauli, DEO ſic volente, verior tenet ſententia, utut Pythoniſſæ præſtigijs ſit adſcribendum, quòd ſe ſiſtere viſa ſit ad nutum ſagæ; quòd corpore velatus, indutus pallio, quæ omnia non niſi phantaſtica fuère oculorum ludibria. Et hæc eſt illa claſſis, quæ mixtos, ùt ajunt, effectus continet: veros illa complectitur, quæ utut mira, dæmonis tamen viribus minimè refert ſuperiora: horum teſtis, ſat utique expertus, eſt ille, de quo è ſacris paginis notum, quòd plus potuerit ferre invictâ patientiâ, quàm totus Orci furor inferre ſuâ potentiâ: vix enim Stygi laxatæ à Superis habenæ, & ecce! mox de Cœlo ignivomi fluere torrentes, & unà cum paſtoribus armenta in favillam redigere: mox rupto Æoli antro, quà data porta, venti ruere, & terribili turbine, everſis palatij angulis, paternam Stirpem eodem, quo crevit, tumulo ſepelire: ipſum denique Jobum, peſſimo ulcere ſic ferire, ut viveret moriendo, & vivendo in momenta ſingula moreretur. Hæc dæmonis vulnera, ſi armis minimè fictis,

*Job:*

nec

nec phantaſtico nos duello aggreditur. Intereà tamen illud eſt manifeſtum, quòd ſi partus quem magicum circumſtantiæ notant, & dæmonis ſuperet vires, & ſomnij inſtar mox evaneſcat, præſtigiatorius ſit oportet. Hiſtorijs vel obiter oculos immerge, & mille ejusmodi mox occurrent ludibria. Videbis à Sedechia quodam nunc devoratos cum equitibus equos: nunc cum curribus fœno turgidis aurigas: jam diſcerptos in aëre membratim homines, mox adunata denuò membra: jam amputata cernes præſentibus capita, effuſo terram rigare ſanguine, jam ea ſubitò illæſis iterum reſtituta: audies in aëre Dianæ cornua, venantum clamores, inconditos latrantum ſtrepitus: in ipſo Ludovici Cæſaris palatio obſtupeſces, vel in media hyeme, florere Alcinoi hortos, ſuperbire ornatas verno lepôre areolas, refloreſcere ſubitò cum Narciſſis Adonides, arbores protrudere cum folijs fructus, aviculas ipſas, inopinata hæc in hyeme gaudia, redivivæ Chloridi gratulari. Nunc à Diodoro quopiam renovatas ſtupebis Ovidij metamorphoſes; nam inauditis præſtigijs nunc bruta in homines, nunc homines vertit in bruta. Apud Philoſtratum leges, à lamia quapiam Menippo extructa in momento Cræſi palatia, apparata Cleopatræ prodigalitate convivia, exhibita Sybaritico luxu tripudia, quæ omnia, non niſi præſtigijs, illuſionibus, vaniſque oculorum ludibriis adſcribenda, ſanior docet Philoſophia.

*Apud Trithen. ad annum 876.*

*Thomas Fazellus rerum Sicul: c. 1. l. 3. decad: 1.*

LEUC: *Si ſatis penetro diſcurſum, vera ſolent eſſe Magiæ opera, quæ dæmonis facultatem non ſuperant; ficta, quæ ejus viribus ſuperiora: nam cùm deficit virtus, ad præſtigias confugit ſuperbus, ne deficere videatur. Sed novus in ſcirpo jam nodus occurrit, quæ nempe Stygiæ ſphæra virtutis, ex qua diſcernere liceat effectûs magici vel veritatem, vel vanitatem?* MEL: Hoc dubium credo, nec ipſi Lacones tribus verbulis expedirent. Id ſciendum tamen, quod unanimi calculo ſupponit Peripatus. Primò quæcunque dæmones operantur mira, ea non operantur niſi movendo corpora, vel applicando, ùt ajunt, activa paſſivis, vel ſenſibus per præſtigias illudendo. Supponit ſecundò malos Genios in ſua infelicitate non ita eſſe infauſtos, ut per peccatum quoque amiſerint præſtantes Angelicæ Naturæ dotes: unde ſtupenda pollent ingenij ſagacitate, & exactâ naturalium rerum Scientiâ: perſpicuè penetrant ſublunarium proprietates, atque ſub-

ſubſtantias, nôrunt ſingulorum virtutes, occultas nobíſque incognitas vires: perſpectas habent multiplices facultates, admirandas mutuò proportiones, ſympathicas, & antipathicas qualitates: his accedit mira ſolertia, obſervatio aſſidua, coæva Mundo experientia: unde explorata ſunt commoda applicandis medijs tempora, temperandi varietates, Scientiarum omnium adminicula, Artium induſtriæ, & adjumenta, ita ut vix quidpiam ſit, vel ab humano ingenio excogitatum, vel etiam à cœleſtibus Genijs à Mundi exordio effectum unquam, quod ipſum latere poſſit. Et eſſe putes forſan difficile, dæmonem per motus locales operari plurima, quæ hianti ore ſuſpicimus mortales? imò tantâ inſuper agit celeritate, ut res ex oculis derepente ſubducta, in alteram ſenſibus ſubſtitutam, prodigiosâ Metamorphoſi, tranſiiſſe nemo non obſtupeſcat. Quid ergò mirum, ſi occultas applicando cauſarum virtutes, ijſdem veluti inſtrumentis, & medijs, tam ſtupenda producat in rebus creatis monſtra, ut ipſa Natura ſuperatam ſe fateatur, & erubeſcat? quid jam dicam de præſtigioſis umbratilis ſcenæ ludibrijs, quibus hominum oculis imponit Ludio infernalis? nunc enim mutat objecta, ea ſubitò occultando, artificiosè collocando, nova ſibi ex aëre fingendo: nunc vapores intermedios condenſat, ſive extenuat: nunc ipſum aërem modificat, variè format, ſpecies ad oculum mittit, vel impedit: nunc mutat organi ſitum, oculi humores perturbat, *duplicémque Solem, & geminas dat cernere Thebas:* nunc hæc, nunc illa in cerebro movet phantaſmata, ut præſtigiatrice hujus Morphei virgulâ putes te cernere, quæ non vides; dicas te agere, quæ tamen pateris; imò jures, Actiacos te moliri Triumphos, vel cum Nerone fumantia Vulcano tradere Capitolia, utut non niſi phantaſticis umbris à Sycophanta Stygio deludaris. E quibus, nî fallor, jam nullo negotio colliges Stygiæ ſphæram virtutis: unde ad propoſitum dubium ſic in compendio habe: partus, quem eſſe Magicum circumſtantiæ notant, ſi motus locales, & Naturæ, per cauſas applicatæ, virtutem non ſuperet, nec aliunde, vel ratio, vel Numinis imperium obſtet, verus eſſe ſolet: quod ſi ſuperet, ſomniíque inſtar mox evaneſcat, præſtigiatorium judices oportet. En! breviter, & ſiquidem æquè clarè ad ſcopum, dixi feliciter.

LEUC: Non tibi claritas, ſed ingenio meo deeſt capacitas, ſi, quæ doces, non aſſequar. Nil jam curioſo Philoſopho ſupereſt, niſi ut enucleatiùs perſtringas ſingula, quæ poteſt, vel non poteſt efficere Poteſtas hæc tenebrarum. *MEL:* Paucis tu nimiùm multa: nam in nuce petis Iliadem. Sufficit diei hæc linea, & mane craſtino orietur Lucifer. Interim pro diſcurſûs noſtri epilogo roboremus nos contra hoſtem ita potentem: ſuperat ille nos viribus, non virtute: præſtat ſcientiâ, non tamen gratiâ: armemur virtute, vires ſuppeditabit Providentia: gratiæ clypeo muniamur, & Cœlum ſuâ proteget nos Sapientiâ. Sed hæc non rarò humanæ ſortis eſt infelicitas, quòd poſtponat terrena cœleſtibus, tranſitoria æternùm duraturis. Imò, quod ingens probrum! ſperat lucem à tenebris, à capitali hoſte auxilium.

LEUC: Elapſa Sæcula incuſas, quibus Academica Sceptra, rotavit ſuperſtitioſa Antiquitas. Alia vivimus tempora, quibus ad ipſum Magiæ perverſæ nomen cohorreſcunt Sophi, totúsque Peripatus contremiſcit. *MEL:* Ita eſt: hæc noſtri temporis prærogativa, hic Orbis Catholici triumphus, quòd ſuperſtitionem duxerit in triumphum. Exulat à noſtris Lyceis Magia, cui tot Aras Græcia, quam in Athenæis etiam adorabant illi, quos ùt Jovis Nepotes, & Gentium minorum Deos, ac Numina adorabat Orbis. Sed hæc de apertis Magiæ præſtigijs, velim, intelligas: eſt alia, non minùs ſæpe pernicioſa, quia magìs occulta, magíſque diffuſa, à qua utinam Sophi omnes forent immunes! Hæc Stygij veteratoris aſtutia, ut quos aperto Marte non poteſt, per ſtratagemata debellet, quémque nequit per machinas Magiæ patentes, per latentes cuniculos Peripatum ſubvertat. Verbo: *hæc illa poteſtas eſt tenebrarum*, contra quam, Auguſtino Interprete, nos armat Apoſtolus dicens: *non eſt nobis* *Super Pſ. 54.* *colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus Rectores Mundi, & tenebrarum harum.* Hoc illud eſt bellum, de quo Heros ille Huſſiticus: *Vita hominis militia eſt ſuper terram:* hæ illæ machinæ, laquei, & Artis Magicæ fraudes, quas dum cerneret D. Antonius, præ mentis extaſi exclamâſſe fertur: *quis evadet?* Superi! quot cingunt pericula malè pronam in ſua pericula Juventutem? Magiam execratur, nec tamen recuſat Magiæ philtra, quæ, in Cupidinis cyatho, propinat Stygius

Alaſtor: Artem damnat, & Artis damna non reprobat: maleficia terrent, nec malefacta abſterrent: Circæa toxica refugit, & venena ſcelerum haurit: faſcinum abominatur, & faſcinari per formas quotidie delectatur: dæmonis deteſtatur commercia, & tentantis adorat Imperia. Quæ iſta cæcitas, factis approbare, quod reprobas? ulnis amplecti mala, quorum cauſas abominabiles judicas? & tamen hæc facit Juventus; quódque pejus, ignorat, quòd faciat; neſcit, quòd habeat faſcinum, hinc nec procurat Anditotum. Ridet inter pericula, séque putat ſecuram, licèt mors ad radicem jam jam ponat ſecurim. Dormit, etſi vigilet dæmon, atque circumeat quærens, quem devoret: non timet inermis armatum, infirma fortem, improvida providum, imbellis potentem, & in ipſo æterni præcipitij margine læta tripudiat, in Orci limine conſtituta gaudijs diffluit; jocatur, cùm portam jam aperit Divina Nemeſis, & inter jubila propemodum ſaltitat in infernum.

LEUC: Heu tragica gaudia! ſortem funeſtam! Fata Juventutis crudelia! me ipſum formido, meámq; horreo ætatem. Fatebor candidè: periculoſa Juventuti ſunt Stygiæ Magiæ philtra; faſcinum timeo, quod ſub amicitiæ oſculo, inimicum aſpirat Innocentiæ larvatus hoſtis. *MEL:* Placet candor tuus, Leucothee! non falleris: hoc Magiæ toxico inficit plerumque tela, quibus Juventutem oppugnat, & Innocentiam Juventutis debellat. Scit nempe Stygius Panurgus, ibi feliciores parari aſſultus, ubi debiliora Urbis ſunt mœnia. Et quia remedia poſtulas, ex panoplia Ethica depromam aliquot arma, quibus plùs, quàm Palladiâ Ægide, te defendes. Noveris illud, quod uſu multiplici jam in proverbium abiît: *Principijs obſta:* malè cuſtodies mœnia, ſi applicari permittas ſcalam: difficiliùs dejicitur, quàm non admittitur hoſtis: nam ubi cecinit Mantuanus Vates: *Hoſtis habet muros;* mox ſubdit: *ruit alto à culmine Troja.* Principijs obſta; nam malè cuſtodies Theſaurum, ſi contentus clauſiſſe arcam, furi aperias januam. Malè cuſtodies Innocentiæ ſtolam, ſi excutere negligas primam quoque ſcintillam. Nam habet hoc vitij lues erotica, ut crocodili inſtar ſemper creſcat: *ſi incipere permiſeris, non obtinebis, ut deſinat,* teſte Chriſtiano Stoico Seneca. *Principijs obſta:* certiùs vincis, ſi nec admittis, quod vincas: leunculum perime, nam ſi creverit in Leonem,

*Epiſt.* 16.

habe-

habebit ungues, quos timeas; videbis rictum, quem fruſtra tunc ſtrangulabis. Percipe ex ſpecu Bethleemitica tibi acclamantem Hieronymum. *Nolo ſinas cogitationem creſcere: dum parvus eſt hoſtis, interfice: ne Zizania creſcant, nequitia eludatur in ſemine.* Dic tentatori, quod Achab Regi Syriæ Benadad, injuſtum quid poſtulanti: *hanc rem facere non poſſum.* Si occultis ſuggeſtionibus ſerpens tuo inſidietur calcaneo, caput contere, ne ſerpat ulteriùs: dic Laconiſmo Heroico: *hanc rem facere non poſſum.* Verbo: Auguſtini Oraculum ſequere: *quando incipit mala cogitatio, tunc repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſio: ſic vitabis caput ejus, & ipſe non apprehendet calcaneum tuum.* *Ep. 22. ad Euſtoch.* *3. Reg. 20.*

LEUC: Equidem tu iſta dogmaticè: ſed, reor, citiùs præcepta dantur, quàm obſervantur. Cùm pertinaci nimiùm hoſte luctamur: confunditur, nec erubeſcit; aſſultu primo dejectus, parat ſecundum, totiéſque reſtaurat impetum, uſque dum quos pugnâ nequit, pugnæ moleſtiâ debellet. Quid hìc conſilij in arena? *MEL:* Eludenda hæc pugnæ moleſtia, & retorquenda eſt in Authorem. Nam ſi velis cum tentatore cominus congredi; ſi obſervare initia, & progreſſus; ſi ſcrupuloſiùs reſpondere ad ſingula; ſi explicitè denegare conſenſum, totóq; virium exercitu eidem occurrere, reſiſtes, ùt multi, volo dicere, in viâ ſpiritûs imperiti: ſic enim non poteris non eſſe tibi moleſtus, inquietus, & anxius; non poteris à melioribus ſtudijs non avelli, & inſuper umbris, ſcopuliſque involvi plurimis, cum non modico ſæpe corporis, animæque diſpendio. Obſiſtendum igitur tentationi, ut linguâ loquar aſceticâ Magni cujuſdam in ſpiritu Magiſtri, *obſiſtendum, & quidem in primis, ſi fieri poteſt, initijs, non tamen illâ malè vigilanti induſtriâ, ſed aliâ meliùs ſolerti negligentiâ, diſſimulatione, contemptu, ignorantiâ, ad ea, quæ præ manibus ſunt, attentione, vel applicatione mentis ad ſtudia, aut ſi mavelis, etiam ad ludicra minimè diſtractâ animi diſtractione.* Sic enim fiet, ut his velut immerſi, ſerpentis ſibila, vel non advertamus; vel certè, ac ſi non adverteremus, prætereamus; quæ agimus, ſine impedimento agamus; tentationis clamores non audiamus, vel audire diſſimulemus; huícque diſſimulationi tam diu obſtinatè inhæreamus, dum ad alia diſtracti, tentationis memoriam non habeamus, ſícque hoſtem moleſtum, contemptu hoc eludamus. Neque hìc ullum periculum non reſiſtendi: nam nemo meliùs *Druzbicki in lap. lyd.*

 reſi-

reſiſtit hoſti, quàm qui neque ad congreſſum eundem admittit, & neque verbulo ſuperbum dignatur: nemo ſecuriùs compeſcit latrantum furores, quàm qui diſſimulationis pleno contemptu hos prætergreditur. Illud inſuper ſcuti genus præprimis celebre, quod ſic excipit inimica tela, ut ſine clade excepta, non ſine clade in hoſtem retorqueat. Sunt, qui vix percepto Cerberi latratu, ex pacto Apoſtolici moniti, & dato veluti ſigno, ad orationem confugiunt: *tentatur aliquis veſtrûm, oret.* Nunc ignita è corde jacula, Euro velociùs, evibrant ad DEUM fortem: nunc ſuſpiria calida ad Turrim ablegant Davidicam; nunc ſcutum tutoris Angeli obtendunt, nunc tela oppoſitis virtutum telis eliduut, tam proſpero eventu, ut tentator ad orationem ſit monitor; ut inſtrumenta perditionis fiant arma ſalutis; ut ijsdem machinis, quibus oppugnantur, ſeſe defendant; quibus debilitantur, ſe roborent; quibus vinci deberent, vincant; & quod mireris, ex incommodis eliciant commoda, dum locò vitij augetur virtus, & ipſo promotore diabolo creſcunt lauri, & duplicantur victoriæ,

LEUC: Sic qui pugnat, intelliget Paradoxum illud Apoſtoli: *cùm infirmor, tunc potens ſum,* nam cùm tentamur, tunc infirmamur, ſumúsque potentes, ſi ſumus *facientes cum tentatione proventum.* Sed illud mens mihi ſuggerit, quod à te didici, nî fallor: Cacodæmonem, tentatoris improbi titulo, ſæpe in jus vocari, utut præter intentum hìc innocentem. Quænam ergò inimica, & in Juventæ ruinam conjurata ſunt nomina? quæ hæc occulta Magia? quibus viribus nocet, quibus armis pugnat, quo ſcuto repellitur, & expugnatur? *MEL:* Quid dubitas Leucothee? *inimici hominis domeſtici*: majorem hoſtem Juventus habere nequit ſe ipsâ. Unusquisque tentatur à ſua concupiſcentia, à ſua carne, à ſenſibus, à conſuetudine peſſima, ab occaſione, à ſcandalis, quæ Mundum, *in maligno poſitum*, inundant totum. En! quot diabolos alat homo domeſticos, diabolis longè pejores, quia incognitos, imò ſæpe cognitos, & amatos. Non opus eſt tentatore diabolo, cùm Stygium ignem in concupiſcentiæ fomite, in ſenſibus proditores, in conſuetudine catenas, in tot ſcandalis dæmones, in corde infernum totum circumfers. Te ipſum expugna, & nullo negotio dæmonem in fugam dabis. Carnem debella haſtâ Peliade: quæ tibi nocuit,

eadem

eadem & tibi proſit: nocuit delicatè nutrita, proſit per pœnitentiæ rigorem attrita: hoc enim genus dæmoniorum ejici nequit, *niſi oratione, atque jejunio.* Miraris recalcitrantem, & fomenta miniſtras: ardentem quereris, & oleum affundis: audi Bethleemiticam tubam: *vinum, & adoleſcentia duplex incendium voluptatis: quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Non Æthnei ignes, non Veſuvius tantis ardoribus æſtuant, ùt juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Nempe eodem teſte *ebrietati ſemper juncta luxuria:* ſat ergo inimicum, & fortem in ſe dæmonem alit, qui alit ventrem: nam Authore Mellifluo: *cùm venter ciborum multiplicitate diſtenditur, caro laſciviens ad motum libidinis concitatur.* Sat Magiæ ſe ſubjicit, qui fovet gulam, quam D. Gregorius à Niſſa: *intemperantiæ fomitem* vocat, atque *perniciem Juventutis.* De oculi, auriſque cuſtodia, quia alibi, plura non addo: addit magnus ille Eccleſiaſtes Vincentius, Ferrarienſis familiæ grande decus. Hic quondam quæſitus, cur contra oculorum licentiam de cathedra ſic detonâſſet: ecquid tandem piaculi foret, aſpexiſſe formam? repoſuit: edic amice, ecquid mali tandem, aperire hoſtibus munimenti portam? an ignoras, cor hominis ſedem vitæ, portam oculos, inimicos peccatum, & dæmones? nónne igitur ſtultus, qui his aperit oculos, animæ feneſtras? cùm juxta veritatis divinæ Oracula, *Mors per feneſtras ingrediatur.* En! igitur Circæa tentamina, quæ te toties faſcinant: *aculeus enim peccati facta eſt forma fœminea,* D. Cypriano Interprete. Hanc igitur fuge, & *noli incautus aſpicere, quod poſtmodum debebis invitus amare:* & *faciem tuam averte à muliere compta, nam propter ſpeciem mulieris multi jam perierunt,* & utinam amplius non perirent! ſed ſic cuſtodiendæ oculorum feneſtræ, ne portæ aurium aperiantur. Nam *colloquium impij quaſi ignis exardeſcens:* & è D. Cypriani Sententia, *citò in hoc aſſueſcimus ſcelere, quod audimus.* Quid ergò mirum, quòd ſæpius tentemur, tentari qui ſæpius cupimus? aures præbendo tot aphrodiſijs, ultrò hoſtes allicimus, acuimus ſpicula, & Aſmodæos, etiam inermes, in nos armamus. Vidit hoc Patrum non nemo, quem, quia Sanctum, Gratia illuminavit ſupra Naturam. Vidit ille Sophorum circulos, quamdiu pijs decoros colloquijs, Angelorum præſentiâ illuſtrari: ſed ubi filum ad Propertij ſales detorſerat Cupido, vidit cœleſtes mox evaneſcere Genios, ob-

*Epiſt. ad Euſtoch.*
*Epiſt. ad Fur.*
*Hom. 3.*
*S. Cypr. de ſing. Cler.*
*S. Hier. in cap. 31 Job.*
*Eccleſ. 9. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*
*L. de ſpectac.*
*Ruffin. l. 3. in vita Patrum.*

ſtupuítque eorum locò porcorum gregem, ab inferis emiſſum, ad hos jocos, veluti læta tripudia, grunnire, & grunniendo applaudere. Videte Sophi, quàm veſtris circulis dignos hæc Muſica attrahat Auditores!

LEUC: Attrahit, reor, & tentatores, qui non ſegniter vocati agent, quod agunt. Sed quod de conſuetudine tibi judicium? *MEL:* Paucis: hæc pejor Cacodæmone peſſimo: hic allicit ad malum, illa trahit; hic impellit, illa cogit, & quidem quò ſuaviùs, eò efficaciùs: nam facit nolle, quod velis, facit
*L.Conf.* velle, quod nolis. Percipe Auguſtinum, hujus Magicæ ſervitutis tam bene gnarum, quàm malè expertum: En! ùt probroſis conſtrictus vinculis gemat. *Suſpirabam*, inquit, *ligatus non ferro, ſed meâ ferreâ voluntate.* Et quæ malorum infauſta ſeries! *ex voluntate perverſa facta eſt libido: dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Et hæc eſt illa catena, quæ trahit Juvenes in profundum. Profun-
*Ep. ad Theodor.* dum intelligo, in quod, teſte Chryſoſtomo, veneris, *cùm peccatis aſſueveris*: profundum intelligo, in quod, *ſi veneris, contem-*
*Prov.* 18. *nes.* Et quod tanto malo remedium? quod tantis inferni ſpiculis obtendes ſcutum? eſt hìc invalida, ipſa manus Hectorea, brachiô opus eſt Omnipotentis. Nam Auguſtino Interprete,
*In Enchyr. c.* 82. *peccata quamvìs magna, quamvìs horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva creduntur eſſe, aut nulla.* Hinc Talpa ejusmodi
*Hug. Card. Lyr in text.* *contemnit Conſcientiæ ſtimulos, contemnit ſupplicia, omnem contemnit correptionem, pœnitentiam, & medicinam omnem*, ùt bellè Scholiographi advertunt. Hìc opus dexterâ Omnipotentis, nam ex-
*In Pſ.* 30. perto ſi credimus Auguſtino, *conſuetudinem vincere dura eſt pugna*:
*L. 6. de Muſ.* quia *ſecunda, & quaſi affabricata dicitur Natura.* Hinc meritò faſcinatis ejusmodi, triſtis Augur eſt Jeremias: *ſi mutare poteſt Æ-*
*C.* 13. *v.* 23. *thiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Nec per auxeſin hæc dicta exiſtimes: agnovit ipſemet Chriſtus in ejusmodi lavando Æthiope difficultatem: nullo labore, quia duobus ſolummodo verbulis, ſudo-
*Matth.* 9. rem mortis abſterſit Puellæ Principis: nam erat *recens defuncta.* At ubi pervenit ad Lazarum quatriduanum, fœtentem, hìc enimverò ille *infremere ſpiritu, turbare ſe ipſum, lacrymari, oculos ad Cœlum attollere*, tandem *clamare*, & quidem *voce magna clamare*:
*Joan.* 11. *Lazare veni foras*: & quod novum in Miraculo dicas Miraculum:

venit

venit Lazarus foras, ſed etiamnum *ligatus manus, & pedes,* etiamnum *velatus mortis ſudario,* necdum à vinculis liber, niſi novo Chriſti imperio, aliorum operâ aſſertum ſe denique vidiſſet in libertatem. Minor ſum Leucothee, ut hujus figuræ tibi agam Interpretem, percipe Africanum Oraculum: *difficultatem* Chriſtus *oſtendit ibi, infremuit ſpiritu, oſtendit multo clamore objurgationis opus eſſe ad eos, qui conſuetudine duruerunt.* Sed quamvis rarum, non tamen nullum in panacéa Aſcetica huic malo remedium. Medicamen porrigit Doctor Mellifluus, cùm dicit: *abſcindatur ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ conſuetudinis.* Alterum, & quidem melius, eò quòd malo huic præcaveat, præſcribit D. Hilarius: *vitia corporis non ſunt ſinenda creſcere: periculoſæ enim ſunt jam robuſtæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur.* Conſentit Auguſtinus, præclarus hac in re Medicus, nam curavit ſe ipſum: *quando naſcitur,* inquit, *cupiditas, antequam mala conſuetudo capiat robur, cùm parvula eſt, elide ad petram, hoc eſt Chriſtum.* Denique occaſiones malas, praváque conſortia quod ſpectat, Trojanam hæc eſſe machinam ſcito, è quo fraudes Juventuti præcipuas Sinon Stygius machinatur. Perire cupit, qui occaſiones fugere refugit: nam *qui amat periculum, peribit in illo.* Perverti cupit, qui non vitat perverſos: nam *amicus ſtultorum ſimilis efficetur.* Naufragari non horret, qui conſcientiæ cymbam, allidit ultrò ad petram ſcandali. Inquinari ſi renuis, ne tange picem: tentari ſi times, fuge tentationes, & noli quærere, quod eſſe quereris moleſtum. Facillimum huic malo remedium præſcribit Gentium Doctor: *fugite fornicationem*: in quæ verba, ſuo more bellam paraphraſin Auguſtinus: *cùm omnibus vitijs prædicaverit reſiſtendum Apoſtolus, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, reſiſtite, ſed fugite.* Hinc pro epiphonemate Juventuti acclamat: *apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam.* Sed tempus eſt, ut ad D. Cyprianum denuò revertamur: Magiæ hic Stygiæ damna ſat diu expertus, experiri hæc ſtatuit media: probavit, & approbavit, nobíſque reliquit hoc recipe cum ſua ſyngrapha: *probatum eſt.* En protrepticon! quo ille diſcursûs noſtri epitomen. Ad ſimilem nos animat pugnam, ut ſimilem reportemus victoriam: lege.

*In Cant.*

*In Pſal.* 136.

*In Pſal.* 136.

*Prov.* 13

1. *Cor.* 6.

*Ser.* 2. *in Dom.* 5. *poſt Trin.*

PRO-

# PROTREPTICON D. Cypriani Mago-Philoſophi, *Ad* *Juventutem Academicam, pro conſervanda Innocentia, contra hoſtiles aſſultus.*

*Ad arma Sophi, ad arma!*
*Minervæ Claſſicos citat hoc claſſicum,*
*Non ad avenam, ſed in arenam.*
*Sileant doctæ lites, ubi inſonant litui:*
*Removete epomidem,*
*Cùm Pallas porrigit clamydem:*
*Pro libro haſtam, pro toga ſagum arripite,*
*Vos armate.*
*Hoſtem ſi petitis, videri nequit:*
*Nam etſi Lucifer,*
*Lucem fugat, & fugit,*
*Hoc ipſo magìs inviſus, quia non viſus.*
*Hoſtis eſt unicus, ſed ſimul multiplex:*
*Nam ſemper idem, & ſemper alius,*
*Ut vobis proſit varietas,*
*Toties unum triumphaturis.*
*Fortis eſt, ſed & imbellis:*
*Nil illo debilius, ſi inſtatis;*
*Nil illo fortius, ſi ceſſatis;*
*Nil illo abjectius, ſi ſit victus;*
*Nil illo crudelius, ſi ſit victor.*
*Pugna mirabilis,*
*Mirabilior eſt pugnæ modus:*
*Nam*
*Victoriam in tuas partes inclinas,*
*Si pugnam declinas:*
*Hoſtem premis, cùm cedis,*

*Vincis,*

*Vincis, cùm fugis.*
*Mirabilis pugna!*
*In qua hoſtium cuniculos detegis,*
*Si per neglectum his non attendis.*
*In qua machinæ exploduntur in aëra,*
*Si diſſimulando exploditur Machinator.*
*Mirabilis pugna!*
*Ubi mox ab initio, ſi negas ingreſſum,*
*Totum abſcindis progreſſum:*
*Ubi ne quidem initâ pugnâ,*
*Jam completur Victoria.*
*Sed eſt & facilis pugna,*
*Cùm non majores ſint hoſti vires,*
*Quàm ipſi ſponte permittas.*
*Cùm vinci non poteris, ſi nolis:*
*Cùm vincere poteris, ſi velis.*
*Facilis pugna!*
*Cùm è pugnantis arbitrio*
*Pendet Victoria:*
*In quo quoties velis,*
*Hoſtem fundis, atque confundis.*
*Facilis pugna!*
*In qua volendo vinces nolentem:*
*In qua volendo is non vincet nolentem:*
*In qua cladem amovebis nolendo:*
*In qua palmam obtinebis volendo.*
*Sed & felix eſt pugna,*
*Ubi jam ante pugnam, pugnæ triumphat cauſa:*
*Ubi pugnanti ipſe commilitat Æther;*
*Et conjurati veniunt ad claſſica Divi.*
*Felix pugna!*
*Cujus certa in pugnantis manu Victoria,*
*Cujus ſpolia, exarmatus Infernus:*
*Cujus merces expugnatum* Regnum Cœlorum.
*Felix pugna!*
*Cujus labor* momentanea tribulatio:
*Cujus præmium* æternæ gloriæ pondus:

*Cujus pignus* Corona Juſtitiæ:
*Cujus fructus æternæ pacis Olivæ:*
*Cujus poſſeſſio DEUS.*
*Sed heu! ſortem præpoſteram!*
*Quid palmas commemoro ante pugnam?*
*Pæana intono ante Victoriam?*
*Terrent me Fata præterita,*
*Ut formidem futura.*
*Nam*
*Plures dedit Juventæ*
*Hucusque Cyprus Cupreſſos, quàm Lauros:*
*Paphiæ caſtra illi ſæpe caſtrum doloris,*
*Raròque ex arcu Cupidinis,*
*Arcum ſibimet erigit triumphalem.*
*Quæ dixi revoco:*
*Eſt difficilis pugna,*
*In qua tam rari numerantur Victores:*
*Ubi blanditur hoſtis, & occulta ſunt ſpicula:*
*Ubi inimici habentur, & putantur amici.*
*Eſt difficilis pugna!*
*Ubi exponi periculo, jucundum;*
*Ubi amantur tela, delectant vulnera:*
*Ubi dulcis eſt clades,*
*Vita tædio, Mors in votis.*
*Mirabilis, ſed miſerabilis pugna!*
*In qua plures cadunt, quàm feriantur:*
*In qua hoſtis ſi deeſt,*
*Ultrò quæritur, & invitatur.*
*In qua afferimus ultrò, & offerimus ſpicula,*
*Ut hoſtis poſſit ferire,*
*Et nos poſſimus perire.*
*Miſerabilis pugna!*
*In qua ipſimet hoſtes*
*Contra nos ipſos pugnamus:*
*In qua arma in nos ipſos convertimus,*
*In qua ſæpius cuperemus vinci, quàm vincimur:*
Tanta eſt perire voluptas!

*Sed & infelix pugna:*
*In qua ultrò colla ſubmittimus,*
*Sat abjecti, quia ſubjecti,*
*Per ſpontaneam ſervitutem.*
*In qua ultrò induimus vincula,*
*Nec dantur tot compedes, quot petantur.*
*Infelix pugna!*
*Cujus præda, Innocentiæ gemma:*
*Cujus ſpolia, Cœli jactura:*
*Cujus pignus, cor ereptum DEO,*
*Et conſecratum diabolo:*
*Cujus gloria, Chriſtus contemptus:*
*Cujus triumphus, animæ exanimatæ buſtum:*
*Cujus merces, infauſta æternitas.*
*Superi! quæ iſta pugna?*
*Adeſte Sophi, ſed eſte Sophi,*
*Implete nominis menſuram.*
*Hìc ſtantes deliberate,*
*Eligite.*
*Tam neceſſaria pugna,*
*Quàm neceſſaria vita:*
*Nam ipſa vita eſt pugna,*
*Quia* militia.
*Eligite!*
*Aut vincendum, aut moriendum.*
*Eſt facilis, & difficilis pugna:*
*Sapienti facilis, inſipienti difficilis.*
*Eſt felix, atque infelix:*
*Eligite:*
*Nam hujus alea* in manu veſtri conſilij:
*Tantùm opus eſt velle,*
*Et DEUS dabit perficere.*
*Ergò eligite:*
*Pugnabitis pugnam mirabilem,*
*Si tot factas Juventæ clades,*
*Veſtrâ gloriâ emendetis.*

# CIRCE PHILOSOPHICA,
*Seu*
# DISCURSUS IV,
*De*
## MAGIA DIABOLICA
IN SPECIE.

LEUCOTHEUS. Quæ hactenus Cultorem, hodie propemodum transfugam me vidiſſet Philoſophia: adeò diſplicuit epomis, ſi non niſi fictis conſuta ſit Poëtarum centonibus. *MELANDER.* Apertiùs loquere: an tibi ſtomachum Philoſophia? LEUC: Fateor: nam quæ me heri, te Interprete, circa Magiam docuit, dedocuit hodie, ita, ut quæ vera heri probaveram, hodie damnem ùt falſa, & vel Parnaſſo Peripatum, vel Peripato Parnaſſum ſuperſtructum eſſe penitùs mihi perſuadeam. *MEL:* Non loquitur ſine cauſa Philoſophus, multò minùs convitiatur: edic igitur, quid cauſæ ſubeſt, cur tuam nox unica mutârit mentem? LEUC: Stupenda, quibus apud Poëtas præcipuè Magia ſeſe jactat prodigia; hinc quia fidem ſibi nimiam petit, meretur nullam: audi quid de Circæis prodigijs ſparſim mollioris Poëſeos Magiſter:

*Si modò vult, poterit, confundere nubila Cœli,*
*Sique placet, puro fulget in Orbe dies:*

*Evocat*




*S. Gregorius Thaumaturgus, dignus hoc nomine, quia rarum inter Sophos Alexandrinos miraculum à ſe otium perpetuo ſtudio, ab aliis otij ſobolem amovit vitæ Caſtæ exemplo. Hinc ubi ſtudiis immerſum vincere tentator non potuit, à Circe aliqua victum finxit. Sed vicit utrumque Studiis Conjuncta virtus: nam calumniatricem, à dæmone mox obſeſſam, mox liberavit, meritò Thaumaturgus, quia dæmonum terror, et Stygiæ Magiæ victor. Ex Surio.*

*I. Melchior Gutwein sculps:*

*Evocat antiquis Proavos, Atavóſque ſepulchris,*
*Et ſolam longo carmine findit humum:*
*Illa reluctantem curſu deducere Lunam*
*Nititur, & tenebris abdere Solis equos:*
*Illa refrenat aquas, obliquáque flumina ſiſtit:*
*Illa loco ſylvas, viváque ſaxa movet.*

Non minora apud Maronem jactitat Megæræ nurus edentula, magnificentiùs, credo, quàm veriùs:

*Carminibus promiſit ſolvere mentes,* *L. 4.*
*Quas velit: aſt alijs duras immittere curas,* *Æneid.*
*Siſtere aquam fluvijs, & vertere Sidera retrò,*
*Nocturnóſque ciet manes, mugire videbis*
*Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.*

Sileo ſtupendas Metamorphoſes, quibus nunc apud Naſonem Circæa ſoboles; ſexcenta Naturæ penitùs inverſæ prodigia, quibus Eriſichton apud Lucanum; paradoxa quibus apud Claudianum Medea; inaudita monſtra, quibus Canidia apud Horatium jactabunda ampullatur, quibus fidem adhibere, quid aliud eſſet, quàm fidem abjurare ſaniori Philoſophiæ, fieríque ex Philoſopho anile veterum Poëtarum ludibrium. Hinc, ut candidè fatear, in ſuam Plinius me totum traxit ſententiam, qua *L.30.c.2* Magiam, ùt inane nomen explodit, Magorúmque oſtenta ad putidas Utopiæ fabulas ablegat. En! argumentum, Philoſopho de Natura tam bene merito non indignum. Neroni, inquit, ad perdiſcendam Magiæ Sophiſticam, ſcimus, nec defuiſſe ingenium, quia à Seneca ſat excultum: nec genium, quia ad quævis ſcelera pronum: non indolem, quia curioſam: non ſtudium, quia in inveſtigandis Magiæ fraudibus indefeſſum: non voluntatem, quia artis hujus perdiſcendæ cupidiſſimam: non facultatem, quia regijs ſuffultam opibus: non denique occaſionem, quia inter tot Magos, quos ex Armenia nobiliſſimos Rex Tyridates adduxerat, planè facillimam: & tamen nec illi docere, nec iſte quidpiam potuerat diſcere; ut vel ex hoc ſolo ſit manifeſtum, Magiam non niſi inani nomine Mundo notam, vanis ſolummodo veritatis umbris per Annales hiſtoricos nobis hactenus illuſiſſe.

*MEL.* Mediam, adeóque veram Philoſophiæ ſemitam

deſeris: Scyllam fugis, & incidis in Charybdim. Enimverò plurima, quæ de Magis feruntur, non modò inania ſunt, ſed & omninò ridicula, ac non niſi Æſopicis digna annalibus. Hoc nempe vitium humani generis, ut ſicut in rebus novis plebs fa-
*Ariſt. l.* 1 cilè credula, ita & ipſi in Peripato Sophi ſæpe fabulis, quia miri
*Metaph.* quidpiam continent, oblectentur. Quis enim, niſi cum Ovidio *ſomniet Aonijs bene potus, & ebrius undis*, quis credat metamorphoſes illas, tam dignas riſu, quàm Philoſophica indignas fide? certè, qui Diomedis comites in aves, Ulyſſis ſocios à Circe in beſtias mutatos ſibi perſuadet; qui fidem adhibet Medeæ prodigijs, quibus nunc Seni ſocero Juventutem, nunc ſibi volatile éſſedum, aurigante Dracone, velut nova Cybele dederat, næ iſte adeat veſpillones: nam ceſpite meretur tegi, cui cere-
*L.* 20. *c.* 4 brum ita ceſpitat. Hinc eſt, quòd Plinius meritò explodat Magorum figmenta, quibus volebant, nunc Æthiopide herbâ ſiccari amnes, & flumina, ejúſque contactu clauſa aperiri omnia:
*Plin.* nunc Alchimenide conjectâ in aciem hoſtium, trepidare agmi-
*l.* 25. *c.* 9. na, ac terga vertere: nunc per Látacem, à Perſarum Rege dari ſolitam Legatis, quocunque demum ij devenerint, rerum copiâ abundâſſe. Nunc Democriti medicamentis formoſos, & fortunatos generari liberos: nunc herbâ, quam Verbenacam nominant, perunctos impetrare cuncta, quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullíque non morbo facillimè mederi. Certè qui ita inſaniunt, utique herbis hujusmodi, ſed magìs helleboro indigere facilè convincuntur. Saniora ſuadet Philoſophia, quæ uti plurima contemnit ùt falſa, ita nihilominus multa miratur ùt vera: nam negare quæ de Magis Ægyptijs, de
*Matth.* Pſeudo-Prophetarum *ſignis, atque prodigijs* teſtantur Codices
24. ſacri, foret impium: explodere, quæ de Simone Mago, cujus fraus in Evangelio, aliíſque nefarijs referunt Annales Eccleſiaſtici, foret indignum. Quippe Orbi notum eſt, ſic Orbis Urbem, Sycophantæ hujus præſtigijs excæcatam, ut de eo dixerit:
*Act. Ap.* *hæc eſt Virtus DEI, quæ vocatur magna*: imò ut eidem erexerit ſtatuam hac Epigraphe: *Simoni DEO ſancto.* Quòd autem Stygius Alaſtor per Neronem nec unicum ediderit Magiæ experimentum, voluntas non defuit, ſed facultas. Non enim permittere poterat DEI provida Bonitas, ut ſummæ potentiæ, atque malitiæ, in purpurata hac tygride, accederet Magia, velut aptiſſi-

aptiſſimum, ad ſusdéque vertendum Orbem, ac pervertendos homines inſtrumentum.

LEUC: Age igitur, ſepara pretioſum à vili, Circen præbe, ſed Philoſophicam; volo dicere, per diſcurſum breviter doce, quid Magia poſſit, quid non poſſit: & quouſque ſe extendat Magiæ Stygiæ ſphæra, enucleatiùs modò proſequere, ac velut ex Ægerio luco vaticinantem Numam te auſcultabo. *MEL:* Votis tuis velificari, mihi ſemper in votis eſt: dicam, quæ temporis patientur anguſtiæ. In eo igitur conſpirant tam profana, quàm ſacra Doctorum Oracula, quòd ab Orco ejúſque confœderatis mutari non poſſit vel *Ordo Naturæ*, vel *Univerſi Leges*, à Conditore ſapientiſſimo poſitæ: ſi enim gemino Theologiæ Sideri Auguſtino, & Angelico credimus, pars poſſe nequit plus toto, neque decet, ut ordinem Naturæ mutare queat, niſi Author Naturæ, vel univerſi Leges refigere, niſi qui fixit, DEUS. Unde non niſi inaniter apud Senecam gloriatur illa, in aëre ventoſa nutrix: *Mare, Terra, Cœlum, Tartarus ſervit mihi, nihilque leges ad meos cantus tenent.* Inaniter, inquam, non enim poteſtas Stygia formam ullam accidentalem, ne dicam ſubſtantialem *immediatâ valet virtute producere*: nec ex quolibet quodlibet; nam univerſi Lege ſancitum eſt, ne res corporea immediatam ſubeat mutationem ab incorporea: non poteſt creare ex nihilo, cùm hæc ſit prærogativa infinitæ virtutis: non poteſt producere infinitum ullum actu, non vacuum, non quovis tempore effectum quemvis, non poteſt transferre res creatas non tranſito medio, non movere quantacunque remotas diſtantiâ, non in inſtanti, & quantavis celeritate. Rationem petis? quia Creaturæ à Creatore limitata eſt virtus. Denique non niſi contrarijs medijs impedire poteſt agentia, diſpoſitionibus debitis ad agendum inſtructa. Pone glorioſam Juvenum triadem in furno Babylonico ambulantem; vi directa indomitum elementum domat Creator, activámque hebetat caloris virtutem: contrà capillos Juli pone, vel ſervi Anagnini tunicam, medijs in flammis illæſam, & deprehendes, virtute ſolummodo indirectâ, adhibitíſque contrarijs, vel artificijs quibuſdam occultis, reſtinctam à dæmone flammæ voracis famen, ut malè credulas Gentes vanæ ſuperſtitionis laqueis irretiret. Paria nonnunquam præſtat humana induſtria: mantile de mollibus lapidum filis ex Caryſto petitis, & telæ inſtar con-

*Æt. verſ. 59.*

*Plin. l. 37. c. 4. Item l. 2. c. 107. Liv. l. 1.*

contextis furenti Vulcano objice, & non modò non devorabit avidiùs, ſed & purificatum vomet candidiùs. Magneti admove adamantem, & impedietur illicò vis attractiva ferri: Ignes collige, quos fatuos nominat Philoſophia, & videbis illos ſuper *Plin. d.c. 107.* hominum, equorúmque capita ſtare innoxios: cernes ex fonte Scantio erumpere flammas, illæsâ, quæ fontem contegit, & æternùm virente fraxino: deprehendes, poſt fera nubila ponti albicantem flammam, nautis S. Telmi nomine indicatam, malo inſidere amicam prorſus, & minimè violentam: imò ſi Claudiano fides & ipſum Æthnæ incendium *ſcit nivibus ſervare fidem, dum lambit contiguas innoxia flamma pruinas*, id quod non tam ignivomis imbribus, quàm celerrimo, ac violento aëris interjacentis motui, quo impeditur ignis activitas, ne vicinis ſeſe nivibus inſinuet, eſt adſcribendum. Ut adeò mirum non ſit, quòd plurima Orci genio media ſuppetant, quibus actiones cauſarum impediat, jíſque impeditis thavmaturgus veluti hiſtrio mortalibus illudat.

*De raptu Proſer.*

*Quid in Sydera, element.*

LEUC: Si magica poteſtas nihil in univerſi leges, ſi in ordinem naturæ nihil, ùt quid ergo toties perturbat ſidera, & propemodum ſuſdéque vertit quatuor elementa? audi apud Petronium gloriantem in extaſi Vetulam:

*Quid leviora loquor? Lunæ deſcendit imago,*
*Carminibus deducta meis: trepidúſque furentes*
*Flectere Solis equos revoluto cogitur orbe:*
*Tantùm dicta valent.*

*Vives coment. in l. 10. de Civit. Dei c. 4.*

Non igitur ad Moroſophorum Inſulas releganda penitùs Gens illa, quæ in flumine reſplendentem Cynthiam contemplata, in undas deſcendiſſe Deam, ſeſe lavandi ergò, crediderat; cúmque fortè fortuna Arcadicum pecus pellucidum turbaret undarum ſpeculum, ſimúlque nubes Lunam oculis quoque ſubdúceret, eandem ab aſino, vel devoratam, vel certè epotam tam firmiter ſibi perſuaſerat, ut miſerum animal in carceres tetros conjiceret, conjectum equuleo torqueret, & fruſtra denique tortum reſectâ alvo, ſidus ut Orbi redderet, penitùs exenteraret: an crudeliùs, an ſtolidiùs, penes te judicium eſto. *MEL:* Gens iſta utique ineptè, ut meritò illam explodat vel ipſe canis Æſopicus: nihilominus ſaga non ineptè modò, ſed & inaniter prorſus ſua ampullatur in arte: non enim Orco ſuffulta Magarum virtus vel

Cœli,

Cœli, Siderúmque curſus ſiſtere, impedire, vel mutare; non Lunam Cœlo detrahere, vel integrum Elementum loco ſuo movere, non partes univerſi præcipuas tollere, vel deſtruere: tam laxæ ſiquidem non ſunt Orco habenæ, ut poſſit turbare ordinem Univerſi. Id tamen non inficior, quòd conniventibus Superis, ſtupendum exerceant in Elementa Imperium, dicti vel ideò tenebrarum Principes, & aëreæ Poteſtates. Nunc enim Stygius Jupiter ſua dejicit non rarò fulmina, ubi nigrum in bivio pullum immolat, jactatúmque in aëra offert Magicus Sacerdos: nunc irruentibus hoſtibus, incantatione ſubita, tantæ offunduntur tenebræ, ut veluti novas Ægypti Talpas nullo negotio in fugam conjiciat Orco fœderatus Vexillifer: nunc immiſſo in terræ cavernas vehementi ſpiritu, vel agitato intrinſecus aëre, Tellurem ingenti tremore concutiunt novi ex Orco Enceladi: nunc fluvios ſiſtunt ad tempus, exſiccatis venis indurant fontes, ſcopulos, & ſaxa, novis fontibus è terra productis, diluunt: dirimunt aquas, & in caput repellunt, ut retrofluere videantur: nunc prodigioſa ex mixtis meteorologicis Naturæ monſtra efficiunt, mineralia aluminoſa in montium cavernis congregant, nitro comixta ſuccendunt, ſícque ſubitam excitant nubem, quæ in aërem elevata in imbres demum reſolvitur. Hiſtorias curioſo oculo luſtra, & videbis duo Brachmannis fuiſſe dolia, quibus apertis, velut ex Æoli antro, qua data porta venti, & imbres erumpere, clauſis verò redire, priorémque aëri reddere ſerenitatem. Miraberis apud Finnos, & Lappones, venales in nodis mercatoribus vendi ventos, quorum primo ſoluto placidi ſpirarent Zephyri, ſecundo vehementiores Euri, tertio omnium impetuoſiſſimi furerent Aquilones, ſolutíſque veluti vinculis, per maria baccharentur. Cernes ab Incolis Cycladum, dum calidiùs latrat Syrius, certis ritibus, ac hoſtijs molles Eteſias elici, ſícque ſuavi frigore ſqualorem, & ſterilitatem ab agris arceri. Obſtupeſces, Treviris ab octenni puellula (tam grandæva ætati teneræ eſt ſæpe malitia!) parvulam fodi in horto ſcrobem, effoſſam repleri aquâ, repletam turbidari bacillo, heteroclita quædam ex pacto lemmata admurmurando: & ecce! mox ſpiſſas glomerari nubes, tetráque caligine tantos in deſignatum locum imbres ſeſe effundere, ut ipſas Pleiades de Cœlo brevì caſuras crederes. Alias deprehendes lippientes anus, quæ gregatim

*Andr. Caſalpinus c. 11.*

*Haitonus in hiſt. Sarmatarum.*

*Plinius l. 2. c. 103.*

*Philoſtratus.*

*Olaus l. 3. c. 16.*

*Victorius l. 19. Var. lect. c. 21*

*Del Rio disquis. Mag. l. 2. Q. 11.*

*Remigius l. 1. dæmonolatr. c. 25.*

gatim ad oram rivuli, à Viatorum oculis maximè remoti, ſe congregant: mox una in flumen immittere ollam fictilem, præſtigiatorio pignore munitam: alia injicere lapides magnitudinis tantæ, quantæ cupit futuram grandinem: hæc ex candela cærulea defluentes affatim guttas ſtagno affundere: illa in lebete Stygia gyrare unguenta, vel medicatum pulverem in undas ſpargere: demum omnes nigris virgis, à nigriore genio ſuppeditatis, tam diu rivulum flagellare, dum denique ſurgant vapores denſi, & craſſiores fumi, quibus involutæ efferuntur in aëra ſublimes, & aurigante dæmone, vel nubes grandinibus turbidas, vel dolia nimbis, fulminibúsque referta in locum deſtinatum impellunt alacres; tunc enimverò *Omnia complent*

*Luc. de Eriſichto l. 6.*

*Imbribus, & calido producunt nubila Phœbo,*
*Et tonat ignaro Cœlum Jove.*

Imò mox dato veluti ſigno, furores imbrificos, grandinéſque fulminibus interpolatos tanto exonerant impetu, ut cœleſtem amphoram penitùs everſam, Jovémque novos de Cœlo deturbantem Encelados crederes, & Briareos.

LEUC: Tantáne ſit dæmoni, dæmoníſque aſſeclis Virtus? credebam hactenus, DEUM meritò proclamari illum, cui *venti, & mare obediunt.* MEL: Umbonem hunc, pridem pertuſum, tibi in manus dat Calcagninus: credis hoc meritò, & quis negat? dixi, fieri iſta non poſſe, niſi quando diſſimulat Numen, nec fortior Natura conatus dæmonis retundit, ne activa, ùt ajunt, paſſivis adhibeat: cúmque temperamentum frigoris, & caloris, quo meteora hujusmodi conſtant, optimè nôrit, quid prohibet, ne quod ordinario agentium concurſu fieret, extraordinaria eorundem compulſione efficiat? certè, a. ſic igne de Cœlis allato combuſſit Jobi Servos, & pecora: ſic vento valido convivantes oppreſſit. Sic imiſſo grandine vexavit Ægyptios: ſic teſte Hieronymo, & Auguſtino ſtantes in terræ angulis, impedient ventos, maxima mortalibus illaturi tunc detrimenta. At longè aliter DEUS: is enim verbo, & voluntate creaturas diſponit, cúmque fulgura vocat, & fulmina, veniunt clamantia: *adſumus.* Cùm mare increpat, fluctus obediunt, & conticeſcunt. Nec illorum opinio penitùs diſplicet, qui cenſent, non omnes tempeſtates, & ventos ope dæmonis oriri, utut perſuaſiſſima id putet Sagarum cohors:

a. *Job.* 1. *Andr. Cæſarienſ. in c.* 13. *Apoc. S. Th. & alij in Job.* 1. *Hier. l.* 7. *in Eſai. Auguſt. l.* 5. *contra Jul. c.* 3. *Apoc.* 7. *v.* 1.

nam

nam quando ex ordinario Naturæ curſu tempeſtatem prævidet dæmon, hæc ſua inſtigare poteſt mancipia, ut effectum hunc velint, conditiones ponant, ſibíque perſuadeant, ad ſuum hæc facta nutum, ſícque dum alijs cupiunt illudere turpiter, ipſæmet longè turpiùs illudantur.

LEUC: Si tanta poteſt vis magica in Orbes cœleſtes, & Elementa, majora poterit in bona fortunæ: nec fictè cecinerit Sulmonenſis olor:

*Carmine læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam,* *Ovid.*
*Deficiunt læſi carmine fontis aquæ:*
*Ilicibus glandes, cantatáque vitibus uva*
*Decidit, & nullo poma movente fluunt.*

*MEL:* Rectè arguis, & utinam id non triſti experientiâ, multiplicíq; damnô teſtaretur humanum genus! ſed quis fando enumeret innumeras ſtrages, quas implacabili odiô mortalibus infert Averni furor? cùm nobis nequit, nocet noſtris, cùm per ſe non poteſt, vexat per ſuos: nec bene eſt illi unquam, niſi ſit homini malè. Rei hujus tot pene ſunt teſtes, quot productæ in bonum hominis creaturæ: læta paſcua ſi inviſas, greges integros ſparſo, affricatóve veneno ſubitò peremptos lamentabitur Daphnis: armenta vel œſtro percita, vel obſidente malo hoſpite præfocata, præcipitata, aut diſcerpta non ſine gemitu vociferabitur triſtis Amyntas. Quin (quod utique ſtupendum) non nullas è ſtrigibus eſſe dicet, à quibus ſi impenſiùs etiam laudentur arbores pulchræ, lætiora paſcua, Paſtores vultu amœniores, pecudes cultu opimæ, vel ipſis laudibus, afflatâ veluti peſte, ſubitò emoriantur: adeò venenata laus eſt in ore peccatoris. Stabula, ſi lubet, horreáve ingredere, queretur Menalcas, evaneſcere ſubitò, alióque ſuos transferri acervos triticeos: dicet non ſine ſtomacho Galatea, Treviris crematam in rogo nuper edentulam, quæ impacto domûs ſuæ parieti epiſtomio, lactis alveum ſibi aperiebat, Stygio, nempe hirco affinium mulgente capras, & vaccas, eóque celerrimè lac tranſportante. In agros ſi te conferas, Cererem quoque cernes Magicæ lui obnoxiam: ſæpe enim hæ unguentariæ Sybillæ pulverem, ſuccúmve, è Cerberi, credo, ſpuma confectum, in maturas jam jam ſegetes ſpargunt, & mox erumpunt bruchi, erucæ, locuſtæ, & id genus aliæ agrorum peſtes, quas facili labore ex putri producit putridus plaſtes, laborémque Coloni an-

*Gellius l. 9. noct. attic. c.4 Plinius ſecundus hiſt. nat. 7. Del Rio diſq. mag. l.2. Q.12. ſ. 344. Remigius. l. 1. c. 21. & 24. ex illo del Rio l. C.*

nuum una nocte depopulantur. Non rarò è cavernulis provocant integra murium examina, quæ in radice germen omne depaſcunt, unáque devorant meſſoris ſpem univerſam. Multoties alliſo gramine, è cavitatibus arborum educunt lupos (dæmones puta lupina pelle indutos) qui in caulas adacti, non ſine maxima pecorum ſtrage revertuntur. Eſt & alia per incantationes in animalia Sagis poteſtas: notavit hanc Vates Italicus dum cecinit:

*P. Silius*

*Serpentes diro exarmare veneno*
*Doctus Atyr, tractúque graves ſopire chelydros.*

*Med. Act. 4.*

Nam *tracta magicis cantibus ſquammea latebris turba deſertis adeſt*, teſte Seneca: non enim Magis *inimica facit ſerpentum membra: accipiunt, ſinibúsque ſuis peplóque fluenti, oſculáque horrendis jungunt impunè venenis.* Sed parum foret, ſi Fortunæ ſolùm bona dæmon eriperet, niſi & bona famæ, quibus nihil homini pretioſius, inanibus ludibrijs obfuſcaret. Tradit certè fides hiſtorica, hunc Stygium Protheum, varias indutum perſonas, DEO ſubin altiori ex fine non prohibente, nunc in nocturnis orgijs repræſentâſſe abſentes, nunc piorum quoque (utut rarò admodùm) ſchemate larvatum, famam innocuam ludibriis expoſuiſſe: fuit certè qui D. Kunegundem de crimine ſtupri peſſimo ſic infamaret: fuit qui famam B. Euſtochiæ Virginis Patavinæ, poſitis clanculum in ejus ſinum magicis inſtrumentis, peſſimè laceraret: imò ſunt noſtris quoque temporibus, qui per energumenos inſontes ſæpe confundunt, vel revelando peccata occulta, vel quòd conformiùs mendaci Genio, falsò homines inſimulando, id quod Dorotheo contigiſſe Metaphraſtes eſt Author. Sic ludit, quos odit pios: quid dicam de Impiis, quibus favere ſe profitetur? nec iſtos ſegniùs ludit, cunctis perfidus hic Archimimus. Aſſueri convivia petunt Nurus Icaridæ: proponit, ſed inania, quia merè phantaſtica, ſurgúntque latrante etiamnum ventre famelici hoſpites, quia non niſi aurâ paſti Cameleontes. Deorum Ambroſiam, & pretioſas Cleopatræ dapes, nocturnis in orgiis, guſtare cupiunt: non abnuit liberalis hoſpes: oneratæ mox adſtant menſæ, ſed quibus ferculis? illis, quæ coquere renueret Megæra, nec ipſe, credo, utut famelicus lingeret Cerberus: nam adſtant menſæ, ſine pane & ſale (quod ſemper deeſt) inſipidæ: in lancibus putrida ſunt morticina; in cantharis fimi lacunæ: ſic qui Sybaritas ſe credunt, lautitijs innatantes, experiuntur

*Manlius. l. 5.*

*Apud Surium 5. Jan.*

untur ſe ſurgere Caballinos, equorúmque ſtercora in delicijs habuiſſe. Sæpe dignitates ſibi poſtulant Magici Thraſones: & licèt per Simoniacas fraudes, artéſque Magicas largiri has poſſet dæmon, obſtante tamen Numine, raro natant hæc poma putrida in gurgite vaſto: uni Simoni erectam legimus à Roma ſtatuam, unum hunc dæmon ſuſtulit altiùs, ut cadere demum poſſet profundiùs: cæteros deludere ſuperbus ſolet inani ſpe, próque ſceptro palum, pro corona rogum largitur, ut quò vixêre obſcuriùs, publico illuſtres incendio ſplendidiùs moriantur. Plerique à Dite Divitias ſperant, & aurifodinam ex ipſo Plutonis barathro eruere ſtatuunt: ſed quàm miſerè decipiuntur pomis aureis infelices hi Tantali! nam etſi auri formare glebam, cuderéque numiſmata non ignoret Alchimiſta Stygius; etſi occultis artibus crumenam emungere, ſpoliare ſcrinia poſſit furum vaferrimus; etſi theſauros nôrit abſconditos, ſubmerſáſque in mari divitias; etſi auri argentíve exhauſerit fodinas, & unionum gemmarúmque perſcrutârit latibula, tamen ne ſuos ditet, plerumque facultas, ſæpe deeſt voluntas. Facultas quidem, quia tantum ad mala illicium nequit permittere providum Numen: voluntas, quia ejusmodi divitiæ Filio perditionis, ad conſummationem ſæculi, commodiùs reſervantur. Quid igitur? an nihil obtinent aurei hi, auritíque Midæ nepotes? utrumque: aurum, ſed manu non niſi avarâ: aures, & plerumque longiſſimas, ſannas puta atque ludibria. Nam vellus aureum ubi cum Jaſone rapuiſſe ſe autumant, apertis oculis, vile corium deprehendunt: Heſperidum poma inveniſſe ubi ſe jactitant, inani cortice confunduntur: Pactoli nitidis arenis ubi ditatos ſe gloriantur, abſterſa oculorum fuligine ſcoriam vident, & obſtupeſcunt: adeò non omne, quod ſplendet, aurum eſt, præſertim Magis.

*Conſtantinus V. ſic dictus;*

LEUC: Ita eſt: negotiatores ſpurios decet moneta ſpuria, nugivendulos nugæ, ludiones ludibria: advertit me hactenus cambium, Magos inter & Stygem, illuſionibus plerumque perſolvi: hinc accidere nonnunquam poteſt, ut ſtertant in plumis Stryges, cùm credunt attonitos ſe pervolitare caminos. Imò ex Authoribus aiunt eſſe nonnullos, qui nocturna Sagarum tripudia non niſi in phantaſticis celebrari ſomniis ſuſtinent. Morpheum, inquiunt, Stygius mentiri Genius aſſolet, virguláque atras ex bile ſpecies ſic diſponit, ut extra ſomnia ſomnient, dum

minimè ſomniâſſe ſe credunt, dicúntque. Quin vigilantibus quoque ſic ſæpe illudit, ut extaticæ pervagari aëra, Bacchíque Orgijs intereſſe ſibi perſuadeant, dum intereà non niſi natitâſſe in ſicco, & nec pedem extra thalamum moviſſe deprehenduntur: hæc illi. *MEL:* Signanter ais, hæc illi: dicere, nî fallor, cupis, hæc illi Philoſophi, è ſaniore Peripato dudum nec ſine ſtigmate proſcripti, quia veritatis oſores, quia Magorum fautores, Sagarúmque protectores Lutherus, & Melanchton! prô quanta nomina, glorioſis illuſtriora incendijs, quàm à fumante Heroſtratus Epheſo! hæc, inquam, illi Philoſophi, quibus quævis dicendi libido ferrea, ſic dudum jam armaverat frontem, ut ſuſtineant immoti Doctorum torrentem. Quid enim? ſit: poſſe ſic decipi Magos, illuſúmque ſic ſubin Sagis: ergóne ſemper ſic luditur? vah! præpoſteram arguendi libidinem, quæ ſi tenet, vacillat ratio, ruit hiſtorica fides, manifeſtis nixa experientijs, fallit unanimis Nationum omnium, & ætatum ſenſus: quæ ſi tenent, injuſta ſunt tribunalia, frivolæ inquiſitiones, ſacra Themis ſacrilega, quæ ferro, & ſanguine extirpavit ſceleſta hæc Orgia, ipſæ confeſſiones Magorum, tot juramentis confirmatæ, fallunt turpiter, turpiúsque falluntur: quæ quis dicet, niſi Lutherus ſit, vel Melanchton, quibus impudens philoſophandi protervia dudum abſtulit non ruborem ſolummodo, ſed & frontem? falſitas iſta ut adhuc magìs protrahatur in lucem, lubet curioſos afferre ritus, quos in his Orgijs, neutiquam phantaſticos vulgârunt rei, ſcriptóque notârunt ſacræ Nemeſis Adminiſtri. Et imprimis quidem biduô ante Solennia Magica adeſt ex Orco Genius, quem volatica de tribu quævis proprium, cuſtodiæ ſuæ deputatum, habet, ac modò Magiſteruli, nunc Martinetti nomine appellat: adeſt, inquam, & Plutonis Amaſiam invitat à latere Legatus, locum indicit, & horam; impedimentum verum ſi adſit, excuſatur Hoſpes: ſi prætendatur fictum, non cogitur: luere tamen debet ſocordiam, dum interim tot obruitur tædijs, tótque doloribus cruciatur, ut quietis expers, cuncta quæ agit, agat Fato præpoſtero, telámque Penelopes irrito labore texere ſe deprehendat. Hora itineri deſtinata ubi inſonuit, mox intonat cornu curſorium præ foribus paratus Rhedarius, ſive dein aurigæ, ſive novi Pegaſi munera obiturus: ſine mora pudorem omnem exutæ, è ſtrato ſeſe proripiunt Lamiæ,

unguen-

unguentóque Magico, quod ex innocuo enectæ prolis inguine confectum aſſerunt, certas corporis partes, inſtrumentáq; rhedaria ex pacto, ſat liberaliter inungunt, conſopitóque vel deluſo per præſtigias conjuge, erumpunt foras. Cerneres hanc inſidentem colo per caminos avolare novam Icaridem: illam ad invidiam Dædali in baculo, virgâ, ſcopo, vel furca, velut molli éſſedo, fulminis inſtar, rapi per aëra: obſtupeſceres, ut hæc calcaribus ſegnem urgeat hircum; illa prehenſis auribus, vocéque alacri grunnientem animet porcum; alia in tauro, Europæ æmula, tranatet ſine remo aëreum pelagus: cunctas videres, aurigante dæmone, citiſſimè devehi *ad ludum*, ùt ipſæ ajunt, *bonæ Societatis*, ibíque molliter deponi coram hirco in circo. Locus iſte plerumque illuſtratur accenſo igne, ſed ut plurimùm tetro, & horrido: ſublimis in ſolio viſitur conventûs Stygij Præſes, & in forma quidem horrifica hirci, Suis, aut Cerberi, ut vel ex Præſide nôſſe queas conventum. Mox cultum exhibituræ latrevticum, propiùs ad olentem Majeſtatis hircinæ Thronum accedunt: nunc complicatis manibus ſupplices, nunc ſtantes obverſo tergore, nunc jactis in altum cruribus, candelas piceas in manibus tenentes, dignum hircô homagium præſtant, dum probroſa caudato Idolo infigunt oſcula, in ſignum præpoſteræ non minùs, quàm turpiſſimæ ſervitutis. Tum ſacrificijs, quibus magìs ſacrilega, etſi vellet, inſtituere non poſſet Orcus, datur initium. Sunt, quæ offerunt umbilicum occiſæ prolis: ſunt quæ maleficijs tabeſcentem aræ imponunt Sobolem: ſunt, quæ plùs quàm Scythica feritate necant vivas, enectas concremant, redivivo Moloch perfidiſſimæ in Orbe Gentis holocautomata renovaturi. Sed parum foret, ſi in mortales eſſent ſolummodo impij, niſi etiam in ipſum DEUM forent ſacrilegi: ſunt, qui Evchariſticum pignus, quò nihil divinius habet Æther, ad pedes hirci projiciunt, projectum mille ludibriis, auſúque diabolico proculcant. Sunt, qui non horrent ipſam litare ſpumantem in mari venerem: ſed horret calamus exarare, quæ mortalium fex ſceleſtiſſima non erubeſcit hîc perpetrare. Aras excipiunt menſæ, Idolothytis ſuccedunt fercula, ut dubites, an illa ſint magìs ſacrilega, hæc ſceleſta. Convivium præcedit benedictio, horrendis in DEUM blaſphemijs maledicta. Aſſidetur, comeſtur, bibitur: ſpumantes pateras, & coronatos Letheâ mephiti cyathos mi-

*Remigius. l.* 1. *c.* 14.

thos miniſtrant Stygij Ganimedes: ſub dapibus gemunt menſæ, quas ſæpe ſapidas, ſæpe inſipidas corvorum cupedias, è Megæræ culina, fuliginoſi afferunt Ephebi: ſympoſia nullo condiuntur ſale, niſi quem fœtentibus ex ſtagnis eructat Cyprus: pathici vomuntur joci, & ex ore illotò ſpumat ſaliva putrida: ructus Venerei audiuntur cum riſu, Paridis lites cantantur cum jubilo: & ne quid deſit Impietati, ſaginatos ventres ad tripudia levant leviſſimi hoſpites: raucam fiſtulam dum ex bifida arbore piloſus animat Satyrus, ducuntur choreæ, quarum peripheria ſtultitia, centrum eſt dæmon; larvati Amaſij in circum trahunt Amaſias, ſaltitant hirci, ſtrepitant Capræ, & ut præpoſtera agantur præpoſterè, nunc obverſis invicem dorſis, nunc junctis in orbem manibus, ſæpe fanaticorum in morem jactantes capita, nonnunquam ſulphureis inſtructæ facibus, incondita exercent orgia, quæ tandem in Floralia deſinunt, iíſque ſceleribus complentur, quæ à calamo Chriſtiano etiam memorari vetat Gentium Doctor. Denique ultimò coronant hircum, & ſua quiſque, à proximis patrata tripudijs, deprædicat ſcelera: magìs execranda laudantur uberiùs: minùs atrocia atrociùs caſtigantur, ut appareat, quanta vitiis debeatur gloria apud ſceleſtos. Interim dum in flammas abit, flammis dignum hirci archetypon, diſtribuuntur venefici cineres, & publicato Pſeudothei decreto his verbis: *ulciſcimini vos, alioquin moriemini,* ad ſua omnes vel redeunt, vel revehuntur: hirco ſubin recalcitrante, & ad ſacratæ campanæ ſonitum perterrefacto, ſuas in fimeta excutiente Icarides, dignô utique peregrinationis ejusmodi terminô. Et hæc extracta è præcipuis Areopagis Europæ, quot confirmata ſunt teſtibus, tot authenticis refutata ſunt teſtimoniis, quæ ſibi phantaſtica fingunt Sagarum orgia, Authores ſi non fanatici, certè ipſiſmet Magis magìs phantaſtici.

LEUC: Prolixiùs iſta, ſi quid curioſo Philoſopho poteſt eſſe prolixum. Scrupulus ſupereſt, quem mihi fecerat mox in exordio diſcurſus. Dixiſti, nihil Magiam poſſe in Naturæ ſtatuta, & ordinem. Revereor aſſertum hoc, quia tuum: & mihi ſufficeret Pythagoricum ἔφα, ſi Diſcipulum me malles, quàm Sophum: ſed quia hujus proprietas nihil credere, cuncta ſcire: age, nihílne Magia contra naturæ leges, & ordinem? reclamant unanimi calculo experimenta, quæ paſſim hiſtorici Annales. Pythago-

thagoram in duabus Urbibus, eodem tempore fuiſſe conſpectum, Origenes Author eſt: Stryges, catorum ſpecie, clauſas ingredi januas, penetrare tenues rimas, experientia teſtis eſt, utinam non toties oculata! taceo, quòd Domitiani oculis ſeſe ſubtraxerit Apollonius apud Philoſtratum; quòd Gyges, fictitio tectus annulo, latuerit apud Tullium Ciceronem. Sileo paradoxas metamorphoſes, quibus corpora transformant in alias ſpecies, oculato teſte Ovidio: *L.6.cont. Celſ.*

*Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras*
*Suſpicor, & plumâ corpus anile tegi.*

Et iſta non infirment principia Phyſica? iſta non infringant Naturæ leges? nec perturbent Univerſi ordinem? multa petis, ſi à Philoſopho hîc fidem petis. *MEL:* Nihil peto, quod fidem ſuperet, ratione phyſicâ ſuffultam. Nî enim hac nocte Morpheus tibi porrexit Lethen, ſcies, quæ à me herì principia. Nempe, quòd, quæ vires naturæ ſuperant, infernalis Ludio fingat, non faciat. Quòd ſi viſus, gemino ſimul in loco, Pythagoras, viſus eſt eſſe viſus, non fuit: nam alterutra Civitas per phantaſticam illius ſpeciem eſt deluſa. Iisdem ludibriis fallit Stryges: non enim hæ rimas penetrant, vel clauſa oſtia, ſed orci Genius præcedens tam latenter hæc aperit, ac claudit; feneſtras corporis earum capaces, dexteritate tam celeri movet, ac removet, ut facilè intromittat hæc ſcorta putida, quæ ejusmodi catos ſe falsò judicant induiſſe. Nec inviſibile reddit corpus, ſed veriore phyſicâ non viſum. Nam Apollonium vel celerrimè tranſtulit, vel interpoſito corpore, aut agitato aëre viſivas ſpecies impediît, ne adſtantium oculis illaberentur. Denique & metamorphoſes illæ meritò Naſoni, fabularum ejusmodi Architecto, ſunt adſcribendæ. Ut ut enim diffiteri nec velim, nec poſſim, quòd præſtigias ſimiles non rarò veri comitentur effectus, ipſa tamen metamorphoſis deluſoria eſt, ac inanis. Nec deſunt hiſtrioni Stygio media, quibus nunc repræſentet Camillam, picæ ſchemate, volitantem per aëra; nunc exhibeat Magum, lupinâ tectum effigie, irruentem in caulas, ac miſerabili ſtrage in innocuos furentem greges. Nam ſæpe verum corpus ſubſtituit, motis intereà Sagæ humoribus, ut atræ bilis exceſſu lupini affectus animum occupent, quod ſymptoma Machaones Lycanthropiam appellant. Non nunquam, abſente Mago, & in ſpecu abſconditâ ſoporato, ipſe-

met Cacodæmon, hæc ex aëre ſibi corpora format, ac induit: non rarò Lamijs ſuis ipſas ferarum exuvias circumdat, & aliquando ex pacto ſic aëreâ veſtit belluarum effigie, ut membra membris, quantùm patitur analogia, aptè accommodet: hinc nihil mirum, ſi verè ſaucias reperiamus in illo membro, quod in ferino corpore ictum exceperat, nam leviter ceſſit circumpoſitus aër, ſícque vulnus humano corpori poſtmodùm inhæſit. Quòd ſi tamen deluſæ Strygis abeſſet corpus, ſauciatur à dæmone in illa parte, quam in ferino corpore ſcit vulneratam. Neque patrocinatur Metamorphoſi Phyſicæ Nabuchodonoſor: nam præterquam, quòd DEI Digito debeatur hoc paradoxon, verior tenet Philoſophia, figuram humanam tantùm ex parte degenerâſſe in belluinam, ſic verò humorum temperiem, ſenſúsque internos, bovi factos analagos, ut bruti inſtar incederet quadrupes, veſceretur fœno, homines fugeret, degerétque ſub Dio miſer: effecit tamen divina Virtus, ut ſub belluinâ hac indole rationalis anima perſeveraret.

LEUC: Minuiſti ſcrupulum, necdum tamen ſuſtuliſti ex toto. Si Magia nihil in leges Naturæ, quo pacto, absque penetrationis compendio, ex ore hominis ſæpe ejicit, quæ in corpus immittere per leges Naturæ minimè licuit? memini, cùm Dilingæ me adhuc puerum excolerent Muſæ, fuiſſe Sodalem, familiariùs mihi notum, qui nunc eructabat calcaria integra, ſaxa grandia, cultros, & emunctoria: nunc evomebat fruſta vitrea, clavos, & acus ſat grandes, ſpinas, pilorúmque globos integros, aliáque ejusmodi, quæ deglutire ipſe Cerberus formidaret. *MEL:* Eſt hæc mira maleficij hoſtilis potentia, quæ nec unum jam fatigavit Philoſophum. Sunt, qui minora hæc inſtrumenta, dilatatione pororum, & organi extenſione ejici poſſe exiſtiment: ſunt, qui putent res grandiores inciſione corporis ſubtili ſic intromitti, ut demerſos ſomno nec ipſe dolor advertat: neque ſuperat Chirurgiam Stygiam iſta peritia, imò nec illam latent medicamenta, quæ vulnus ſic conſolident ſubitò, ut ne quidem appareat cicatrix. Alijs præplacet, eam Archimimo malefico attribuere virtutem, qua ſolidiſſima quæque non modò poſſit in minutiſſimas partes dividere, ſed diviſa mox denuò reunire, & eâ quidem ſubtilitatis promptæ induſtriâ, quæ humanum oculum non ſolùm fugiat, ſed & fallat. Me quod attinet,

tinet, à præſtigijs non ſemper immunem hanc, reor, experientiam. Nam poteſt dæmon ſic illudere ſenſibus, ut egeſti humores eſſe cultri appareant, maximè ſi ſubitò evaneſcant; vel quod veritati convenientius, poteſt veriſſimos cultros, occultâ virtute, in os ingerere, & mox apertâ egerere, quæ omnia panurgiæ Stygiæ ſphæram nec excedunt, nec ſuperant.

LEUC: Superſunt alia, quæ Cacodæmoni prærogativam adſtruunt ſupra Naturam. Nôrunt tribunalia Nemeſis, ſcelerum vindicis, quòd Fœderatos ex pacto, adamantis inſtar ſic ſæpe induret, ut inter equuleos læti, inter mortis tormenta immoti imbellem exprobrent ferro aciem, ſi minùs inſenſibiles, ad minimum inſenſati, & doloris omnis expertes. Nôrunt Martis Alumni ſpurij, imbelles vappæ, ſe ſtabilito cum Orco fœdere poſitos extra teli jactum, & Achille magìs invulnerabiles. Et quid ad iſta Philoſophica Circe? quo modo ſolvit hæc paradoxa, ut tamen ſalvet Naturæ Jura, nec diſſolvat ſtatuta? *MEL:* Prætergreditur non rarò dæmon Naturæ leges, utut nullam transgrediatur. Hæc à dolore immunitas, originem ſæpe trahit à pharmacis, opio, ſolano, & alijs, quibus humores turbat, ſoporem conciliat, nervorum origines obſtruit, ſenſus ſtupefacit, ſenſationémque impedit ipſa etiam Ars humana. Certè Cardanus eſt Author, quòd ab Empyrico quondam Gallo ſibi exhibitus lapillus, cui cùm acum ingentem affricuiſſet, nullo dolore brachium penetrârit. Et nunquid erit difficile Botanico Stygio, ejusmodi lapillos, vel herbas conquirere, coctóque per Megæram medicamento, paradoxum ſuis induere ſtuporem? hinc falluntur inſulſæ Lamiæ, ſi hanc virtutem cineribus, inguini infantis, ante baptiſma enecti, deglutito apum Regi, vel alligatis corpori membranulis, cum certo characterum genere, aut etiam ſuſurrato malo carmini tribuant. Falluntur Mavortis probra, ſi ſe vulneribus exemptos putant, eò quòd arma certo ritu incantent, ſacrilego auſu Crucifixi imaginem compungant, vel ſi periapta quædam ferant, characteribus Magicis inſignita, vel ſi orationes deblaterent, quas inſignitas *magnis*, ùt loquuntur, *DEI nominibus*, Divo Leoni, vel Carolo Magno blaſphemo mendacio tribuunt. Falluntur, inquam, nam hæc ſigna ſunt tantùm pacti ſceleſti indicia, quibus poſitis ex Medeæ pharmacopolio Stygia applicat medicamenta, aut per aſſiſten-

tiam ictus excipit intentatos, aut aliò divertit, aut per impulſum contrarium hebetat, ſícque efficit non vulneratos, minimè tamen invulnerabiles. Senſit hoc ille Philoſophus, qui cùm interula Magicâ, varijs notis inſcriptâ ( quam *inferni camiſiam* vocant ) fretus, audacter ſe jurgijs immiſcuiſſet, ſæpe ictus non ſapiît, quia nunquam ſaucius, dum tandem inter ſympoſia, minimo vulnere corruit interemptus: nempe DEO frangenti fidem, jure fidem Styx frangit eidem.

*Del Rio. l. 2. diſq. Mag. Q. 21.*

LEUC: Eodem in foco Magiæ Stygio ſuccos excoqui, reor, quibus ſopores inducit hic Morpheus, ultra ſæculum diuturnos: quibus roborare hominem poſſit, ut inediam longiſſimo tempore perferat: imò quibus etiam in primam quis redeat Juventutem. *MEL:* Sopores ævo longiores quod attinet, nulla premit hìc difficultas, cùm naturali virtute id fieri poſſe docuerit, diſcuſſa jam alibi Morphei virgula. Nec de inedia, in multos menſes continuanda dubium ſuppetit. Cur enim ignoret dæmon herbarum virtutes, conſervando vitæ vigori accommodas? certè noſtro etiam tempore, conſervatam novimus, è devoto nimiùm ſexu, Thavmaturgam Vatem, quæ aromaticâ quotidie pilula, à larvato lucis Angelo paſta, in biennium ſine cibo vitam extraxit. Cur præſtare is nequeat per ſolertiam, quod præſtari poſſe intelligit per Naturam? profectò, ſi qua fides Hiſtoriæ, apud Indos herbam eſt invenire, *Coca* nomine, quæ famem pellit: circa Bœream apud Indos herbam colligunt Scythæ, guſtatu prædulcem, qua ore retentâ famem, ſitímque non ſentiunt. Puellam teſtatur Juſtinus, ultra undecim annos cibi nil admiſiſſe: alia Authore Cœlio Rhodigino, ſolius aquæ hauſtu, expers cibi, vitam protraxit. Imò, ùt dixi, teſtis eſt ipſe Philoſophus, fuiſſe hominem, qui totâ vitâ cibum non ſumpſerat, Sole tantùm, quem continuò ſpectabat, contentus. Quæ ſi vera, ùt vera ſuadet certa urſorum, gliriúmque inedia, non habebit ſpartam difficilem Stygius Mæcenas, ut absque alimenti impendio, ſuis vitam protrahat alumnis. Illud altioris indaginis, an temporis præteriti reparare vigorem, ac reſtituere Senem Juventæ poſſit? ſunt, qui Poëticæ licentiæ adſcribant, quod Ovidius de Æſone. *Barba, comaq;*

*Mindelhemij. año 1714.*

*c. 2. a. 7.*

*l. 13. c. 24*

*Canitie poſitâ nigrum rapuêre Colorem,*
*Pulſa fugit macies, abeunt pallórque, ſitúsque;*

*7 Metam.*

*Adjectó-*

*Adiectóque cavæ ſupplentur corpore rugæ,*
*Membráque luxuriant. Æſon miratur, & olim*
*Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos.*

Alij contrà intra naturæ limites, virtutíſque Angelicæ ſphæram,
hanc eſſe judicant metamorphoſin. Percipe, quibus illi Theſin
ſuam columnis firment, ac fulciant. Juventutem Aquilæ re-
novari nemo negaverit, niſi qui Pſalmiſtæ Regio rumpat fidem,
qua cecinit: *renovabitur, ùt aquilæ juventus tua.* Imò & viliſſi- *Pſ.* 102.
mis animalculis hunc à Natura favorem non denegari, fatetur *v.* 5.
Peripatus, cùm ſerpentes, exutâ leberide, novam induere ju-
ventutem, híſce oculis videt, ac ſtupet. Cur ergò hujus be-
neficij ſpem homini Hebe Noverca præſciderit? abſumpta fortè
vis omnis per imprudentiam Ganimedis, qui pharmacum adeò
ſalutare, à Jove mortalibus miſſum, ſerpenti propinaverit ebi-
bendum? Et ſanè lateat nos iſta virtus: multa Angelicæ menti
ſunt cognita, quæ tamen incognita humanæ. Sed quid dico in-
cognita? nî enim hiſtoricam fidem, uno verbulo, malignè ju-
gules Lacon, habebis teſtes, qui huic veritati non modò ſuf-
fragium ferent, ſed ad ejus Aram & grallos, & canos, velut a-
nathemata fidei ſuſpendent. Monſtrabit Hiſpania Abbatiſſam, *Sagunti.*
anum licèt annoſam, cui ſubitò renati dentes, comæ mutatâ *Nier. l.* 8
canitie nigricantes, rugæ depoſitæ, facies florida, & roſis picta, *c.* 9.
adeò, ut inter juvenes ſeniorem ſe videns, & juniorem, præ pu-
dore quæſiverit latebras. Et ipſa India Neſtorem proferet,
ter ſenem, & juvenem, nam poſt ſæculi ſenectam ter illi re- *Plin. l.* 7.
floruit juventus. Ibidem, ubi nullæ viſuntur umbræ, ho- *c.* 2.
mines annos explent centum & triginta, nec tamen induunt ſe-
nectam, ſed medio ævo emoriuntur. Sic conſtat, ante Orbis
naufragium in cataclyſmo, homines ſuperâſſe annos nongentos. *Petrus*
In novo Orbe geminam Inſulam detectam ajunt, uni Bonicæ, *Chieza*
alteri Lucayæ nomen dant Incolæ, in quibus fontes eſt reperire, *hiſt. Per.*
quorum aqua haurientibus reſtituit denuò juventam. Imò in *c.* 41.
lacu Mommonico Boreali, duas inſulas aperit Natura, ſupra Na- *Nier. de*
turam propemodum prodigioſas: nam majorem nulla ingredi- *miris*
tur fœmina, quæ non illicò moriatur morte; experientia in ani- *Eur. l.* 2.
malibus quoties capta, toties confirmata. In minori verò, cui *c.* 1.
*viventium* Nomen, Mors fugit etiam invitos: ſic hebetata hîc
mortis ſpicula, ut hactenus neminem vulnerârint. Corripit ta-

men incolas ſenectus, & turba morborum pediſſequa, quos ſi, abjectâ ſalutis ſpe, lethales judicant, cymbæ imponunt ægros, in aliam Inſulam devehendos, ut dolorum ſimul, & vitæ finem inveniant. Non commemoro arbores, quot annis ſenes, & è ſenibus juvenes: non cadavera aromatibus condíta, quæ licèt putredini magìs obnoxiæ, quàm vivorum corpora, à lue tamen tabificâ ævum immune exigunt. Id ſolùm colligo cum hujus Sententiæ Ephoris, ſi fide probabili conſtat de hujus effectu virtutis, vel ſaltem non multùm abſimilis, etſi ipſa virtus nos lateat, cur illam divinare nequeat Ariolus Stygius? quæ chymæra in pharmaco, quod humidum radicale reſtauret, ſenectæ temperet ariditatem, corrupto ſucco meliorem ſufficiat, colorem crinium mutet, cæteráque ſuppleat ad tempus? equidem apertis oculis nulla video cornua, quibus Naturæ leges infringeret Hircocervus. Nec mihi oggeras, ſic vitam homini denique perpetuandam, quod jactabat Thraſo ille Ægyptius, quem pridem Galenus jam debellavit: nec, inquam, hoc mihi oggeras, nam Admeti bobus, & ipſo Aurigâ Hercule foret opus, ad extrahendam ejusmodi ſequelam. Dixi, hæc ſupplenda ad tempus: nam ſenſim ſic fatiſceret Naturæ vigor, ut reparando non ſupereſſent remedia, quod ipſum de Paradiſi pomo plerique aſſerunt Authores.

LEUC: Supereſt, ut quid tandem in hominem, animámque corpori conjunctam, Magia poſſit, pro diſcursûs complemento edoceas. *MEL:* Dabo epitomen. Senſus mille ludibrijs fallere poteſt infernalis hic Ludio: nunc enim ſpiritus excitat, phantaſticas ideas perturbat, ut videre te putes, quæ minimè vides, apertíſque oculis cæcum te fatearis. Nunc ſenſûs interni quoque commovet organa, ut variæ ſeſe levent tentationes; hinc etſi philtris cogi nequeat voluntas, poteſt tamen Alaſtor Stygius ſic turbare facultatem phantaſticam, concitare humores, inflammare interiùs membra, ut admotis tentationum illecebris, veluti totidem machinis quis laceſſitus, œſtro quodam libidinis divexetur: quòd ſi inſuper Proci ectypon continuò phantaſiæ oggerat tentator; ſi quæ digna callidè occultet; vel ſi in iſto rerum articulo, accedat Amator maleficus; ſi piſcetur in turbido, ſuetíſque artibus iteratos tentet aſſultus, quid mirum, ſi permittente Cœlo, Arx tot furijs oppugnata, tandem lamen-

lamentabili Fato & expugnetur? poteſt ſecundò memoriæ vires vel augere, vel diminuere: nam ſubin adjuvat remedijs phyſicis, ùt Podalyrius; vel opportunâ ſuggeſtione, ùt Archimimus; vel artificio, & præceptis, ùt Archididaſcalus: ſubin ab ipſo organo repellit noxia, proficua applicat, ſícque roborat cerebellum, ut quàm fortiter ideas retinet, tam fideliter rurſus reddat: ſubin contrarijs omnibus vires memoriæ atterit, Letheámque inducit oblivionem. Sed & aciem intellectûs, pari Fato, vel acuere poteſt, vel hebetare: ſi enim ex organi vitio naſcatur ſtupor, purgando ſpiritus, craſſos depellendo humores, cerebrum perficiendo, acumen intellectui dabit, & ex trunco ingenioſum ſculpet Mercurium: contrà, ſi Cœlum conniveat, humorum craſſitie, ſpirituum imminutione, antiquas facilè immittet tenebras, aut organi attritione ſtupidum formabit Arcadem, vel Magicis pharmacis, de poteſtate mentis dejectum, in morotrophij ergaſtula compellet. Sunt, qui ſuggeſtione celerrimâ, doceri ſcientias velint ab hoc Orci Magiſtro: ſive dein formâ viſibili ſe ſiſtat Inſtructor; ſive formatas in aëre ideas objiciat oculis; ſive locutione etiam internâ intellectui non tam illuceat, quàm illudat. In eo convenit inter Authores, voluntatem à deſpotica Magiæ tyrannide ſemper immunem. Per objecta allici poteſt, non tamen trahi: per viſiones phantaſticas, ſensúsque interni commotiones inclinari poteſt, non cogi: Domina eſt, nec niſi volens, conſtringitur vinculis, trahitúrque in ſervitutem. Imò cuncta, quæ hucusque de Magicâ poteſtate in medium attuli, ſic intellexeris, ſpero, ùt illa proponit intelligenda præfixum diſcurſui Symbolum. Dixi, & repeto illam Melliflui gnomen: latrare poteſt hìc Cerberus, mordere non poteſt niſi volentem. Conſtrictum tenet Moloſſum hunc Stygium Dextera Omnipotentis: nam *potis illa ligare potentem*: hinc, *quàm multum ille poteſt, tam nihil ille poteſt.* Patimur tentationes (*nam ita placitum eſt coram ipſo*) ſed tantas, quantas poteſt noſtra ferre fragilitas, non quantas valet inferre Stygis poteſtas. Veritatis hujus certos omnes nos voluit Divina Providentia, dum non modò probis, ſed etiam improbis hoc miſit Autographum, manu Apoſtoli exaratum: *fidelis eſt DEUS, qui non pa-* *1. Cor. 10*
*tietur vos tentari ultra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam* (modò veli- *v. 13.*
mus) *cum tentatione proventum.*

LEUC:

LEUC: Suo, reor, id quoque calculo roborabit D. Gregorius, quem huic diſcurſui thavmaturgum præeſſe juſſeras Patronum. *MEL:* Non falleris: & quia ſponte jam filum porrigis, dicam, quas hic Sophus in Peripato quondam, à debellata Circe, adoreas tulerit. Pontus Euxinus huic Philoſopho vitam dedit, is Patriæ reddidit vitæ Fructus, famæ ſplendorem: natalis illius civitas, natales traxit à Cæſareo Stemmate: nam ob ſitûs amœnitatem Neo-Cæſareæ nomen acquiſivit à Cæſare. Jam in infante Natura ſuum partum obſtupuit, quia thavmaturgum: nam nihil in pucro vidiſſes puerile præter ætatem. A teneris ab ijs abhorruit, quæ deperire ſolet Juventus: nil equi, nil venationes, nil ludi, ſive deliciæ in Gregorium poterant, quia crepundia: adeò mollem animum firmârat virtus. Sed, quod noſtro tempore fors paradoxum, etiamnum Ethnicus, Nutrici geminæ conſecravit Juventam, *Sapientiæ*, & *Caſtitati*. Ab his Philoſophiæ ſubin commiſſus, tam felici progreſſu, ut quæ alijs Magiſtra erroris, huic Chriſtianæ extiterit Mater Religionis. Illud legimus de illo elogium, quòd præter maculam Originalem, nil ſordis attulerit ad baptiſmum. Quid ergò mirum, quòd à ſordibus lotus, & per baptiſma magìs lavatus, etiam alios lavare cœperit Chriſtianus? Alexandriæ Ægypti frequentabat Peripatum; placebat Philoſophia, ſed diſplicebat Philoſophorum vita: videbat geminam ſuam ſperni nutricem Sapientiam, & Caſtitatem: videbat, & dolebat, à Philoſophis, in turpi otio, non celebrari, niſi continua Sabbatha, & dies Veneris. Refutari ſtatuit hos errores ſuo exemplo: ſic ſtuduit, ut citiùs Jovi fulmen, Herculi clavam, vel Homero verſum ſubtraheres, quàm huic librum, ſeverioris Minervæ ſpolium: ſic ſtuduit, ac ſi ſtuderet pro omnibus: nam in hoc uno colligebat induſtria, quod per otium perdebat in cæteris. Sed & ſtudio junxit virtutem: tantâ vitæ præluxit integritate, ut Alexandrini Philoſophi in illo ſua cernerent vitia, eò quòd cernerent in illo nullum. Sed cùm nihil proficeret vitæ exemplo, ſtatuit rem aggredi verbo, ut eſſet potens, verbo ſimul, & opere. Acriter ille, nec ſine lixivio, ſæpe lavabat ſordida Sophorum colloquia, moréſque colloquijs ſordidiores. Habuit res iſta malè hos malos Philoſophos: habuit pejùs, malorum Authorem, peſſimum dæmonem. Fabam cudit Stygiâ Magiâ dignam,

*Ex Surio.*

gnam, ſed quæ Talionis pœnam Authori. More ſuo, in docto Sophorum circulo, diſputabat Gregorius: cùm ecce quarta ex Orco Furia advolat, infame Scortum, ut de ſcelere Innocentem infamet. Petit illa, ſine fronte, à Gregorio commercij laſcivi ſtipendium. Hìc obſtupeſcere omnes hanc inſolentem proterviam: ſolus Gregorius, quaſi alium infamia tangeret, non moveri, pergit cœptum urgere diſcurſum, indignum Philoſopho ratus, ſi diſcurrendo cum ſanis, vel verbulo ad inſanam excurreret. Sed oblatrat canis maledica, magíſque effrons, & ſtrepera, pudoris pretium non jam poſtulat, ſed majori tumultu expoſtulat. Tum denique indignari omnes, ſolus Gregorius ſine motu, hæc modica Familiari ſuo in aurem: ſolve naulum moleſtæ ſoboli, ne ſtudia turbet, doctáque perturbet colloquia. Dictum, factum: recepit illa malitiæ pretium, ſed & pretij recepit malitiam: nam mox à Dæmone in pœnam pretij obſeſſa, liberari non potuit, niſi cantatâ palinodiâ, & quidem Exorciſtâ Gregorio, qui in uno Miraculo ſe demonſtravit multiplicem Thavmaturgum, quia nempe ſuperiorem infamiâ, otij expugnatorem, domitorem dæmonij, & quod omnium maximum, victorem mulieris, dæmonio pejoris, quia laſcivæ ſimul, & calumniatricis.

LEUC: Imò, niſi tuus me fallat diſcurſus, de thavmaturgo iſthoc Philoſopho id jure dixerim, quod de Malachia Mellifluus: inter tot,& tanta Miracula, maximum Miraculum, quod fecit, ipſe fuit. Utinam in me quoque exereret vim thavmaturgam, ut, eliminato otio, & ego, & mihi ſimiles Sophi, eſſent tandem Philoſophi, volo dicere, Sapientiæ Candidati! *MEL:* Modeſtiam probas, quia de te ſolus tu adeò demiſsè. Id tamen non poſſum non tibi confidere ſub roſa, *Veternum, & Philtrum Philoſophorum plerumque faſcinum.* Sopiuntur veterno, ut Sapientiam negligant; corrumpuntur philtro, ut deſerant integritatem. Hæc Hydra Magiæ biceps, quam ut debelles, Gregorio opus eſt, ſed thavmaturgo. Age, quis fando enumeret infandas ſtrages, ab otio nunquam non Peripato illatas? interroga, ſi lubet, Mellifluos, & otium dicent tentationum colluviem, ſummam mentis malitiam, malorum omnium ſentinam, mortem animæ. Dicent Dæmonis januam, qua illicitas cogitationum illecebras, etiam puriſſimis mentibus inſtillat. Chryſoſto-

*Serm. 8. in Purif. B. V.*
*Idem l. 1. de Conſid.*

*Hom. 16.* ſoſtomos conſule, & otium appellabunt malitiæ non modò partem, ſed cauſam totam, omniſque mali radicem: nam, Auguſtino Interprete, per otium accendimur ad luxuriam, animamur ad ſuperbiam, ducimur ad Mundi gloriam. Omnium, quot quot in Prytanéo aluntur Sophi emeriti, exquire ſententiam, & otium dicent Naturæ pudorem, ſentinam familiæ, hoſtem Artium, ignorantiæ Magiſtram, Genitricem inopiæ, curarum prodromam, ingenij noctem, morborum fomitem, animi lethargum, pudicitiæ peſtem, virtutis exilium, vitiorum hoſpitium, temporis tineam, dæmonum præſidium, animæ proditorem, terræ probrum, Cœli dolorem, Numinis odium, hominis vivi ſepulchrum, mortui barathrum. Quid addam exegeſi huic, ſine addito prolixæ? illud, quod addit conſtans experientia, otium eſſe luem Peripati contagioſam, Profeſſorum tormentum, Diſcipulorum excidium, quod Chriſti vineæ tot eripit Plantas, quot plantat lolia, ſteriléſque progenerat urticas: *tranſivi per agrum hominis pigri, & ecce! totum repleverant urticæ.* Illud addo, quod addit Doctorum Angelus Aquinas, otium eſſe diaboli hamum, cujus tale illicium, quod omnia alia illecebrarum genera comitantur.

*Ser. 16.*

*Apud Engelgr. to. 2. in Domin. Sept. §. 1.*

*Prov. 12. v. 30.*

*Bonnefons in vita 7. Martij.*

LEUC: Superi! quale monſtrum, Gorgoneo ſuppar, Cerberíque è ſpuma pullulans, tu mihi in otio adumbras? jam non miror in thavmaturgo Gregorio tantum otij odium: ſcivit nempe Nutricis geminæ, quam à cunabulis coluit, ſupremam perniciem, *Sapientiæ* ſcilicet, & *Caſtitatis.* Capio fœdus mirabile, quod inter ſe habent Sophorum vitia, & virtutes: quippe memini illius paræneſis, quam ipſe mihi ad Philoſophiæ meæ exordia: fuge otium, ajebas, ſi vis habere remedium contra Cupidinis tela, quæ non niſi induſtriæ clypeo repelluntur. Luxuriam ſcito ſobolem, cujus Mater eſt otium, Pater diabolus, conjugij vinculum, catena integra vitiorum. Contrà Sapientiæ ſoror eſt vitæ integritas, ambæ pro genitrice agnoſcunt Induſtriam, eámq; veluti filiæ coronant. Tam arctum eſt fœdus inter profectum in litteris, ac virtute, ut unus alterius veluti menſura, atque index characteriſtica, quæ rarò fallit: nam Sophos magìs induſtrios, notavi hactenus magìs probos; & plerumque ex litteris virtutis arguo progreſſum. Hæc ex tuo ſenſu, ut videas, quantum tua verba apud me pondus, & pretium. *MEL:* Placet,

quòd

quòd ventos non paſcam, ſi tibi loquor: & ut majus adhuc pondus addam meæ parænesi, illud tuo frequenter animo obverſetur, cujus nunquam ego memini ſine gemitu. En! quot non labores exhauriunt improbi, ut probos ſeducant? quot non moleſtias devorant Magiæ teterrimi Candidati, ut Pijs noceant, nullum aliud petentes Minerval, niſi multorum interitum? quot non ſtudia inſumunt pravitatis hæreticæ Baccalaurei, ut errorem in ſolio nutantem firment? quot non curas exantlant, Calvini Sophiſtæ, & Magiſtri Islebici Magiſtelli, ut peſtilentiæ ſtabiliant cathedram? ipſe Stygius Archi-Didaſcalus quid non tentat, ut omnes tentet? quid non molitur, ut Chriſti Regnum demoliatur? quid non agit, ut omnes agat in præcipitium barathri? nil tam arduum, quod non perrumpit: nil tam ſanctum, quod non corrumpit: nil tam moleſtum, quod non ſuffert: nil tam humile, quod ſuſcipere renuit Superbus, modò noſtra procuret diſpendia, & per nova tormenta, noſtra promoveat detrimenta. Et nos Philoſophi hæc impunè? ſtertimus, ne hoſtis pedicas advertamus: dormimus, ne illius turbemus vigilias: jocamur, ut ille ſeriò nos pervertat: tempus deperdimus, ut nundinemur pro lucro peſſimam æternitatem.

LEUC: Et quod veterno tam noxio tu præſcribis Alexi-Pharmacum? *MEL:* Lethale eſt hoc ſymptoma: rarò proſunt remedia. Niſi enim tot otij damna aurem ſtertenti vellicent, fruſtra tonabit Jupiter, diſſipare non poterit hunc veternum. Illud tamen hìc velim advertas, *Otium negotioſum* omnium peſſimum. Sunt, qui *otioſis cogitationibus* animum occupant, de quibus Salomon: *ſolummodo hoc inveni, quòd fecerit DEUS hominem re-* *Eccl. 7.*
*ctum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Sunt, qui *verbis in-* *v. 30.*
*utilibus* tempus terunt. His verba hæc Chriſtus, minimè otioſa. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint* *Matth.*
*homines, reddent rationem de eo in die judicij.* Invenies qui *inutili* *12. v. 36.*
*opere* horas fallunt: honorum umbras venantur, divitiarum colligunt ſpinas, voluptatum ſiliquis inhiant: de quibus Regius Pſaltes: *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Videbis, qui malè agendo pretioſum tempus comburunt: & hi mi- *Pſ. 75.*
nùs nihilo faciunt, hoc ipſo quòd aliquid faciant: minùs otiaren- *v. 6.*
tur, ſi nihil operarentur: hinc non inaniter concludit Chriſtiano-Ethnicus Seneca, totam hominum vitam propemodum o- *Epiſt. 1.*

 *ad Lucil.*

*Staplet. text.2.in Dom. Sept.* tioſam, dum ait: *Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Verbo: ſicut Ephebuli, qui erigunt luteas, vilia tecta, domos; qui equitant in arundine longâ; qui muſcas cum Domitiano venantur, ſuo ſenſu Capitolium fulciunt, utut noſtro judicio nugentur, & otientur: ita omnes occupationes terrenæ, in quibus gloria DEI, vel Proximi, aut noſtra ſalus non quæritur, etſi Regni negotijs, & Imperij curis annumeres, Divino oculo nugæ, Angelis ſomnia, Sapienti cuique inane otium videntur, & judicantur.

LEUC: Perſuades, ut relegato ad umbras otio, totis viribus me Palladi conſecrem: ſed quia multi currunt, nec tamen accipiunt bravium, trade methodum currendi bene, volo dicere, Artem proficiendi doce in litterariâ palæſtrâ. *MEL*: Docuit hanc ſuo exemplo D. Gregorius Thavmaturgus, dum, Caſtitate Duce, ac Comite, ad Sapientiæ culmen feliciter non minùs, quàm velociter eſt eniſus. Illud tibi hìc obiter in aurem: *absque virtutis hujus amore, ſpecialis in litteris profectus ſperari nequit.* Theſis iſta ſtat ſub Ajacis clypeo, majoríque robore firmatur, quàm ut illud infringere valeat mollior Epicurus. Crede æternæ Sapientiæ id conteſtanti: *Sap. 1.* *quoniam in malevolam animam non introibit Spiritus Sapientiæ, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Crede Sapientiæ D. Interpreti, Auguſtino, quòd *L. de ver. Rel. c. 3.* *ad veritatem percipiendam nihil æquè impediat, quàm vita libidini dedita:* imò ejusdem crede experientiæ, ne credere cogaris tuæ: ſic ille de ſe ipſo: *l. 2. Conf. c. 2.* *exhalabantur*, ait, *nebulæ, ex limoſa concupiſcentia carnis, & obnubilabant cor meum, atque ingenium.* Crede rationi: nam vitales ſpiritus, qui nutriunt ingenij vigorem, morbo erotico corrumpuntur: hebetatur ingenium, debilitatur memoria, phantaſia confunditur, judicij vigor abſumitur, & debilitatur. Crede Medicinæ Oraculis, quæ docent, hoc morbo generari pallorem in genis, in fronte maciem, in corpore tabem, maniam in mente. Crede demum experientiæ: nemo hominum experientior Salomone, & tamen ſic tandem inſaniît, ut *ſtultiſſimum* ſe ipſe agno- *Reg. 11.* ſceret, & fateretur: vis ſcire, qua via? nempe *depravatum eſt cor illius per mulieres.* Alium legimus, quem ad maniæ licentiam jam jam promoverat Cupido: huic cùm Podalirij ſolviſſent cranium, apparuit cerebrum, imò non apparuit cerebrum, quia æſtu libidinis penitùs conſumptum. Vis plura? novi ego, &

utinam

utinam non noviſſem! qui velut Aquilæ inter ſuos, ingenij perſpicaciâ, tenuêre primatum: ſed nempe tam diu primi, quàm diu caſti: ubi repudiatâ Pallade, amplexati ſunt ſtercora; ubi Virgines exoſi Muſas, his ſordibus ſe inquinârant, mox hebetari ingenium, mox totidem gradibus à litterario profectu deficere, quot ſe ſe paſſibus impudicitiæ im̃erſerunt. Margarita nempe eſt Sapientia, ſed quæ porcis non conceditur, nec in volutabro ſordium reperitur.

LEUC: Si Sapientiæ Candidati tot è philtris incommoda hauriunt, oportet, ut à virtute Angelis agnatâ, totidem trahant emolumenta. *MEL:* Ita eſt, à contrarijs fluit hoc argumentum. Nam vitæ Puritas cerebrum, quod ingenij ſedes eſt, temperat, ſpiritus vitales conſervat, concupiſcentiam domat, mentem tuetur ſerenam, ſícque promptum, ac perſpicax reddit ingenium. Hinc eſt, cur nemo faciliùs ſcientijs eminuerit, quàm qui ſimul caſtitate excelluit: *DEUS* enim, Auguſtino Interprete, *non niſi mundo corde verum ſciri voluit.* Luſtra, ſi lubet, ephemerides Scripturæ ſacras, & veritatis hujus teſtes invenies, non tot, quin plures. Nunquid inter ſacros Vates eminuit Daniel? & virginitatem fideliter coluit, & conſtanter. An non inter Patriarchas Joſeph intelligentiſſimus? ſed quamdiu caſtus: poſt Hymenæi Sacra conticuit ſacrum hoc Ægypti Oraculum. Nónne inter Evangeliſtas Joannes Aquila, Paulus inter Apoſtolos Cherub, inter Doctores Thomas Angelus audit? ſed & hi Virgines erant, & plus Puritati vitæ, quàm ſuæ induſtriæ ſcientiam adſcripsêre. Felix, nil dubita, ibi erit ſtudiorum ſucceſſus, ubi Caſtimonia erit Magiſtra. Revelante Cœlo veritatem hanc didicit, inter Sophos illuſtre Nomen, Gregorius Nazianzenus: hic, etiamnum in Peripato Adoleſcens, dum miro ſcientiæ deſiderio æſtuaret, fluctuare cœpit, de recta Sapientiæ ſemita: cùm ecce! per quietem, duas ſibi aſſiſtere Virgines, ſupra mortalem formam venuſtas, aſpexit. Hæ ſubin, ſpectaculo hoc attonitum, adhortari: pergeret porrò non minorem Puritati, quàm litteris navare operam: *altera enim,* inquiebant, *ex nobis Sapientia, altera Caſtitas dicitur: miſſæ ſumus à Domino habitare tecum, quia mundum nobis habitaculum præparâſti:* hæc ubi dixêre Sorores illæ, totam Nazianzeni mentem mox ſubiêre. Et quorſum iſta? niſi ut ex hiſce tandem intelligas, vel abjiciendam Sapientiæ ſpem, vel

*in Soliloq.*

*In vita.*

eam cum Caſtitatis ſtudio conjungendam. O ſi amica Sophi alerent lilia, quàm facilè ſibi Sapientiam conciliarent! Sorores ſunt Caſtitas, & Sapientia, ejusdem amant hoſpitij Societatem. Accedit, quòd mutuis quaſi obſequijs, & Puritas promovendæ Sapientiæ, & Induſtria Puritati tuendæ, certiſſimum ſit adjumentum. Niſi expertus es ipſemet, experto crede D. Laurentio Juſtiniano: hic dum ageret ætatis annum undevigeſimum (climactericum ſcilicet, quia Juventuti funeſtum ob influxus Veneris ſolitos) hic, inquam, adoleſcentiæ Fata expertus, ſic de ſe ipſo: *eram*, ait, *veſtri ſimilis, quærens æſtuanti Naturæ pacem, & tentationum victoriam, nec inveniebam, dum Virgo Sole ſplendidior, placido ſic me affatu docuit: O Juvenis, ajebat, cur pacem quærendo, per multa vagaris? quod quæris, tibi polliceor, ſi tamen me in Sponſam accipis: tum DEI Sapientiam eſſe teſtata, facilem aſſenſum obtinuit.* Aſſentire & tu mi Leucothee, Amori Sapientiæ, & caſtus eris; imò caſtus eſto, ut ſis ſapiens. Sed finio, & diſcursûs hujus epitomen tibi porrigo thavmaturgam, in D. Gregorio Thavmaturgo. Duobus verbulis ejus vita expreſſit, quod longo diſcurſu exprimere non potui hactenus: nempe Gregorio ſimiles Sophos, Thus adolere *Sapientiæ, & Caſtitati*, ut aboleant geminas Juventæ peſtes, *Veternum Magicum, & Philtrum.* En! quod ille Programma affigat Peripato, quo eliminat Otium, malorum omnium ſcaturiginem, ejúsque Sectatores Philoſophos Nominales.

**Ex Vita.**

# PROGRAMMA
## A D. Gregorio, Thavmaturgo, Animarum Zelatore, Peripato affixum,
## *Contra Otium,*
## *Otiíq; Sectatores Philoſophos Nominales.*

*Audite pigra Cohors,*
*Qui licèt auribus longis,*
*Auditis peſſimi Auditores.*
*Adeſte; ſed & abeſte:*

*Adeſte*

*Adeſte, Programma hoc legite,*
*Sed mox viam relegite.*
*Nam relégat illos Peripatus,*
*Quibus prælecta plurima,*
*Lectum nihil.*
*Superi! quales Sophi?*
*Quibus pulpitum pulvinar;*
*Lectus eſt Lectio;*
*Repetitores Rhonchi;*
*Auditorium dormitorium:*
*Profeſſor Morpheus,*
*Sed ſine virgulâ.*
*Stupeſcite Athenæa!*
*Confringe dolium Cynice:*
*Fruſtra gyras in vacuo cerebrum,*
*Cùm hi exhauriant Philoſophiam.*
*Amphoram projice Cleantes,*
*Cùm iſtis meriſſimum merum*
*Ex Caſtali propinent Muſæ:*
*Quibus licèt ſemper hæreat aqua,*
*Nunquam tamen navigetur in ſicco.*
*Extingue lucernam fictilem Epictete:*
*Operam perdis, & oleum,*
*Si cum Diogene,*
*Omnes Philoſophos invenire tu velis Sophos.*
*Stagirita fruſtra abrumpis Somnum,*
*Cùm hi Heſiodi*
*Stertendo docti, Peripatum fulciant.*
*Stupeſcant Pſeudo-Philoſophi,*
*In Necromantico Lyceo Licentiati:*
*Hi promptiores ad mortem,*
*Quàm illi ad vitam:*
*Avidiùs ſugunt venenum,*
*Quàm hi veneni Antidotum:*
*Mille cogitant Artes,*
*Ut unam excogitent pereundi.*
*Nulli parcunt labori,*

*Modò*

*Modò nulli parcatur homini:*
*Omnem lapidem movent,*
*Ut fundamentum ponant*
*Pro Petra ſcandali,*
*Lapidem offenſionis.*
*Et quid vos ad iſta Endymiones?*
*Stertitis, & ſtertendo vos ſternitis:*
*Oſcitatis,*
*Ne hoſtis habeat hoſtem,*
*Et caulam Chriſti, ſecuriùs devaſtent Lupi.*
*Stupeſcat ipſemet Lucifer*
*Has dormientium tenebras.*
*Is diu noctúque* circuit *quærens, quem devoret,*
*Se probat Peripateticum,*
*Vósque reprobat Peripateticos,*
*Quia ſtertentes.*
*Unus illius labor,*
*Ne laboretis:*
*Unicum ipſius negotium,*
*Veſtrum eſt otium,*
*Nam ſemper vigilat, atque invigilat,*
*Ut dormiatis.*
*Sed parce labori Lucifer,*
*Stertendo vinces ſtertentes:*
*Nam ipſimet per otium porrigunt*
*Optatum tibi pulvinar.*
*Parce vigilijs,*
*Non enim opus, ſuperſeminare Zizania:*
*Nam ubi otio putreſcunt Sophi,*
*Sponte naſcuntur fungi.*
*Sed fallor!*
*Non ſtertunt, ſed vigilant:*
*Non otiantur, ſed impigrè laborant.*
*Incumbunt negotijs,*
*Quæ magìs otioſa ſunt otijs:*
*Otiantur malè, cùm nihil agunt:*
*Otiantur pejùs, cùm aliquid agunt,*

*Quia*

*Quia nunquam agunt,*
*Ad quæ agenda legibus adiguntur.*
*Hæc otij paradoxa proprietas,*
*Quòd ſæpe nihil laborioſius otio :*
*Sæpe nihil otioſius labore.*
*Quàm multi diu , noctúque laborant !*
*Sed quia pro Mundo negotiantur,*
*Hinc otiantur.*
*Quàm multi vigilant noctes,*
*Et in vacuum evacuant lampades!*
*Meritò fatui,*
*Quia ignes venando fatuos,*
*Cum oleo operam perdunt:*
*Meritò fatui,*
*Quia ſplendore ſpurio ſic ſe conſumunt,*
*Ut extinctis nil ſuppetat,*
*Niſi fœtor, & fumus.*
*Quàm multi noctes ducunt inſomnes,*
*Ut ſeducant, & ſeducantur!*
Tantus ardor eſt ad interitum!
*Quàm multi legunt, quæ negligenda:*
*Scire ſtudent, quæ meliùs neſcire ſtuderent:*
*Vacant ſtudiis, quibûs utiliùs vacarent.*
*Quàm multi ſcientiæ ſtudent, non Conſcientiæ,*
*Dum appetunt ſcire,*
*Quorum ſcientia parit inſcitiam,*
*Quorum inſcitia Sapientiam.*
*Adeò multa neſcire, ſæpe eſt ſapere,*
*Quæ ſcire foret deſipere,*
*Ut partem ſcientiæ ſciamus*
*Ipſam inſcitiam multorum.*
*Quàm multi vigilant noctes, dormiunt dies!*
*De die incumbunt libro,*
*De nocte accumbunt Libero,*
*Et etſi græcantes in Latio,*
*Non tamen Philoſophi:*
*Etſi ambulantes frequenter,*

*Non tamen Peripatetici,*
*Minimè ſtudioſi, quia ſic ſtudioſi,*
*Volo dicere, otioſi.*
*Abſint igitur*
*Spuria è Peripato lolia,*
*Et quia otio putreſcunt,*
*Ociùs eradicantor.*
*Abſint Sophorum probra,*
*Ne induſtriis illorum torpedo ſit remora:*
*Excluduntor, & relegantor.*
*Vos verò*
*Genuina Peripati Propago,*
*Veſtro fervore ſupplete multorum torporem:*
*Veſtrâ gloriâ excitate inglorios:*
*Dicite Ignavis,*
*Cùm Dij laboribus omnia vendant,*
Rudentes, & rudes
In Peripato nunquam donandos rude.




S. Thomas Aquinas, etiamnum Sophus, dictꝫ Bos mutus: ſed ubi clamare cœpit, ſic mugût, ut obſtupeſceret univerſus Orbis. Probavit ſe bovem, ſed alatū, quia Angelicum, totúmque Cæleſtem, in cuius ſigno ſuum Phœbus ſolſtitium poſuit. Probavit ſe bovem, è cuius cerebro tot prodière apiculæ, ut quem Theologia Angelicū, Philoſophia meritò dicat Doctorem melliflū. Ex Surio.

G. R. del. I. M. Gutwein sculps.

# ACADEMIA BRUTORUM,
*Seu*
# DISCURSUS V,
*De*
# BRUTORUM DISCURSU.

M*ELANDER.* Peripatetici ſumus Leucothee; hinc ambulemus. *Egrediamur in agrum, commoremur* tantiſper *in villis*: fruamur tempore. En! bucolica tibia Mantuani Coloni nos invitat: *Nunc omnis parturit arbos,* *Virgil.*
*Nunc frondent Sylvæ, nunc formoſiſſimus Annus.* *Ecl.3.*
Conſonat Naſonis Calliope:

*Omnia nunc florent, nunc eſt nova temporis ætas,* *Ovid.l.1.*
*Et nova de gravido palmite gemma tumet.* *Faſt.*
*Et modò formatis operitur frondibus arbor,*
*Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.*
*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,*
*Ludit & in pratis, luxuriátque pecus.*

LEUCOTHEUS. Et quorſum invitas me hodie? in Academiam fortè Platonicam, umbroſo nemore celebrem, Veris decore amœnam, ſuóque ſilentio Minervæ amicam, quam Cimon *Plut.* irriguis fontibus, & virentibus ambulacris in Philoſophorum gratiam

tiam exornavit. *MEL*: In Academiam te ducam hodie, non illam quidem Platonicam, ſed illam, quam Pan, Paſtorum DEUS, in pratis; quam in Sylvis Diana, volucrum, ferarúmque Regina Philoſophis erexit: verbo, in *Academiam Brutorum*, Sophorum diſcurſu, atque decurſu digniſſimam. LEUC: Orexin movet Athenæum hoc novum, & paradoxum: ſed quid dicent impallentes Timæo ſuo Platones? quid in litteratis Emporijs togati Patres, ſi derelicto pluteo, Urbe egreſſos viderint, prata virentia, & amœna Sylvarum umbracula pervagari? *MEL:* Næ tu inani metu conficeris: Peripateticorum eſt ambulare: Philoſophorum eſt incolere hortos, habitare villas, & nemora, non ut otientur, ſed ut commodiùs ſtudeant; non ut dediſcant, quæ didicêre in Urbibus, ſed ut meliùs diſcant, quæ per Urbis tumultuoſa incommoda diſcere non potuêre. Oculos immerge profundiùs in Philoſophorum vivendi methodum, & videbis Democritum Abderitem ſub Platano philoſophantem: Laidem Cyrenæum non niſi docentem in hortis, quos Rex Attalus hunc in finem erexerat: cernes Palæmonem erudientem ſuós in pratis floridis, in quibus conſtructa habebant Diſcipuli ſua tuguria: obſtupeſces Tullium, non minùs Philoſophum, quàm Oratorem, Academiam ſuam erexiſſe in villis, aptâ ambulationibus porticu, & umbroſo nemore celebrem: cui pro majori commodo Marianam addidit quercum, & Tuſculanum ſeceſſum, loca diſputationibus apta, unde *quæſtiones Tuſculanæ* à diſputationis hoc Auditorio nomen traxêre, atque originem. Omitto Anaxagoras, Xenocrates, Zenones, Carneades, Chryſippos, Diogenes, Solones, & innumeros alios, qui non niſi *inter denſas, umbroſa cacumina, fagos*, & docere, & diſcere Philoſophica placita aſſueverunt.

LEUC: Convincunt me teſtimonia, trahunt exempla: ambulabimus igitur diſputando, & diſputabimus ambulando, placet hæc methodus, quæ jungit utile dulci. Et quia de Brutis diſcurrendi eſt animus, patere, ut tibi narrem Apologum, qui fortè filum noſtro diſcurſui. Habuêre ſua quondam Comitia animantes Brutæ, quorum proſpero ſucceſſu animatæ volucres, imò & muti piſces paria in ſuis Regnis indixerant. Gens quælibet, ritu quidem, & ambientium ſtudijs diviſa, uno tamen animo, Democratiæ pertæſa, proprium ſibi Monarcham deligere fixum habebat,

ratúm-

ratúmque. Cohors pennigera Regni faſces, volatu venales, præter ſpem Trochilo deferre debuit: inter ſquamigeros Thetidis Proceres Delphinus natando Sceptrum præripuit. Quadrupedes ſylvarum incolæ Leonem, fortitudine cæteris præſtantem, ad ſolium elevârunt. Sed privata, pro Gentis cujusque meliori regimine, fuêre iſthæc Comitia: Oecumenica hodie celebrata refero, in quibus Carteſio, vitam Brutis neganti, unanimi calculo, diem dicunt, & velut in Conditorem injurium, læſæque Naturæ reum pronunciant: Philoſophis verò, rationem denegantibus, de novo litem intendunt, ac ad ſummum Philoſophiæ Tribunal appellant.

*MEL:* Carteſij cauſam quod ſpectat, deciſa lis eſt: hunc Peripatus dudum damnavit velut Philoſophiæ Schiſmaticum, ſi non Hæreticum; hoc etiam in puncto ad ipſa Bruta relegat veluti monſtrum: homo non eſt, qui ratione non utitur, ſed contra rationis apertum lumen Bruta mera dicit Automata. Cæterùm ratione careret, qui rationem Brutis adſtrueret; hinc non eſt, cur Philoſophis litem intendant: quadrupedibus Augiæ ſtabulum patet, non Stagiritæ Tribunal. LEUC: Acceſſum equidem nec petunt, nec optant: habent cauſæ ſuæ Patronos, ſat magna in Peripato Nomina, quæ pro ratione Brutorum rationem totam impendunt, ac veluti pro Aris, & focis digladiantur. *MEL:* Nempe, *ut nulla ſine proco fœditas, ſic nulla ſine Patrono fatuitas.* Cum Conimbricenſibus judico, *longè à ratione abeſſe illum, qui rationem dat Brutis.* His ſi fidem adſtruere dubitas, Auguſtinum inter Doctores Auguſtum interroga, & opinionem hanc damnabit, velut *hæreticam.* Quære Eximium, & nominabit *ab omni ratione alienam, & vanam:* de Rhodes dicet adeò *veſanam,* ut non tam miretur, quàm obſtupeſcat, *non dedignari homines æquare ſibi jumenta inſipientia, eóque tantùm doctiores videri velle mortalibus reliquis, quò eſſent beſtijs ſimiliores.*

*Apud Maurum l.2.q.40.*
*Teſte Del Rio disq. Mag.l.2. q. 20.*
*p.2.Sum. Th. tom. 2. tr. 3. l. 1. c. 5.*
*Phil. Perip. l. 2. d. 2. q. 5. S. 5. & d. 17. q. 6. S. 4. §. 1.*

LEUC: Ignoſce, præter morem Authorum convitia refers, non rationes. Utut tuum hac in Sententia totum me fatear, Authores tamen, quorum ingenti catalogo memoriam onerare piguit, omni emotos mente ſi dixeris, etiam Tullium, Romanæ eloquentiæ Principem, Senecam, alióſque, quibus velut Oraculis thus adolevit Antiquitas, eodem dementiæ ſtigmate notabis. Et ut; pro meo candore, te nihil celem, rationes affe-

afferunt, experientijs certis tam ponderoſas, ut niſi tribus litteris omnem hiſtoriam jugules, Tyroni minimè ſolvendas, Veterano non contemnendas exiſtimem. *MEL:* Ponderosè tu equidem, ſi Superis placet. Agedum, ſi tantus fucus veritatem tibi obvelat, removebimus larvam. In medium affer rationum momenta, videbimus, num ſuus deſit Peripato Theſeus, qui jugulet hunc Minotaurum.

*Brutor. loquela. Ariſtot. Philo. Triſmeg.* a *L.3.Inſt. c.20.*

LEUC: Si Voces ſunt *notæ conceptuum;* ſi Sermo eſt *Mentis Frater;* ſi Oratio *Soror Intelligentiæ*, Brutis rationem ineſſe, vel ipſa eorum loquela faciet manifeſtum. Cujusvis ſpeciei voces, à Natura conceſſas, attentiùs explora, & cum a. Lactantio deprehendes, quòd ſua ſenſa & communicent invicem, & voces ritè diſcernant. Sic Gallina invento piſo, ſuos glutiendo convocat pipiones, clamore alio ad paſtum evocat, alio congregat ſub alas, & rurſus diverſo, ſi advolet milvus, fugam jubet capeſſere: ſic agnus mille inter oves oberrans balatum Matris diſcernit, & anxiè quærenti occurrit. Cùm Æliano miraberis, quòd ſicut diverſæ hominum Nationes, ita & diverſæ animalium ſpecies diverſo Idiomate utantur: nam *rugiunt* leones, *mugiunt* boves, oves *balant, baubantur* canes, equi *hinniunt*, aſini *rudunt, barriunt* elephantes, *oncant* urſi, *ganniunt* vulpes, *ululant* lupi, *gratitat* anſer, *glociunt* gallinæ, *grunniunt* ſues, *drenſant* cygni, *clangunt* aquilæ, *pipit* paſſer, perdix *cacabat, coaxat* rana, *frendet* aper, panthera *caurit*, hircus *mutit, vagit* lepus, hirundo *trinſat*, ciconia *glocerat, rancent* cervi, *cucurit* gallus, *orcant* lynces, *rancant* tigrides, anas *tetrinnit*, pavo *pupillat*, veſpertilio *ſtridet*, cicada *frinnit*, corvus *crocitat*, merops *zizinulat*. Quid multis? Zoopædiæ annales luſtra, & ſexcenta occurrent loquelæ ejusmodi teſtimonia.

*Pet. Greg. l. 15. de repub. c. 5. Alb. M. l. 8. de aul. c. 2. Porph. l. 3. de abſtin.*

Nunc leges, ùt ad elephantis barritum, ſi fortè cecidit fallente veſtigio, certatim convolent Adjutores: ùt etiam piſcis, eluſis ſemel retibus, mox de periculo edoceat adnatantes, ut jam fruſtra quempiam illo die piſcator exſpectet. Deprehendes, ùt hirundo, non invitatum ſuo in nido hoſpitem fruſtra oppugnans, querulis vocibus mox convocet Sodales, quæ occluſo per luteos aggeres certatim oſtiolo poſſeſſorem iniquum perpetuo carcere damnant, & puniunt: ùt paſſer effuſum in foro pabulum promulgans, ſocios ad lautas epulas ſecum invitet. Quòd ſi ſermones iſtos minùs intelligas, crediderim enimverò, nunquam

te

te Epheſum frequentâſſe, ubi Apollonius Tyaneus hanc linguam publicè eſt interpretatus: nec audiîſſe te Salomonem, a qui è ſuo evigilans ſomnio, & avium cantus, & animalium voces fertur dijudicâſſe. Sed leviora ſunt iſta: hominum quoque linguam animalia intelligunt, & loquuntur. b Bovem certè in Bello Antiocheno dixiſſe referunt: *Roma cave tibi*: c alius in Antoniano urgenti ſe ſe repoſuit: *non defuturum frumentum, ſed homines, qui illud ederent, defuturos.* d Hyæna humanum ſermonem aſſimilat, nomina Paſtorum addiſcit, quos ſubdolè è tugurijs evocatos necat, ac devorat. e Monedulæ, alatæ Hannonis præcones, ubique Dominum proclamârunt, ùt DEUM: Θεός ἐστιν ὁ Αννων. Sed & corvus, f Tiberium Cæſarem, in foro ſalutabat quotidie: hinc, ubi Fatis conceſſit, ſuper ſtratum magnificè Thalamum, præcedente tubicine, coronis undique, floribúſque viam ornantibus, per humeros duorum Æthiopum bajulos ad rogum uſque delatus eſt, Romano Populo ad exequias turmatim concurrente, & ingenium volucris devenerante. Quid jam dicam de elephante, animalium ſagaciſſimo? quid de Pſittacis, humanæ linguæ pene Magiſtris? g horum aliquis Litanias integras non raró auditus eſt modulari: h alius Cardinali Aſcanio totum ſymbolum, fidelitate Ephebis ætatis noſtræ invidenda, memoriter reddidit. Fuit, i qui à milvo correptus in has ſubitò voces erumperet: *S. Thoma ora pro nobis*: quibus veluti fulmine proſtravit humi iniquum prædonem. Fuit, k qui è Regio Henrici D. palatio in Tameſin lapſus, *cymbam cymbam vel pro 20. libris* clamaverat: extractus à quodam, cùm peteret mercedem, Pſittacus Regi, *date ſolidum nebuloni*, reſpondit. l Leonem Baſilij Imperatoris Filium, & à carcere, & à morte liberavit ille, dum in convivio, lætis hoſpitibus, ſolus gementi ſimilis exclamaret: ἄι Κύριε Λέον, ἄι Κύριε Λέον. m Fidelem hero, non Dominæ ſe ſe probaverat ille, qui Argum vigilem egit in abſentia mariti: linceis oculis obſervabat hanc Iſidem, cúmque aliquando cum Matronis alijs clanculùm convivaretur, redeunti Domino & fercula, & pocula prodidit; quin & ipſiſſima verba retulit ales garrula. n elephantem quod attinet, Indico idiomate quemdam locutum ferunt, & ad quæſita reſpondiſſe non minùs celeriter, quàm prudenter. o Ajax ille Regis Antiochi, flumen trajicere veritus, promiſſo gloriæ principatu, mox in fluvium

*Idem.*
a *Apud Toſtatum ad c.3.l.3. Reg.q.11.*
b *Lud: vives in comment. in l.4.*
c *Liv.l.24*
d *Plin.l.8. c.30.*
e *Ælianus. l.14. c.30*
f *Plin. l. 10. c.43.*
g *Schott. Phl. Cur. l.7.aſſ.6.*
h *Balingen Zoopod. tit. Educ.*
i *Nier. l.3 c.11.*
k *Aldrov. l.2. Ornith.*
l *Cedren. in Vit. Leo.*
m *Paradoxa Phyſ.*
n *Chriſtoph à Coſta in hiſt. Ind.*
o *Plin.l.8. c.5.*

vium ruit, palmam præripuit, relicto ad littus æmulo, qui non tam inediâ, quàm pudore amiſſæ Victoriæ periît. Illud mirum,
*l.3.c.12.* quòd hiſce verbis Nierenbergius memorat: Elephas furorem Veneris annuum non reprimit citiùs, quàm propoſito per Magiſtrum exhortantem dedecore. *Illum animalium Regem, Sapientiâ vincentem Platones, Salomones Prudentiâ, illum ad indignas ſordes, & ludibria dejici? quem hominibus, quem alijs Brutis fore ſenſum, ſi viderint Elephantem, cui thus adoleverant Druidæ, turpiſſima fœdari voluptate? vinceret cæca tela Cupidinis, imperaret amori, ſic famâ immortalem, ſic Scipionibus, ſic Alexandris parem fore.* His cicurantur Bruta, utinam & miteſcerent homines! *MEL:* Grates tibi dicerent Bruta, ſi loqui poſſent, tam egregiè perorâſti: ſed fuſiùs: hinc reſpondebo ſuccinctiùs. Probant allata, Brutis ineſſe vocem, ſed non ſermonem: hic enim Stagirita teſte, *ſolius hominis eſt,* utpote rationis index, & mentis Interpres. Quòd ſi has voces locutionem appelles, linguam eorum loqueris, quibus & Echo, & ſtatua Alberti M. locuta dicitur, locutione ſcilicet analogicâ, quia à principio extrinſeco proveniente. Cæterùm uti guttur variare clamores, ſic eos diſcernere, & aures poſſunt: in multis accedit Ars Magica, velut in Tyaneo, non nunquam delirorum commenta, velut in Salomone. Alijs linguam ſolvit humana induſtria; alijs phantaſiæ facultas practica: ſic Pſittaci non garriunt, niſi ſæpius inculcata: ſic elephantes leniuntur verbis, non quòd ſenſum intelligant, ſed quòd inflexionem vocum diverſam, certis geſtibus, blanditiiſque conjunctam percipiant.

*Ariſt.1. Polit. c.2. & 9.*

LEUC: Non tantùm Sermo, ſed artificioſa quoque operandi peritia Philoſopho *veræ rationis* teſtis eſt, & interpres. Demus, illo carere Bruta, hanc qui negaverit, oculis caret, & quovis eſt Thamyra cæcus magìs. Luſtra mecum, ſi lubet hanc Brutæ gentis Rempublicam, & omnes me Muſæ oderint, ſi artem ullam reperias, quam non apprimè, & exactiùs ſubin, quàm ipſi homines, Bruta exerceant, calleántve. *Textoriam* cupis? Araneæ tela conſidera, & cum Plutarcho ſtupebis, ab hac Arachne ſubtilitate vinci Phrygias manus, arte ipſam Palladem ſuperari. Penſilia Bombycis Mauſolæa aſpice,

*6.Ethic. 4.*

*L. de Solert. Animal.*

*Ut fila legat, atque ordine ducat,*
*Mille legat, relegátque vias, atque Orbibus Orbes*
*Agglomeret, cæco donec ſe carcere claudat.*

*Hier. Vida in Bombyc.*

Et fate-

Et fateberis, quòd ſuam huic Artifici gloriam Damaſcus; quòd ſuas prætextas Conſules, & Magnates, ſuas trabeas Reges, & Principes debeant, gratíque adſcribant. *Architectonicæ* prodigia cupis? Hirundinis, Alcyonísque nidos explora, & jurabis, ingenij vires à Dædalo hìc tandem exhauſtas. Certè Stagirita dum quondam Hirundinem vidit, tam peritè temperare lutum, miſcere paleas, collectam alis aquam aſpergere, ore indefeſſo afferre materiam, ſine columnis ſuſpendere, plumeo intus ſtragulo molliter veſtire, nidi hujus caſtellum inter præcipua Mundi Miracula collocare non dubitavit. *L.9.hiſt. c.7.l.10. c.33.* Ijſdem accenſet Plutarchus Alcyonis nidum; hunc enim dum videret, ex Aci ſpinis, mirabili artificio invicem implexis, ad inſtar ſcaphæ formatum, opus everti ab Æolo, mergíque ab irata etiam Thetide neſcium: dum *Choeronenſis l. de ſolert. Animal.* aſpiceret oſtiolum ea arte elaboratum, ut omni animali, etiam Alcyone minori, imò ipſis undis eſſet imperviurn: dum ſentiret ea ſoliditate firmatum, ut nec ſaxo, nec ferro diffringi facilè poſſet, admiratione abreptus exclamavit: *talem quondam oculis Phœbea vidimus Arce Deli,* corneam illam arcam, ſine vinculo ſic coaptatam, ut inter ſeptem Mundi Miracula reponeretur. Architectonicæ affinis eſt *Geometria;* hanc quoque vel ad Archimedis invidiam animalia callent: certè Alvearia apum dum attentiùs exploraret D. Ambroſius, obſtupuit cellulas, hexagonas ad *In 4. Georg.* unam omnes, & lateribus quidem, ad Euclidis rigorem, æquales. Ælianus ſtructuræ ordinem, uniformiter difformem, deli- *L.1.c.59* neatum ſine circino, in tenebris elaboratum ſic ſuſpexit, ut ædes Apum ſtramineas, magnificis utriusque Cyri Palatijs artificiô anteferre non dubitaret. Ægyptias foſſas Hiſtorici celebrent, Creticos Labyrinthos Poëtæ decantent, ſed formicarum caſtra Geometræ obſtupeſcant. Majolus oculatus teſtis, dum non procul Apuliâ incidiſſet quondam in talem Coloniam, urbem deprehendit, ad Matheſeos apices quadrangularem: *Dier. Canic. Colloq. 5.* tam admiranda erat ( Authoris verba ſunt ) laterum, & angulorum delineatio, ut artificum amuſſi, circinóque fabricatam putares: æqualis viſebatur dimenſio in longum, & latum: aream in foro, & compita dividebant viæ orthogonaliter rectæ: fines ornabant horrea, portæ æqualibus inter ſe ſpatijs diſtinctæ, ut non ita admiratus ſim ipſam Neapolim, quàm homo condidiſſet, ſicut eam ſuſpexi urbem, quam ratione carens animal peritè adeò

conſtruxiſſet. *Muſicam* ſi deſideras, Alauda vincet Amphionas,
OrpheosMerula,utramque ſuperabit Luſcinia,quam meritò dicas
*Kircher.* *totius harmonicæ modulationis epitomen:* avis olim ob cantum tam
*muſurg.* pretioſa Romanis,ut ſervorum *illi pretia fuerint,& quidem ampliora,*
*tom.* 1. *l.* *quàm quibus armigeri parabantur.* Alit quoq; Peruvia volucrem,co-
1. *c.* 14. lore cinereo, clangorem tubarum tantillo roſtro ſcitè adeò imi-
*Plin.l.*10 tantem, ut à tubicine eam non aures, ſed ſoli oculi diſcernant.
*c.* 29. Eadem prorſus innoxia, inſtar Pyrauſtæ in flammis verſatur, nec
*Apud* ſine ſpectantium admiratione, non ſemel viſa eſt, prunas avidè
*Hazar.* devorare. Sed non poſſum non meminiſſe illius Muſicæ, quam
*T.*2.*hiſt.* Magnus Hetruriæ Dux magno olim Kirchero exhibuit. Pho-
*Eccleſ.* naſci erant Pſittacus, & Moloſſus, & hic quidem chori præfectus:
qui ubi ſonorè clavicymbalum curavit, Pſittacus, admotis mox
auribus, quaſi tonum inde hauſturus pſittacare, canis, intentis in
Pſittacum oculis, latrare, ac ululare, harmoniâ ridiculâ quidem,
ſed ſimul ita mirabili, ut tantùm non in extaſin raperetur ipſe,
ſi adfuiſſet, Arion. Sed neque *Aſtrologia* animantes deſtituit:
*L.*10.*c.* Gallos conſidera, quos nobis nocturnos Natura vigiles dedit:
21. Sidera nôrunt, ſi Plinio fides, horáſque interdiu, & Phœbi re-
*Ælianus* ditum matutino cantu denunciant. Ipſæ Formicæ ſæpe Aſtra
*l.*1.*c.*22. ſuſpiciunt, ventos, & imbres præſentiunt. Cynocephalus certè,
*Pierius* dum circa Æquinoctium per intervalla horaria in ululatus ma-
*l.* 6. gnos erumperet, Triſmegiſto ſi non Magiſter, Author ſaltem
fuit, ut diem in 12. horas divideret, & horologijs ſubin ſciateri-
cis illuſtraret. Formica Interlunio quieſcit, Plenilunio in opus
incumbit, ab ejus conjunctionis die, non exit è latebris. Aries,
ùt Author eſt Ælianus, per ſex hybernos menſes in lævo latere
capit quietem, dextro autem incumbit in Æquinoctio verno.
*Hier.vit.* Scorpiones furunt Lunâ exiſtente in Scorpio, Sole Leonis ſignum
permeante febri corripiuntur Leones. *Chymicam* nôrunt apes,
háncque in melleâ florum Metamorphoſi tam utiliter, quàm
indefeſsè exercent. *Artem medicam* quoque ſine Apollinis ope
didicerunt Hirundines, quæ chelidoniâ; Carduelcs, quæ euphra-
ſiâ; viperæ, quæ fœniculô oculos ſanant. Sciunt Perdi-
ces, & Merulæ, quæ lauri folio; Dracones, qui lactucæ ſucco
annuum faſtidium purgant. Callent Cervi,qui ſagittâ vulnerati
dictamno, à Phalangio læſi cancrorum eſu; corvi qui à Came-
leonte infecti laurô; Elephantes, qui Oleaſtro; Ciconiæ, quæ ori-

gano

gano virus inimicum depellunt. Exercent bufones, qui ſalivâ; Muſtelæ, quæ rutâ ſe ad prælium armant. Sibi applicant canes, cum æſtuante bile notâ herbâ ſibi vomitum creant: Urſi, dum comeſta fortè mandragora formicarum eſu ſe ſe reſtituunt: imò ſtupidiſſimi Arcadiæ clitellarij, dum atra bile laborantes comedunt aſplenon, ſplenísque finiunt tumorem. Sileo *Piſcatoriam*, quam callida exercet vulpes, dum caudâ undis immersâ, admordentes cancros, piſciculósve, villoſo veluti hamo, in crepidinem ejicit. Non commemoro *Venatoriam*, quam nôrunt, ad Dianæ delicias prompti ſemper latrantum manipuli: non *Aucupatoriam*, cujus ſpecimen præbent Araneæ, dum muſcâ in extenſos caſſes improvidè incidente, mox ex inſidijs, proruunt, retibus captam involvunt, involutam necant, enectam aufferunt, & ubi ſuaſerit fames, depaſcuntur. Id ſilentio præterire ſine injuria animalium nequeo, quòd & homines ab illis diſcere non erubuerint. Palamedes certè *Grammaticam* à Cadmo inventam, V & Y litteris auxit, ex Gruum volatu, quo *per nubila texitur alis littera, pennarúmque notis inſcribitur aër.* Non pauca *Botanicæ* arcana à Brutis didiciſſe fatentur Medici: ab Hippopotamo phlebotomiam, ab Iſide clyſteria ſe cognoviſſe chirurgi aſſerunt: ipſi Architalaſſi navis regendæ Artem à milvo, flexu caudæ iter ſuum per aëra dirigente, didiciſſe ſe gloriantur, *Naturâ præmonſtrante in aëre, quid in aqua fieri oporteat,* uti loquitur Plinius, Naturæ celebris Encomiaſtes. *MEL*: Plinium Naturæ, te animalium probas Encomiaſten: quid ſupereſt? niſi ut auritos etiam Arcades epomide ornes, ac in Academiam Brutorum, homines erudiendos invites. Sed falleris, aliò argumentis his navigas, quàm quò vela intendis. Bruta agere *ſecundùm Artem*, concedimus, quòd agant *ex Arte,* negamus, & pernegamus. Ars enim, ſi Doctorum Angelo credimus, eſt *ordinatio rationis ad finem:* quis autem Brutis adjudicabit rationis dictamen? quis cognitionem ad regulas certam, vi cujus efficiant opus utile ad finem intentum? nemo hercle, niſi Circeis præſtigijs in Brutum penitùs degenerârit. Agunt igitur *ſecundùm Artem*, opúsque efficiunt, utut conforme regulis, non tamen elaboratum ad regulas. Caſus eſt, naturalis inſtinctus, ſive neceſſitas, quæ Artem & imitatur, & ſæpe etiam ſuperat: ſic Protogenes de Arte quondam deſperans, qua ſpumam anhelantis Moloſſi fruſtra expri-

*Claud.l.7*

*L.* 10. *c.* 10.

*Plin.l.*11 *c.*9.

mere conabatur, præ indignatione projectâ in tabulam ſpongiâ, ad miraculum, naturalem ſpumam expreſſit, *fortunâ, caſúque Naturam meliùs aſſequente*, ùt Author eſt Plinius.

LEUC: Non uno telo armata eſt pharetra: aliud profero, quod vel ipſe ſuppeditat Stagirita, dum apibus, & formicis prudentiam tribuit, rationis filiam, quæ neceſſario vinculo connexam arguit rationem. Nec ſanè immeritò; tanta enim támque rara ſagacitatis edunt ſpecimina, ut Ariſtomachus Solenſis annos omninò 58; Philiſcus verò Thaſius totam propemodùm vitam in obſervandis earum moribus bene conſumptam eſſe exiſtimârit. Percipe paucula, & in minimis maxima obſtupeſces. Apes monarchicò reguntur Imperio, Regem à Natura ad Majeſtatem præ reliquis efformatum honorant, ſubmiſſis in ejus conſpectu aculeis: Imperia diſpenſanti obtemperant: domi excubijs Regem tegunt, foris comites ſuis præſidiis protegunt: ſublevant feſſum, eo conſidente caſtra metantur unanimes, aberrantem inquirunt, Colonias transferentem ſequuntur, eo capto capiuntur, dilabuntur omnes eodem occiſo. Quid amplius? veſparum inſidias, locatis ad portam excubiis, arcent: Aranearum furta, amaro glutine, alvearibus obducto prohibent. Magnificum Regi, alia alijs, conditioni proportionata cubilia exſtruunt: labores ætati conformes, habitáque virium ratione diſpenſant: non exeunt, niſi Cœlo ſereno, nec ultra paſſus 60, niſi præmiſſis providè exploratoribus. Hæ foris legunt mellis Ambroſiam, illæ domi in ergateriis ceram conficiunt: in agris non dormiunt niſi ſupinæ, ne alas ros matutinus ad volandum reddat inhabiles: flante fortiùs Æolo, crura gravant lapillis, ne forſitan abripiantur. Illud mirum, quòd eodem tempore & comedant omnes, & eodem bombo veluti buccinâ, de Regio Imperio moniti, ad quietem concedant, eodémque ſigno ad labores denuò revocentur. Sileo alia, quæ admiratus eſt Vates ille laureatus, dum cecinit:

[Margin: *Plin.l.*11 *c.*9. — *Ælianus.*]

*His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,*
*Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus*
*Æthereos dixêre.*

[Margin: *Virg.*4. *Georg.v.* 219.*&c.*]

Formicas quod ſpectat, *Imperio Democratico* regitur illarum Reſpublica; & quidem ad rationis leges tam exacto, ut haberent Solones ipſi quod diſcerent, Lycurgi, quod admirarentur. Quid enim poſ-

[Margin: *Prov.c.*6 *v.*7.]

poſſet eſſe prudentius, quàm in hypogeis ſervare horrea, quibus hyemis egeſtati proſpiciant? quid rationi conformius, quàm præmordere grana tritici, ne in germen protuberent; quàm Phœbo, ventisque exponere, ne humiditate terræ corrumpantur? ſuper omnia tamen ſic in induſtria eminent, ut Numen ipſum illas creet Magiſtras, nos velit eſſe Diſcipulos: *vade ad formicam, ô piger.* *Prov.l.c.* Cæterùm imprudens forem, ſi hoc in loco ſilerem Elephantis prudentiam, *quo*, teſte Tullio, *belluarum nulla prudentior.* *L.* 1. *de nativ. Deor.* Fuit, qui vas cupreum, dum à fabro malè refectum Domino reportat, mercedis locò verbera reportârit; denuò cum vaſe remiſſus, retulit refectum ſecundò, ſed hauſtâ priùs aquâ ſagaciter exploratum, probatúmque, ne mercedem alteram accipere cogeretur. *Juſtus Lipſ. cent.* 1. *ep.* 50. Fuit, qui à Venatore nimiùm preſſus, dentium ebur ſibi ultrò excuſſit, humíque abjectum Venatori in prædam quæſitam ceſſit, prudentiùs fore ratus, ſi partis jacturâ ſe ſe totum ſervaret incolumem. *Solinus l.* 23. Sed & cæteras animantes, ne ſuis defraudem encomijs, non minori prudentiâ præditas per epitomen tibi demonſtro. *Gallenſes in Philoſ.* Leo involutis unguibus ambulat, ne atterantur: veſtigia in arena confundit, ne prodatur: in aprico fugit inceſſu gravi, & pro reverentia Majeſtatis lento: extra conſpectum, & ſylvarum latebris tectus, etiam lepores velocitate præcurrit. *Plin. l.* 9. *c.* 42. Cervus labente Aprili amiſſa cornua, difficilibus abſcondit ſentibus, ne tam facilè inveniantur: hinc ſiniſtrum, medicamentis præditum, à nemine hactenus inventum aſſerunt: amiſſis cornibus in invias ſylvarum latebras penetrat, noctúq; paſcitur, quia inermis: dum denuò crevêre arma, ſoli exponit, ut citiùs durentur: craſſiori pinguedine dum corpus turgeſcere ſentit, in opaca ſecedit denuò, ne minùs ad fugam habilis, à Venatoribus infeſtetur. Grues, cùm ſerena favet tempeſtas, ſinu volant lunato, ſurgentem ventum mox cuneato ſcindunt, ne rapiantur. Non dormiunt ſine vigile, & ne huic ſopor irrepat, uno ſtat pede, lapillum altero geſtat, ut cadentis ſono, & ſtrepitu excitetur: Montem Taurum ſuperaturæ, roſtra calculis gravant, ne innato loquacitatis vitio ſe ſe Aquilis prodant invitæ. Boves, ſi fortè invadantur à fera, mox in orbem ſe glomerant, & cornua, ad inſtar valli, irruenti obvertunt: equorum contrà greges, cùm fronte ſe invalidos noſcant, & ipſi in globum ſe colligunt, ſed calcibus in hoſtem verſis. Sileo ſexcenta alia

Prudentiæ non vulgaris argumenta, quæ quia tibi non ignota, ſuperſedeo enarrare, ne repetitione prolixus, & prolixitate tibi fiam moleſtus. *MEL:* Ita eſt, non ignota recenſes: & ſi è Zoographis tam ſedulò corraſiſti hæc argumenta, eorum quoque legeris ſolutionem, quam & brevem, & facilem innuo. Stagiritam imprudentiæ poſtulat, quis quis veram prudentiam, *cognitioni finis, & media ad finem præordinanti*, conjunctam, ab eodem Brutis tribui judicat. Quis enim credat, Philoſophum, quem è Jovis cerebro ſibi datum, nec immeritò, adoravit Antiquitas, apibus è ſtolidiſſimo cerebro, quia bovino prognatis, carentibus corde, pulmonibus, cerebro, partibus ad diſcurſum maximè neceſſarijs prudentiam adjudicâſſe? adjudicavit utique, non tamen veram, ſed analogam, non rationis filiam, ſed ſimiam, inſtinctus nempe mirabiles, ac impetus Naturæ inſertos,
*S. Ambr.* *qui cùm ſint quædam derivatio Prudentiæ Increatæ*, mirum non eſt,
*in Hex.* ſi prudentiæ humanæ ſpeciem imitentur.

LEUC: Non me fugit, ab adverſæ partis fautoribus ſolvi multa, eludi plurima per cæcos Naturæ inſtinctus, ſed planè neſcio, quo inſtinctu: an hic clypeus Philoſopho dignus ſit, penes te judicium eſto. Id fidenter ediſſero, experientias ejusmodi multas bene, non omnes optimè, aliquas ne quidem congruè ſic explanari. Quid enim Naturæ impetus in occulta, quid in futura poſſint? & tamen Bruta *præſagire futura, revelare abſcondi-*
*L. 5.* *ta, divinare occulta* eſt in confeſſo. Percipe Mantuanum Ba-
*Alphonſ.* ptiſtam, de pennigera gente ſic canentem:

*Virg. 2.* *Aſtra etiam, pluviásque docent, & certa dierum*
*Aldrov.* *Tempora, & annorum: ſic Ver cognoſcit Hirundo:*

*in proleg.* *Alcyones hyemem.* Ejuſdem Mantuæ laureatum Decus ſic de Ci-
*ad ornith.* conia: *Cum Vere rubenti candida venit avis.* Coturnices ad-
*l. 10.* ventu ſuo, & abitu, utriusque æquinoctij tempora indicant.
*c. 29.* Authore Plinio Philomela cum æſtivo ſolſtitio colorem mu,
*L.8.c.28* tat, & vocem. Eodem teſte Hirundines, demiſſo volatu, in-
*L. 10.* dicant pluvias: Formicæ, dum ſuis ſe ſe cavernulis continent,
*c. 23.* præſagiunt tempeſtates: mures ruinam domûs præſentientes,
*Jer. c. 8.* tempeſtivè in aliam migrant: hinc eſt quod Hirundo quoque
*v. 7.* *Thebarum tecta ſubire negat*, utpote ſæpius capta, ab hoſtibus ſæpe vaſtata. Sed quid à profanis Scriptoribus teſtimonia veritati conquiro? dedit omni exceptione majus Jeremias, dum dixit:

xit: *Milvus in Cœlo cognovit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ci-*
*conia cuſtodierunt tempus adventûs ſui.* Dedit, Princeps Huſſiticus, *Job. c.*
dum de equo pronunciavit, *quòd procul odoretur bellum:* in quæ *39.v.25.*
verba Pineda: hoc ipſum profectò eſt, quod Plinius ait: *præſen-* *l.8.c.42.*
*tiunt pugnam*, tum etiam pugnæ ſucceſſum, id quod non paucis
exemplis eſt compertiſſimum: ſic Cæſaris equi paratas in eum *Lipſ.*
præſensêre inſidias,futurámque necem, pertinaci abſtinentiâ, & *epiſt. ad*
quod mireris, etiam lacrymis indicârunt: ſic Principem Valen- *Belg.*
tinianum, pridie quàm periret, conſuetus non admiſit Sonipes, *cent. 3.*
ſed præter morem ferociens, erectis etiam pedibus repulit indi- *ep.*
gnantem. Denique & ſuo calculo hoc confirmavit D. Am- *Am̃ian.*
broſius: *ſolent vultures, inquit, mortem hominis quibuſdam ſignis an-* *30.*
*nunciare: cùm enim lacrymabile bellum acies inter ſe inſtruunt, multo* *l.5. hex.*
*vultures ſequuntur agmine, eóque ſignificant, quòd multa hominum* *c.23.*
*multitudo, bello caſura ſit, futura præda vulturibus.* Sed illud pene ſuperat fidem, quod fide digniſſimus Philologorum Princeps, Juſtus Lipſius, refert de cane, quem Juſtiniano Principe Biſantij in publicum produxit Agyrta; hic annulos, à confluente populo in acervum congeſtos, jubente Domino, cuique ſuum reſtituit: eodem quærente, quinam dives, qui pauper, quæ virgo, quæ vidua, ſingulas prehensâ veſte divinavit Augur adeò felix, ut locò Apollinis Delphici eum, ſi vidiſſet, adorâſſet Antiquitas. Illud denique Miraculo propius, quod de Simia Bengalenſi, Poſteritati relictum legimus. Admirata eſt ejus Artem divinatoriam Mogorenſis Aula, dum annulum Regium, in ſinu ludentis parvuli clàm depoſitum, à Simia mox inventum, Regíque reſtitutum vidit. Sed tunc ſtupore pene obriguit,dum congeſtis in Urnam variarum Legislatorum nominibus, Simia juberetur illius nomen ſeligere, qui legem omnium optimam in Orbe tuliſſet. Illa quippe, dum modò extraheret Mahometis, modò Lycurgi, nunc Cami Japonenſis, nunc Húmoi Sinenſis Nomothetæ probroſa, Mundóque infauſta nomina, olfactu explorata mox laceravit indignans: Moyſis Iſraëlitici Ducis ſchedulam rejecit ſolummodo: ſolius Chriſti nomen, miris geſtibus adoravit, lætíſque tripudijs Chriſtianam legem profeſſa eſt optimam, Chriſtúmq; Legislatorum Legislatorem DEUM. Ejusmodi Prophetas, ſi plures aleret noſtra Religio, non indigeret Apoſtolis, ut per Orbem totum brevi temporis ſpatio propaga-

pagaretur. *MEL:* Saulem eſſe inter Prophetas, quondam fuerat paradoxum: quid dicam, ſi tu hirundines, equos, & ſimias prophetico afflatos Spiritu defendas in tuo Peripato? apage inſulſa, quæ quia nimia, ſe ſe ultrò evertunt. Si argutari ſic libeat, non rationem modò, ſed intellectum plusquàm humanum concedas Brutis, neceſſum eſt. Nunquid enim

*Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,*
*Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu?*

Quis, quæſo, Mortalium conficiet mel, ùt apes? quis herbas dignoſcet frangendo ferro, pellendis venenis, reparandæ Juventæ idoneas, ùt picæ, muſtelæ, ſerpentes? quis futuras peſtes præſagiet, velut ciconiæ? tenendum igitur primò: quòd ſicut vis plaſtica omnem induſtriam ſuperat, ac rationem humanam, non quòd intelligat, ſed quòd intelligentis DEI ſit inſtrumentum, ita non abſimile quidpiam de virtute Brutorum æſtimativâ cenſendum eſt. Non inficior 2dò, vim ſenſitivam animalibus eſſe magìs ſubtilem, atque ideò ad elementorum influxus, præviáſque qualitates percipiendas, magìs idoneam, cùm ſint mentis exortes, neque ſenſus intellectûs miniſterijs ſic occupentur. Tenendum denique, non raro occultas à Genio Stygio miſceri præſtigias: vidi, dum etiamnum puer Palladis merebar ſtipendia, equum ejusmodi, ſupra Pegaſum occulta quæque divinantem, quem tamen ad rogos damnatum, Stygióque Alaſtori jugalem datum, brevì Fama vulgaverat.

*Auguſtæ Vind.*

LEUC: Non adeò tuæ me adverſum Sententiæ fateor: ne tamen penitùs ſubſcribam, mira in Brutis obſtat diſciplinæ capacitas, quam ſine rationis adminiculo vix perſuaderes, *quamvis ipſe tuo Phœbus loqueretur ab ore.* In hiſtorijs ſcio te nec peregrinum, nec hoſpitem, hinc ſelectiora tantùm in medium affero, tuo, ſi lubeat, calculo enucleatiùs dijudicanda. a Quid exiguo mure videri poſſet ad diſciplinas ineptius? & tamen, ad heri Imperium, candelam hoſpitibus præferre doctus eſt, oculato teſte Magno Alberto: b Sacerdos, quem mirata eſt quondam Helvetia, felici prorſus Magiſterio, ſic inſtituit murem, & felem, avem, & canem, ut cymbalo convocati, illicò ad cænam ſe ſiſterent, raráque concordiâ, ſumptis ex eâdem ſcutellâ cibis ſe ſe reficerent. c Quid elephantis mole magìs inconditum? & nihilominus viſi ſunt ambulare in funibus, ſaltitare ad nume-

a *Apud Toletum P.Claud. Frere*

b *in Theor. phyſic. Metaph. S. 11. concl. 3.*

c *Plin. l.8. c.1,2.& 3.*

numerum: imò & litteras quoque Romanas proboſcide belliſſi- *Ælian. l.*
mè exarare. Regem habuit India, quem docti ſunt Elephantes *2. c.4.11*
ſubmiſſis genibus adorare, coronam porrigere, ad inſtar cuſto- *L. 17.*
dum corporis per vices in ſtatione ſuccedere, itáque vigilias age- *c. 26.*
re, ut ne ad ictum quidem oculi dormitarent. Quid efferatius a
Leone? & tamen *longa dies homini docuit parere leones.* Certè Æ- *Plin. l.8.*
liano teſte, Leones in India ſic cicurantur, ut habenâ duci, & ad *c. 42.*
venandos hinnulos, cervos, apros, ſylveſtres tauros, ac onagros, *Busbeq.*
canum inſtar agi, ſine periculo, queant: ſic Hanno Carthaginen- *ep.3. leg.*
ſis, primus ille jubatæ ferociæ domitor, leonem aluit, mediaſti- *Turc.*
ni inſtar, vaſa portantem: Marcus Antonius, triumphos Cybe- *Scaliger.*
les æmulatus, indomabiles domuit, junxítque in curru effrenes, b
freno moderante, leones. a Quis Equis eſſe ingenium neget? *Lipſ. ep.*
ſi videret ſatellitis ſubire officia, ſubmiſſis genibus ſeſſorem reci- *ad Belg.*
pere, nunc tela humi jacentia, nunc enſem, mordicus humo ſub- *cent. 3.*
latum, hero porrigere? ſi cerneret ad equitis nutus, nunc ambu- *ep. 57.*
lare, properare ſuccuſſim, currere: nunc geſticulari, pyrrhichas *Lipſius*
agere, nunc bibere vina, nunc convivari? b nôrant uti hoc inge- *ibidem.*
nio Crotoniatæ, dum Sybaritarum Bucephalos, more Gentis lu- c
xui, & choreis aſſuetos, inflatis tibijs, animârunt ad ſaltus, ſíc- *Idem ep.*
que ſeſſores his tripudijs excuſſos, hoſtili ferro ad unum omnes *ad Belg.*
interemerunt. c Canibus docilitatem plusquam humanam ineſ- *cent. 1.*
ſe miratur, teſtatúrque eruditorum facilè Primas Juſtus Lipſius, *ep. 44.*
dum Lovanij canem fuiſſe memorat, qui litteras collari inſertas, d
accepto ſigno, Bruxellam deferebat in notas ædes, eodémque *Marthes*
die reſponſorias referebat, fideliſſimus non modò, ſed & celer- *Rex Æ-*
rimus nuncius: dum alium vidiſſe ſe ſcribit, qui Bruxellis, cor- *gypt. Æ-*
be ſibi appenſo, & ferebat in macellum pecunias, & carnes pro *li. l.6. de*
pecunijs referebat: contigit, ut in reditu quondam canes alij, *animal.*
odore, faméque exciti, prædam ſibi depoſcerent; mox ille de- *l. 7.*
miſſo in terram corbe, per gyrum ad uſque vulnera propugnare *Idem l.*
depoſitum, fugare hoſtes, dum tandem multitudine victus, & ipſe *40. 26.*
unà irruere, partémque de præda capere, ne ſaltem mercede *apud Ind.*
locatæ fidei fraudaretur. Quid dicam? de pennigeræ Gentis mi- e
ra capacitate? d Tabellarios alatos egêre cornices, & columbæ: *Perottus*
Venatores leporum, vulpiúmque Aquilæ, & Milvi. e Alphonſi *apud Al-*
Regis candidiſſimus corvus venabatur nigros Neapoli: f Perdices *drov. l.*
ſibilô ſub veſperum revocatæ, ſuevêre ſocias, nondum cicures, *12. c. 1.*

R domum

f domum reducere in Inſula Chiu. Sileo Pſittacos humanæ vocis æmulos; Picas, de quibus ſufficiat illud Poëtæ: g

*Nicol. de Nicolais l. 2. navig. orient. c. 8.*

*Pica loquax certâ Dominum te voce ſaluto:*
*Si me non videas, eſſe negabis avem.*

g *Martial. in Xenijs.*

*MEL:* Fruſtra fatigas ingenium, ſi hiſce experimentis, ingenium Brutis eſſe contendas. Diſcunt, ſed ut amentes, ſine mente: operantur, ſed velut infantes, non ex ingenio, ſed ex phantaſtico genio: apprehendunt, non dijudicant doctrinam: agunt, non quod ſciunt, ſed ad quod per phantaſmata pœnis, prœmiiſve impreſſa, & ſuo nunc ordine excitata, determinantur. Age enim, ſi Brutis ejusmodi Magiſterium adſtruis: cur equus ad numerum ſaltare doctus, non etiam hinnulos inſtruit? capacitas igitur iſta non arguit diſcurſum, ſed acquiritur virtute memoriæ, per connexionem phantaſmatum, repræſentantium actiones varias, vel connexas cum objecto jucundo, quo invitantur, vel cum moleſto, quo conturbantur. Quod animantium aliquæ ſint cæteris ſagaciores, ex nobiliori virtute phantaſtica provenire Philoſophis eſt manifeſtum.

LEUC: Quod ſi mira diſciplinæ capacitas in Brutis non arguit rationem, arguet forſitan Ethica, cujus vel in virtutibus obſervatæ, vel in vitijs neglectæ ſpecimina, æquè ac in hominibus, paſſim hiſtoriæ referunt. *Superbiæ* ectypon jure dixiſſes Bucephalum, qui regijs tumidus phaleris non niſi Alexandrum, his ſpoliatus quemvis admiſerat è ſtabulo calonem. Pavo ſuperbiæ ſymbolum, pene exhibet Cœlum, dum ſe evolvit in gyrum, nec ſine tumore, oculata caudæ oſtentans ſyrmata, etiam Iridem contemneret, niſi pedes deprimerent tumorem. Leo quoque faſtum egregiè prodit, dum heſternâ ſe ſe prædâ reficere, regiæque Majeſtatis in via comitem habere ſolitarius dedignatur: Philomelam ambitionis arguit Plinius, nam certant inter ſe, inquit, palámque eſt animoſa contentio: victa finit morte non rarò vitam, ſpiritu priùs deficiente, quàm cantu. *Vindictam* ſumpſit Elephas ille, qui à parvulo fortè lapide impetitus, diſſimulatâ non nihil injuriâ, brevì ex improviſo ſublatum proboſcide lapidem, ſic in pueri frontem illiſit, ut è veſtigio conciderit mortuus. De canibus memoriæ proditur, quòd, commiſſo ad Theſſalonicam cruento prælio, tantâ rabie in hoſtes Latinos ſint debacchati, ut etiam ſepulchris conditos eruerint.

*L. 10. c. 29.*

*Lipſ. ep. ad Belgas cent. 1. ep. 44.*

Rhodij

Rhodij 50 Moloſſos ante Urbem locaverant nocturnos excubitores: hi Chriſtianos exules blandè excipere, barbaros, inauditâ ferociâ, laniatos ſoliti ſunt trucidare. Sed nec Leo impunè læditur: *vulneratus* inquit Naturæ Encomiaſtes Plinius, *obſervatione mira percuſſorem novit, & in quantalibet multitudine appetit: eum verò qui telum quidem miſerit, ſed tamen non vulnerârit, correptum, raptúmque ſternit.* Crocodili lacrymæ, velut *perfidiæ* inſignes teſſeræ, jam in commune proverbium abiêre: utpote quæ non alio fine funduntur, quàm ut miſericordiâ motos, & in auxilium propiùs advolantes, perfidus hoſtis decipiat, deceptóſque dilaniet. Sed & Vulpem *ſua hypocriſis* dudum fecit infamem; dum eſuriens tantâ calliditate in aprico ſe ſe mortuam ſimulat, ut allectas propiùs ad illudendum ſibi aviculas, certatim capiat, rapiátque mox redivivus Impoſtor. *Injuſtitiæ* palmaris ream ſe ſe conſtituit Perdix, dum ex ovis, clàm furto ſubductis, excludit alterius pullos, adulterina Mater. Fucos, alvearia expilantes, ad reſtituenda damna fruſtra obligant apes: Coccyx dudum ſuſpendia meruit, dum alienis ovis clanculùm devoratis, ſua ſubſtituit, ut excludantur à Matre, turpi dolo deceptâ, in ejus commodum, qui non modò in alienos pullos crudelis, ſed & in ſuos fuit immitis Noverca. Stellionem Medici *invidiæ* arguunt, utpote qui non tam fame, quàm livore adactus, detractam hyemis pellem, ipſe devorat invidus, ne præſentiſſimum relinquat, morbo comitiali afflictis, remedium. Struthio, an *ſtultitiâ* ſe magìs infamem, vel *impietate* execrabilem reddat in Brutorum Republica, non facilè divinârim: ſtoliditatis certè palpabile ſpecimen illud eſt, quòd quidquid tangat, lintea, ligna, lapides, continuò devoret: imò: ſi inconditam corporis molem levi frutice condat, exiſtimat ſe latere bardum hoc animal: crudelitatem ejus notavit hominum patientiſſimus, dum dixit: *duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Vitij hujus ſe ſe ſocias jungunt Viperæ, & Scorpiones, venenata animalium probra; dum illæ naſcentes, rupto ventre, Matrem enecant: ex iſtis Mater undecim ſcorpiones enixa, decem continuò devorat, undecimo, quaſi in tanti ſceleris vindictam eſſet ſuperſtes, & Matrem quoque continuò devorante, ut planè dubites, an Mater ſit dignior talibus filijs, an filij tali Matre. Cæterùm communis fama *Salacitatis* accuſat Hircos; *guloſitatis* voraces Ardeas; *impudentiæ* Canes; *timiditatis* Cervos; & Lepores

*Æli. l. 3. c. 17. ex Theophraſt.*

*Job. 39.*

*Plin. l. 10 c. 62. idem l. 11. c. 25.*

*Alb. M.*

pores. Sed magna licèt ſint animalibus vitia, non tamen mino-
*Euſeb.* res ideò habent virtutes: *Charitatem mutuam*, totius Ethicæ faci-
*Emiſſ.* lè baſin, pro viribus ſuſtentant cervi, dum fluvium trajecturi, ſingulorum ordinatâ ſerie ſuccedentium, ſuſtentant capita, ſolo Duce erectum verticem tenente, dum ab ultimo mutatis vicibus ſuſtentetur. Squillæ benevolam operam niſi Pinna ſenti-
*Plin.l.9.* ret, dudum fame jam periiſſet. Hæc quàm infelix ſuâ eſt cæ-
*c.42.* citate, tam felix eſt hoc piſciculo comite: nam ſtimulante fame
1580 *Ca-* totam aperit oris concham; piſciculos audaciùs ingreſſos ubi
*ſp.Schott.* Squilla animadvertit, levi morſu dat ſignum Pinnæ, quæ com-
*in Phyſ.* preſſo rictu, quidquid incluſit, exanimat, prædámque cum fi-
*Curi.* deli ſocio dividit. *Pietatem* charitatis filiam coluit Mater Ciconia, quæ Francofurti nidum, flammis correptum, fortè intuita, cùm nequidquam undam, roſtro allatam, in Vulcanum evomeret, tandem anxia circumvolare, ligna decerpere, denique alis deſuper expanſis tamdiu ſuffocare, dum unà cum pullis ſe tumularet hoc amoris incendio, veluti digno ſepulchro, quia Phœnicum rogis glorioſiùs coruſcante. Sed à pietate Matris minimè degenerat digna tali Parente ſoboles: nam teſte Solino *eximia quoque ineſt pullis Ciconiæ* pietas; quæ tanto temporis ſpatio, & ipſi alunt Parentes, quantum in educationem impenſum ſibi gratâ memoriâ recolunt. Imò piſcis, de quo Divus Ambroſius, imminente periculo natos in alvum, velut aſylon, deglutiendo demittit, ſuperato periculo egerit ſalvos, atque incolumes. Sed nulli pietate cedit prudentiſſimus Elephas: ſiquidem Junior, absque Lycurgi legibus, Seniorem ſummo colit honore, à periculis ſervat, in foſſam fortè delapſum, injectis fruticum faſcibus, tanquam per ſcalas extrahit feſſum, ſenióque gravem: ſenior reciproca benevolentiæ ſtudia deſiderari minimè patitur: nam pullos, fluvium tranaturi, ſuper dentium eminentias portant, juniores præmittunt, ne majorum ingreſſu intumeſcens alveus, mergat debiliores. Sed non unâ virtutis laureolâ contentus eſt, plures & meretur, & petit: *obedientiæ* ſpecimen cupis? & ecce! *Elephante nihil obtemperantius*: nam *hominis imperio ſemel*
*Plin.l.2.* *ſubjectus, omnia ei præbet obſequia*, ſi Philoſtrato fides eſt. Non mi-
*c.11.* nore *obſervantiâ* Regem ſuum adorant Apiculæ: de his Mantua-
*l.2.c.5.* nus Apollo: *Regem non ſic Ægyptus, & ingens*
*Georg.4.* *Lydia, nec Populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes*

*Obſer-*

*Obſervant. Rege incolumi mens omnibus una eſt:*
*Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes*
*Circumſtant fremitu denſo, ſtipántque frequentes,*
*Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello*
*Objectant, pulchrámque petunt per vulnera mortem.*

*Manſuetudinis* exempla deſideras? & elephantem rurſus Stagirita *animalium omnium dicet mitiſſimum*: nam teſte Plinio, *homini obvio in ſolitudine, & aberranti placidus demonſtrare viam dicitur.* Sed luculentiùs mitem hanc indolem obſtupuit Roma, dum cerneret parvulum, proboſcidem petulanti ſtylo pungentem, ſubitò ab elephante correptum, jam jámque excutiendum in aëra, auditis tamen ſociorum lamentis, humi depoſitum molliter, quaſi ſatìs haberet, hoc metu puerilem audaciam caſtigâſſe, ùt inquit Pierius. *Clementiam magnanimitati* conjunctam ſi optas, utriusque ectypon in Leone conſpicies: nam Hagiographo atteſtante, *fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavet concurſum;* imò clamore ſolo, ùt D. Baſilius Author eſt, omnes terrefacit, multas quoque ſolo rugitu in veſtigio ſiſtit, atque exanimat. Sed fortitudinem tantâ tamen clementiâ temperat, ut hoc ei elogium dare non dubitet Plinius: *proſtratis parcit, & ubi ſævit, in viros priùs, quàm in fœminas fremit, in infantes non niſi magnâ fame. Credit Lybia intellectum precum ad Leones pervenire: captivam certè Getuliâ reducem audivi, multorum in ſylvis impetum à ſe mitigatum alloquio, auſam dicere, ſe fœminam, profugam, infirmam, ſupplicem, animalis omnium generoſiſſimi, cæteriſque imperantis, indignam ejus gloriâ prædam. Fortitudinem* Leoninæ non imparem demiratus eſt olim Alexander Macedo in caninâ Albaniæ ſobole, dum illam vidit, ad apros, & urſos, veluti viribus ſuis indignos, non ſine contemptu jacere immotam, ad leones immiſſos, ac elephantes, veluti hoſtes, magnanimo robore digniores, mox ſurgere, horrentes corporis villos erigere, ingenti latratu intonare, demum irruere, horrifico duello laceſſere, tandémque aſſidua rotatos vertigine ſolo affligere, *ad caſum illorum tellure concuſſa*, ùt Author eſt Plinius. *Sedulitate* non robore præſtant Bombyces: dum

*Nulli operum immunes,* dum *omnes eſt cernere paſſim,*
*Noctes, atque dies niti præſtante labore,*
*Et quaſi de palmâ ſummas contendere vires.*

*L.9.hiſt. c.46. l.8. c. 4.*
*in Hier. l. 3.*
*Prov.30. v. 30.*
*D. Baſilius. Hom. 9.*
*l.8.c.16.*
*Hier. vide in Bomb.*

a Quin, inquit Aldrovandus: ſunt, qui dum alios *labore vincere ſtu-*
*Ariſt.* *dent, in medio opere immoriantur.* a *Continentiâ* præ reliquis ſe ſe ce-
*l.9.c.7.* lebres reddunt Turtures, bigamiam omnem exoſi: *Caſtitate* Api-
b culæ, jure à M. Varrone dictæ *aves virgineæ, Muſarúmque volu-*
*Virg. Ge-* *cres:* b non enim *Corpora ſegnes in Venerem ſolvunt, nec fœtus nixi-*
*org. l.4.* *bus edunt.* c *Simplicitate* celebrantur Columbæ, Serpentes *pruden-*
c *tiâ* dum aurem unam terræ affigunt, alteram caudâ ſapienter *ob-*
*Matth.* *turant, ne exaudiant vocem venefici incantantis.* *Abnegationis* quoq;
10.*v.*16. encomia retulit Leo ille Barcinonenſis, e qui,ut furioſos nimiùm
d iræ impetus moderaretur, tam violento ſe ſe imperio compreſ-
*Pſ.* 57. ſit, ut ſubitò moreretur, fortior utique dum ſe, quàm dum for-
*v.*4.&5. tiſſima vicit animalia, proſtravítque. Sic amorem quoque
e cœleſtium nos docet Uranoſcopus piſcis, à juniore Tobia captus:
*P.Nier.* nomen traxit ex omine; nam unicum oculum gerens, quo Cœ-
*hiſt.Nat* lum ſpectat, erecto ſemper ſtat corpore, quaſi nobis oggereret
*l.*1.*c.*11. illud Ovidij. f
f *Os homini ſublime dedit, Cœlúmque tueri*
*Meta.* *Juſſit, & erectos ad Sidera tollere vultus.*
*v.* 85. Etiam *Crucis amorem* (qui in hominibus rarus) reperiri in ani-
*l.*1.*c.*8. malibus Author eſt Nierenbergius. g Ait ille, Avem Indicam
eſſe (cui nomen *Hoitziltotlus*) exiguam corpore, ſed pruden-
g tiâ quadam incredibili præcellentem: quæ poſteaquam adole-
*L.* 1. verit, proceram arborem quærat, in qua, quoquo poteſt mo-
*c.* 8. do, crucifigatur: ſiquidem affixa roſtro, ex ea ſe ſuſpendit, ac
per ſemeſtre ſpatium, aut jejuna, aut mortua illi adhæret, do-
h nec vitalis ej refloreat annona. h Sed *fidelitatis*, & *gratitudinis* de-
*Epiſt. ad* cora ſi prætermittam, de Brutorum Ethica nihil dixi, vel parum.
*Belg.* Speciali memoriâ celebratur canina ſpecies, quam *homini fideliſſi-*
*cent.* 1. *mam* teſtatur Plinius; Lypſius verò exemplis confirmat, uterque
*ep.*44.& de Brutorum Republica optimè meritus. Aluit canem Lypſij
*cent.* 3. Avia, qui ab ægrotantis thalamo, vi nulla depelli poterat, diu
*epiſt.*56. noctúque fidelis vigil; vix illa Fatis conceſſerat,cùm ille ululans,
reductâ caudâ, in hortum ſe proripit, pedibus ſcrobem leniter
fodicat, ſe ſe ingerit, & ſine Domina vitæ pertæſus, pariter vi-
vere deſiît. A Cadavere Pyrrhi cujuſdam avelli canis non po-
tuit: cùm efferretur, is inſilire in lectum, cùm deponeretur in
rogum is pariter ſe ſe ingerere, & unà cum hero fidelis victima
in cineres redigi. Titio Sabino, Romæ in carcere interempto,

ac in

ac in ſcalas Gemonias projecto, canis fidus aſſecla aſtitit, tam horrendos in ululatus erumpens, ut populus turmatim affluerет, objectóque pane inconſolabilem ſolaretur: ſed ille arreptum fruſtulum cadaveris ori nequidquam admovere, in Tyberim projectum ſequi, adnatare, ſe ſe ſupponere, ac ſuſtentare fruſtra conatus, tandem cum Domino mergi, demergíque, fidelitatis inauditæ relicto etiam hominibus teſtimonio. Fuit, ùt Author eſt D. Ambroſius, qui Domini, de nocte interfecti, Parricidam, dum turbæ im̃ixtus, cadaver orto ſole accederet, incredibili rabie corriperet, proſterneret, donec ultrò Authorem cædis ſe fateretur. Illud mirabile, quod noſtri temporis celebre Nomen, Aſcetas inter, commemorat: Herum in Bacchi orgijs, more malè recepto, larvatum fortè læſerat catellus imprudens, hunc ubi detractâ mox larvâ agnoverat, inexplicabile dictu! quàm ille ejulare, adrependo veniam petere, baculum ore prehenſum offerre, & parcente nihilominus Domino, tantâ ſe ſe ipſum inediâ caſtigare, dum tandem mœrore confectus contabuerit potiùs, quàm exſpirârit. Hinc eſt, cur *Maſſaniſſa ſalutem ſuam cuſtodiâ canum vallârit*: cur *Caſpiadas turba canum non ſegniùs acres exſiliat ad lituos, pugnáſque capeſſat heriles.* Sed glorioſa latrantum veſtigia pro Viribus æmulantur animantes etiam cæteræ: quis neſcit Bucephalum, utut vulneribus prope exanguem, viribúſque exanimem priùs Fatis non ſuccubuiſſe, quàm Alexandrum è medijs hoſtibus extra teli jactum, conatu ultimo, poſuiſſet? meritus proin, ut eidem erigeretur Bucephala Civitas, glorioſum ſimul Mauſolæum, & gratitudinis regiæ monumentum. Androdus Leoni, extractâ è pede ſpinâ, dederat ſanitatem, Androdo, in circo Romano leonibus objecto, viciſſim hic reddidit ſalutem. Macario Hyænæ benefactori ophthalmico pro mercede mox obtulit ovinam pellem. Aquilam novimus, quæ in duello cum ſerpente, à meſſore liberata, mox liberavit ipſum liberatorem, hydriámque venenato potu plenam, amicâ inimicitiâ ter ab ore excuſſit: ſed ne virtutes Brutorum com̃emorans ipſe vitium periſſologiæ incurram, abrumpo; ſatìs ad intentum dixi, ſi non abundè. *MEL:* Non imprudenter præoccupas: ſat cognita fuſiùs recenſenti, aurem præbere benevolam Eutrapeliæ, vel ſi mavis, patientiæ virtus eſt. Tam multa dicenti, præcipuum excidit. Omiſiſti novum pro animalibus Cœlum, omiſiſti Orcum,

*Valer. max. l.9. c. 13.*

*Gellius noct. attic. l. 5. c. 14.*

cum,

cum, hunc pœnam pro vitijs, illud pro virtutibus prœmium. Cur dubitas? Bruta, quæ apotheoſi jam decorâſti, Olympo excludere ſine injuria nequis: Ecce! quænam in avia tua te Philoſophia deducat. Sive vitia probet, ſive virtutes, calumniam infert, per illa Brutis, per has hominibus. Umbram igitur virtutis, & vitij, ſive motiones quaſdam à Natura ingenitas, quibus ſpecies ſtabiliter reſpondent, ineſſe Brutis dicendum eſt; utpote, cùm vera virtus, & vitium ijs ſolummodo convenire poſſit, qui delectu, ſuóque arbitrio operantur.

*MEL*: Falleris, ſi meam hanc eſſe aſſeras Philoſophiam: ſum interpres, non Author, ut tu ſis Magiſter, ego Diſcipulus. Scio virtutem brutis tribuere ſanæ mentis non eſſe, quia patenter falſum: ſed & ſcio, quòd hæc omnia in cæcum naturæ inſtinctum refundere, non videatur eſſe Philoſophi, quia patenter durum: age enim, Chryſippi canem conſidera, & videbis, ùt perſequendo feram ad trivium delatus, exploratis odoratu duabus ſemitis, mox tertiam ſit ingreſſus, hoc equidem, a ſi D. Baſilio credimus, diſcurſu ſyllogiſtico determinatus: *fera quam perſequor, aut hac, aut illa, aut iſta divertit parte: atqui non hac, non item illa* (cum nullum fugitivæ veſtigium deprehendam) *reſtat ergò, illam iſtâ abiîſſe viâ.* b Indiæ Simias attentiùs contemplare, & videbis, cum barbaris pro pecunijs ludere, in luſu victores ſuos civilitate minimè barbarâ ad Oenopolium invitare, iíſque de parto lucro potum liberaliter ſolvere: & quis iſta per ſolos naturæ impetus ſolvat, niſi unà diſſolvere velit totum Peripatum? Actiones ſingulas Philoſophicâ trutinâ perpende, & in Stoicum migrabo totus, niſi finem deprehendas in ſingulis, propter quem operantur: niſi media palpes utraque manu, quæ eligunt conſequendo fini maximè opportuna. c Pro teſte canem adducit Plutarchus, qui amphoræ oleariæ inſidiatus, cùm ſuperiùs anguſtam, nec ſatìs plenam intueretur, tamdiu conquiſitos à ſe lapillos in lecythum injecit, donec aſſurgeret oleum, & ipſe lambendo, ſatisfacere gulæ poſſet. d Cancer, ubi oſtreas videt, hiante conchâ, radiantem Phœbum admittere, mox ex inſidijs prorumpit, lapillô inſtructus, quo clanculum injecto, conchylij portam reddit ſibi patentem, ſícque pro libitu chelis extrahit prædam, malè cuſtoditam, quia malè clauſam. e Aſtutiùs more ſuo ſe ſe vindicat vulpes, pulices, cuſtodes domeſticos, exoſa. Senſim ſe ſe undis

a *Hom. 9. in hex.*
b *P. Nier. hiſt. nat. l. 9. c. 44.*
c *Apud Lypſ. ep. ad Belg. cent. 1: ep. 44.*
d *S. Ambr. l. 5. de op. 6. dier. c. 8.*
e *Lud. Gran. tr. de creat. Mundi c. 14.*

undis immergit capite tenus, eo fine, ut fugientes turmatim hoſpites florente ramô, quem ore tenet, veluti aſylô, excipiat, exceptóſque demergat, ut planè dubites, an ingenioſiùs ſumat vindictam, an comodiùs depellat moleſtiam. Erinaceo jure ſubſcribas pro lemmate, *Nil ſine fine.* Hic duplicem portam latibulo præſtruit, Boreæ unam, alteram obverſam Auſtro, ut hoc flante obſtruat unam, illo moleſtiùs tumultuante obſtruat alteram: idem penui ſuæ in hyemem proviſurus, maturis jam fructibus Pomonæ atria luſtrat, ibíque per decidua ſe ſe poma volutans, onuſtus redit cum ſpolijs, totus ipſe quantus quantus, ſpoliator ſimul, & ſpolium. Canes Ægyptij non niſi carptim, & per intervalla Nilum deguſtant, ne ſuam longiori morâ levantes ſitim, Crocodilis ad fluvij crepidinem latitantibus reſtinguere cogantur famem. Quid dicam de Polypo? eligit ille media, non minùs apta ad ſe tuendum, ne præda fiat, quàm opportuna ad decipiendum, ut prædam faciat. Nam hoſtem cùm metuit, ſubtus ſaxa deſidet tutus, eorúmque colorem ſic induit, ut cum Batto in ſaxum obriguiſſe diceres: ſícque piſces majores fugit, minores fallit; hos enim, velut ad ſaxum incautiùs adnatantes brachijs ſuis ceu retibus carpit, capítque. Quid de Aquila, non oculis modò, ſed & ingeniô acutiſſima? Teſtudinem ut venetur, teſtam ad ſaxa alliſam frangit, uti malè ſenſit infelix Æſchylus, cujus calvitie decepta Aquila improviſum proſtravit, decepítque, cùm ipſe Fata decipere niteretur. Sed & Ardea Falconis inſidias vitatura, *notáſque paludes deſerit, atque altam ſupra volat Ardea nubem.* Quòd ſi hoſtem ſuperiorem ſe conſpicit, reſupino in tergora roſtro, velut acuto longóque ſpiculo, excipit cæco impetu in ſe ruentem, tranſadigit, vincit, vel ſaltem non moritur inulta. De Perdice ſic Stagirita: *cùm ad illius nidum acceſſerit quiſpiam, provolvit ſeſe ante pedes venantis, ſicque allicit hominem ad ſe capiendam, uſque dum pulli effugiant: tum & ipſa avolat, revocátque prolem.* De eadem Plutarchus: *aſſuefacit pullos, urgente aucupe jacere ſupinos, injectáq; corpori glebâ velut tegumento fallere indagantes.* Quid igitur mirum, ſi, quòd Coſmographi aſſerunt, Nationes ſit invenire ſub Cœlo, qui in Brutis rationem colant humanâ longè majorem? quid mirum, quòd Barbarorum non nulli pro Rege recipiant Canem, ejúſq; nutibus obſequantur? quid mirum, quòd Caligula Sonipedem ſuum creaverit Conſulem? ſed pro complete-

*S. Baſ. in Hex. hom. 9.*

*Plin. l. 8. c. 10.*

*Idem l. 9. c. 30.*

*Aldrov. l. 20. c. 8. Ornith.*

*Virg.*

*l. 9. hiſt. c. 10.*

*L. de ſolert.*

mento ſerviat ſtratagema, quo Simia Julij Imperatoris non ingenioſè minùs, quàm lepidè ſuum conſecuta eſt finem: caſtaneas, calido contectas cinere, ut à foco eleperet illæſa, catum obvium arripit, mutuatíſque illius pedibus, velut opportunâ fuſcinulâ, cunctas harpagat indemnis, non ſollicita de alieno damno, ſed de ſuo emolumento læta, quia ſatiata. Jam ego te per omnem Stagiram adjuro, quid de his omnibus Philoſophus ſentiat, cordatâ mente ediſſere. Si adverſæ partis Tribunal appellem, lis pridem deciſa eſt: ex cæco ignorantiæ aſylo depromentur mille inſtinctus, Naturæ determinantis impetus ſine fine, antipathici, ſympathicíque effectus ſine numero, quibus, velut Ajacis clypeo, impugnantium tela non tam elidunt, quàm eludunt. Avicula, inquiunt, pro conſtruendo nidulo colligens paleam, non cognoſcit medij proportionem, ſed apprehendit meriſſimè *nidum & paleam*, & quòd præ lapide attollat paleam, Naturæ inſtinctui in acceptis referat, oportet. Sed age, an modus hic arguendi Philoſophum notat, qui dignus ſit Athenæo? an hæc agendi methodus principium deceat, quod cognoſcitivum voluit Creator? quod operationes mirabiles, ſi noſtro non arguunt ſimile, ſaltem non notant toto Cœlo diſſimile? age, an conformius hoc rationi, quòd Bruta, quæ videmus, non appetere media, niſi præcognito fine; quæ cernimus, aſſumere utilius medium præ minùs utili; quæ híſce oculis intuemur, diſcernere à noxio utile, an, inquam, conformius hoc rationi, quòd non agant, niſi per inſtinctus ſympathicos? Superi! quæ ſympathia ad famem, qua Hirundo cibum famelicis defert, nec abſumit, ipſa pullis omnibus magìs famelica? qui inſtinctus, quo canis ad Venatoris imperium mox relinquit feram, quam priùs inſtinctu avidiſſimo perſequebatur? evertatur Hercle Peripatus, pereant Athenæ, ſi non niſi per cæcos impetus noſtra diſcurrit Philoſophia. Impunè ſuis Automatis triumphare jam poteſt Carteſius; quis impugnabit, niſi quòd operationes noſtris analogæ principium arguant proportionatum? quis propugnabit animalium vitam, niſi quòd agendi modus ſine vita explicari non poſſit, præterquam ab ijs, qui ſi non vitâ, ratione ſaltem deſtitui convincuntur.

*MEL:* Enimverò ſi tam potenter, quàm ferventer, pro domo tua Cicero peroràſſes, manibus, pedibúſque in tuam irem Sententiam. Sed utut non dixeris nihil, non tamen, me Judice,

dice, dixiſti totum? Naturæ horres inſtinctus, & ego, ut fatear, averſor: quid igitur? an admittendum cenſes, à Brutis cognoſci media, prout utilia ſunt ad finem? an judicas, quòd apprehenſio prævia, de medij proportione, ad judicium illa determinet comparativum? an ad Diſcurſum, vel quod inde fluit, electionem etiam liberam medij propter finem? apage monſtra Philoſophiæ, quæ non niſi hæreticos poſt ſe trahunt abortus! quid ſentiendum igitur? adverte animum, dum paucis tibi meam cupio perſpectam mentem. Nî vehementer me fallunt illa, quæ in medium attuliſti hactenus, homini in ſuam Sententiam non penitùs obſtinato, & ſuadent, &, ùt reor, perſuadent, etiam ab Avicula non tantùm cognoſci paleam, ſed & convenientiam paleæ ad talem finem: quòd autem hæc non cognoſcat per judicium comparativum, dabimus adverſæ parti, nec inviti: quia evincit ratio, & pene dixiſſem, requirit fides. Media igitur tenenda via eſt, ut vites Scyllam, nec tamen incidas in Charybdim. Dicendum firmiter, cognoſci ab Avicula medij proportionem, non quidem judiciô, ſed apprehenſione quadam proportionatâ, qua neceſſariò determinetur ad appetendum hoc potiùs medium, quàm illud, ad tollendam potiùs paleam, quàm lapillum. Hoc autem modo, an in phraſi ſcholaſticâ Bruta agant propter finem formaliter, ſed imperfectè, de nomine lis eſt, quam ad Orbilij trutinam ventilare nec libet, nec licet.

LEUC: Beatè; nam medium tenes: utrique parti das aliquid, neutri concedis totum, felix Arbiter, quia elicis ex falſo verum, & vias aſperas componis in vias planas. Sed ecce! ad viæ metam nos ſiſtit Diſcurſus: præſtò eſt villa, ambulationis tuæ, ùt audio, plerumque terminus. Placet ſitus; nec ipſe, reor, Tullius hoc jure Tuſculum averſaretur. Quod illi nomen? quænam origo? quis loci Mecœnas? *MEL:* Nomen *Villæ novæ* loco indidit Novitas: originem debet Philoſophiæ; nam fuit Thomaſo, inter Sophos illuſtre Nomen, qui ſuis ſtudijs accommodârat ſylveſtre hoc Athenæum. Et quia cum nomine cultum quoque induerat D. Thomæ Angelici, etiamnum Sophi, Villam ejus honoribus conſecravit, unde in hunc diem quoque audit *Villa Angelica*, ejúsque inſignia, *Bos mutus*, in frontiſpicio viſuntur. Hic Sophus illuſtris, ubi Fatis conceſſit cum tempore, hæredem loci ſcripſit Peripatum, cujus uſibus etiamnum ſervit, nec

rarò Philoſophis præbet gratum in æſtu umbraculum, in curis animi levamentum. Hæc de origine loci, illius ſitum, exploratore oculo, propiùs arbitremur. En! in Orbem plantata viret, séque gyrat hæc ſylvula, & quia ambulacris umbrificis exornata, Peripateticos ad diſputandum invitat, obviæ ſemper occurrunt ferarum variæ ſpecies, quæ dum ſaltum hunc animant, Dianæ gaudia, Sophis præbent jucundos diſcurſus. Illic erecta ſunt vivaria, hìc aviaria, ſuis ornata Philoſophicis exedris, quæ virentibus arborum ramis inumbrata, tam concinnum diſputationi aperiunt Lyceum, ut nihil vel ad acuendam Ingenij vim efficacius, vel ad excitandum voluptatis ſenſum, illecebroſius fingi poſſit. Excurrit hoc nemus in pulchritudinis raræ pomarium, quod prata amœnè ridentia conjungunt Villæ. Sed & ſtriduli amnes, lymphæque cryſtallinæ, ùt vides, liquidam aſpergunt animo voluptatem: nec deſunt lacus, divitésque piſcinæ, quæ Sophis varia in diſcurſum offerunt experimenta. Et ecce! ſtamus ad villæ hortum, in quo ſuperba ſit Chloris, ſi magìs venuſtum pro ſua Regia, petat decorem: hìc oculos recreat florum varietas, ibi alvearia Philoſophorum alliciunt diſcurſus. Verbo: non video, quòd in campis Elyſijs quidquam finxerit fabuloſa Antiquitas, quod hoc in loco non offerat ſuis Cultoribus Naturæ amœnitas.

LEUC: Si tantus foris eſt villæ lepos, quanto interiùs abundabit? Eja! ingrediamur. Quam habet porta epigraphen? *MEL:* Genio loci accommodam:

*Eſte procul tetricæ, curarum tædia, larvæ:*
*Nam ſacra hìc regnant otia, læta quies.*

En! in portæ cacumine Bos volat alatus, mutum Angelici ſchema: nam noveris, hunc Angelum in Philoſophia, dictum à Condiſcipulis *Bovem mutum*, eò quòd plura cogitaret, quàm diceret: nec diſſenſit ipſe Profeſſor Albertus Magnus, nam *Bovem mutum* eſſe aſſeruit, ad cujus mugitum, fore, ut contremiſcerent Tartara, & obſtupeſceret univerſus Orbis. Sed Stoam Angelici ingrediamur: Stoam nomino hanc ædificij Aulam, nam affixis ſymbolis refert Angelicum Herculem, Brutorum omnium Domitorem, quia affectuum Expugnatorem; verè Stoicum, quia Apathicum; Victorem Mundi, quia Victorem ſui. En! hìc Hercules profligat Hydram, cùm titione accenſo in fugam dat

fœmi-

fœminam: ibi domat in ira Leones, & Tigrides: hìc Arcades debellat, induſtriæ clypeo; ibi expugnat Cameleontes, demiſſionis Chriſtianæ exemplo. Hìc Epicuri aſſeclis Alvearia monſtrat hoc lemmate:

*Alvear ecce! Schola eſt; ſed & eſt Apis ecce! Magiſtra:*
*Doctores Bruti diſcite, Bruta docent.*

Ibi Formicæ ſymbolo pigros inſtruit Endymiones, affixâ Epigraphe.

*Informem hac formâ pigrum Formica reformet:*
*Proſpiciendo famem, proſpiciendo fami.*

In Aulæ fronte cernis Doctorem Angelicum, inter Bruta medium, omnium examinantem virtutes, & paradoxas ſtupentem proprietates: è Brutorum virtutibus Sophorum colligit vitia, & ut affectiones brutas domare diſcant, ſuo invitat exemplo; verè Sophus, quia appetituum Domitor, & Imperator ſui: lege ejus Imagini inciſum Elogium.

*Angelum vides, & Hominem,*
*Quia vides Doctorem Angelicum.*
*Mirare Metamorphoſin!*
*Ex Bove muto Apicula:*
*Nam ex ejus cerebro tot prognatæ Apiculæ,*
*Ut Doctorem Mellifluum crederes,*
*Niſi Angelum induiſſet,*
*Ut dici poſſet Angelicus.*
*Angelus erat, antequam eſſet Doctor Angelicus:*
*Angelorum Diſcipulus, & pene æmulus fuit.*
*Ejus Ingenium nemo hactenus totum novit:*
*Qui omnia ſcivit, Ingenij ſui limites neſcivit.*
*Dixiſſes Philoſophiam illi infuſam, non acquiſitam,*
*Ariſtotelem didicit propemodum ſine Magiſtro,*
*Vix eum Ariſtoteles ſine Doctore didiciſſet.*
*Dubium eſt inter Sophos,*
*An ille plus Sapientiæ, an illi plus Sapientia debeat?*
*Oſtendit in Angelico, quid tota poſſet:*
*Implevit illius Ingenium, nec explevit.*
*Stupeſce hunc* Bovem mutum:
*Qui doctiùs ſilet, quàm omnes Sophi loquantur:*

*Qui ſuo ſilentio facit diſertum Orbem.*
*Mirare hunc* Bovem mutum:
*Quem in cœleſtem Zodiacum Sapientia tranſtulit,*
*Nam ejus pectori affixit Phœbum,*
*Ut ſciret impoſterum Orbis,*
*Solſtitium obſervandum eſſe in Tauro.*
*Verbo:*
*Mirare hunc hominem, quia Angelicum:*
*Cujus Theologiæ Summa, quam ſcripſit,*
*Eſt Philoſophiæ Summa, quam vixit.*
*Cujus Vita*
*In corpore ſupra Naturam:*
*Cujus Dominium*
*Unius in ſolidum, quia in ſe ipſum:*
*Cujus Dominij fructus*
*Eſt Concupiſcentia domita:*
*Cujus Dominij Gloria,*
*Eſt ſui ipſius Victoria:*
*Abi Philoſophe, ſed ita abi,*
Ut poſt concupiſcentias tuas non abeas,
Sed à voluntate peſſimâ avertaris,
Et convertaris.

LEUC: Cuperem ego, ut hanc Aulam Angelicam nonnulli è Philoſophis perluſtrarent: quid putas, illis diceret Apis Angelica? *MEL:* Ne dubita, aculeum figeret: diceret, Bruta ratione carentia, ſic rationi operari conformiter, ut Philoſophi (ſat graves) rationem illis tribuere minimè dubitârint: & Philoſophos, ſat multos, ratione præditos ſic rationi operari difformiter, ut Bruta omnia rationem illis negare non formidarent. Prô pudor! exclamaret, animalia, ſi poſſent, Cœlum raperent, cùm Sophi volutentur in carne, & ſanguine. Diceret Brutis minimè brutis: luſtrate Academias, fors reperiet Elephas nonnullos Philoſophos, quibus neutiquam Prudentiæ ſalem invideat: fors amaro hinnitu uni vel alteri exprobraret Bucephalus: Ecce! trabeatus iſte in Peripato Adami Pronepos, *factus velut unus ex nobis.*
C. 11. & Hæc diceret Apis Angelica. Ego ab Iſaiæ Oraculo non peni-
35. tùs exemptum, reor, Peripatum, quo homines ob varia vitia nunc

nunc vocavit *Leones, & Urſos:* nunc *Dracones, & malas beſtias.* Illud peſſimum, quòd ſæpe ſuperent Brutorum vitia, nec adæquent tamen virtutes. Erigite Athenæa ferina Cohors: non deerunt Diſcipuli, poſtquam Philoſophis per Jobum hanc DEUS publicavit Sententiam: *Interroga jumenta, & docebunt te.* Priùs ſub diſciplinâ veſtrâ creentur Ethici, quàm in Peripatum mittantur Philoſophi: *Vade ad Formicam, ô piger!* & diſce priùs induſtriam. Laſcive, columbæ gemitus imitare, & dediſce crocitare cum corvis, & grunnire cum porcis. A Serpente prudentiam hauriant, ſi qui prætextati etiamnum Philoſophi. Gratitudinem canum imitetur propago Stoica: *quis enim non erubeſcat?* exclamat os plenum Ambroſiâ, *quis non erubeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cùm videat etiam beſtias refugere crimen ingratitudinis? & illæ impertitæ alimoniæ ſervant memoriam, tu non ſervas ſalutis acceptæ. Imò,* eodem teſte, *omnibus animalibus innatum, ſalutem tueri, & cavere, quæ noceant: ſolus homo non proſpicit æternam ſalutem.* Audite denique, quod in ſuis mox prolegomenis, uno ore, clamitent Bruta: *nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Pudeat ſanè:* ùt ait Chriſtianè Seneca: *pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores;* pudeat, Chriſtianam Philoſophiam, Brutorum Ethicâ indigere, qua priùs formentur à Brutis in homines, quàm in Peripato creentur Sophi.

*C.1.27.*

*Ambr. l. 1. de offic. c. 7.*

*Apud Perald. t. 1. de vitijs. tr. 5. de Aced. c. 1*

LEUC: Apparet ſanè, quàm ſit utilis Philoſopho virtus, ſine qua nec inter Bruta illi conceſſum vivere. *MEL:* Imò non utilis modò, ſed neceſſaria unicè eſt Sopho virtus: tot enim alit in corpore beſtias, quot numerat mentis affectiones; harum erit infame mancipium, niſi virtutis freno ſe probet Magiſtrum, ſi non Apathicum, ſaltem noſtri temporis Stoicum. Virtus, quæ ſpecifico nomine Aſcetis eſt abnegatio, frenum injicit tumultuantibus beſtijs, non exſtirpat, quod eſſet nimium; ſed domat, quod neceſſarium. Quid glorioſius, quàm cicuratos, & dociles domi alere Leones? quàm Elephantes habere in ſua ſubſidia armatos ſemper, & ad nutum paratos? ſed ejuſmodi Hercules rari natant, qui titione accenſo ſeptemplicem debellent Hydram. Angelicus eſt, qui ſuo Sophos exemplo animat, non Sophos verò Apis aculeo ſugillat, hoc Peripato affigens Satyricon.

SATY-

# SATYRICON
## ACULEATÆ APICULÆ,
## A SOPHO ANGELICO
PERIPATO AFFIXUM,

Contra Peccatores Pſeudo-Peripateticos

De quibus Spiritus Sanctus:

*Hi ſunt, qui ſegregant ſe animales, Spiritum non habentes: ſecundùm Deſideria ſua ambulantes in impietatibus.*

Ep. Judæ v. 18. 19.

*Rumpe Vinculum,*
*Muta hactenus Natura!*
*Non enim ſufficit murmurare bombo:*
*Sed obturatas Sophorum aures,*
*Mellito opus eſt vellicare aculeo.*
*Rumpe vinculum,*
*Da linguam, quæ dediſti Prudentiæ limam,*
*Ut illos acuam,*
*Qui habent linguam, non tamen limam,*
*Sophi irrationales.*
*Audite igitur, nec miremini,*
*Quòd Animalculum loquar:*
*Loquuntur plura jam Animalia;*
*Ipſimet ſcitis, cùm vos auditis.*
*Illud potiùs miror,*
*Quòd loquamini toties, ratiocinemini nunquam:*
*Ut meritò Bruta vos dicerent Bruta,*
*Vera loqui ſi poſſent:*
*Et homines Bruta non dicerent Bruta,*
*Vera loqui ſi vellent.*

*Loquar*

*Loquar igitur,*
*Ut mutos vos inſtruam, loquentes corrigam,*
*Et primâ vice jam aliquid diſcatis.*
*Nec indigna ſum, hoc Auditorio, Pallas:*
*Nam illa nata ex cerebro Jovis,*
*Ego nata ex cerebro Bovis,*
*Nullo diſcrimine,*
*Cùm & ipſum Jovem legamus fuiſſe Bovem.*
*Ad vos legatam me ablegat*
*Brutorum Reſpublica,*
*Non ingratam reor,*
*Quia Apem cum melle, & ſine felle,*
*Niſi quòd fortè figam aculeum.*
*Ad veſtra vota, quàm ſint devota nunc referam.*
*Vos eſſe cupitis Bruta, & illa homines,*
*Ut rationis uſu veſtrum corrigant abuſum.*
*In comitijs audita cauſa,*
*Data ſuffragia, deciſa lis eſt.*
*Pantheræ, & Tigrides, veſtro intuitu manſuetæ,*
*Societatem non abnuunt:*
*Nam ab hominibus tam inhumanis,*
*Belluinam diſcent ferociam:*
*Poteſtis docere,*
*Quomodo magìs poſſint nocere.*
*Auriti Arcades*
*Suis non refragantur ſuffragijs.*
*Nam agnoſcunt,*
*A ſuo genere, vos non degeneres:*
*Sciunt,*
*Ex eodem vos trunco deſcendere,*
*Ex eadem Arcadia oriundos,*
*Ex eodem ſtipite natos.*
*Gaudent ſimilibus ſimiles,*
*Nam præter vocem nil deeſt,*
*Quin glorientur,*
*Se vobis pares, vos illis.*
*Sed & nefrendes,*
*Veſtrum non dedignantur conſortium:*

*Nam cùm vos audiunt tam ſæpe grunnire:*
*Cùm vos vident in volutabro tam ſæpe volvi,*
*Mores notant Sui ſimiles conſtanter.*
*Hinc præ ſtupore exclamant,*
Ecce! quaſi unus ex nobis!
*Siliquas æſtimant,*
*Cùm his tam avidè, veſtrum repletis ventrem.*
*Hæc vota ceciderant ad veſtra vota:*
*Nam cedebat hæc vobis trias,*
*Sua libenter ſubſellia in Brutorum Republica.*
*Sed reclamârunt cæteræ animantes:*
*Nam veſtra horrent conſortia;*
*Ne Bruta eſſe bruta dediſcant,*
*Et ab hominibus diſcant, deſipere infra Bruta.*
*Proteſtatur* Columba,
*Caſtóque gemitu deteſtatur incaſtos ructus.*
*Ipſi* Corvi *cadavera deſerunt,*
*Et in vobis quærunt, magìs fœtentem prædam.*
Elephas
*Hos quoque Sophos miratur,*
*Quibus nullum in cerebro cerebrum;*
*Et tot Entia, ſine Scientia,*
*In Peripato damnat ſuperflua.*
Formica
*Increpat ſegnes moras,*
*Quibus teritis tot celeres horas,*
*Conſumentes utile tempus,*
*Inutiles conſumpti à tempore:*
*Dum tandem conſumptis tot ſumptibus,*
*Nil niſi inane Capitolium reſtat,*
*Vacuúmque Diogenis dolium,*
*Hac cum Epigraphe:*
Nos ſine fruge fruges conſumere nati.
Ipſi Canes
*Ingratam deteſtantur perfidiam:*
*Timéntque, ne tam crudo conſortio incrudeſcant.*
*Stupeſcunt, quòd allatretis Nutritios,*
*Quòd mordeatis hoſpites ſicuti hoſtes,*

*Quòd*

*Quòd dente Cynico, etiam agnitos laceretis Actæonas.*

Pavo

*Centum oculis vos videt cæcos,*

*Et tamen centum Argis magìs ſuperbos.*

*Miratur,*

*Quòd ſine ſyrmate tumeſcant pedes,*

*Et in fimeto erigi queant criſtæ.*

Equus, & Mulus

*Vos cuperet Nabuchodonoſores:*

*Nam ſi eſſetis Bruta, minùs eſſetis bruti:*

*Non enim hæc edunt, ut vomant, neque vomunt, ut edant.*

*Non enim hæc bibunt ſupra menſuram,*

*Multò minùs menſuram bibunt ſine menſura.*

Ipſæ Viperæ

*Venenata hæc averſantur fœdera:*

*Nam à vobis ictus, nemo hactenus ſapuit.*

*Vobis eſſe affectum, jam eſt eſſe infectum:*

*Vobiscum vivere, eſt vixiſſe.*

*Verbo: vos reſpuunt Bruta,*

*Quia nihil ingenij, nihil ingenui in veſtro genio notant.*

*Hinc*

*Si vultis illorum Societatem,*

*Deponite hominum vitia, aſſumite Brutorum virtutes.*

*Antequam in Academia Brutorum ſitis Magiſtri,*

*Eſtote priùs Diſcipuli:*

Jumenta docebunt vos.

Eſtote prudentes, ſicut Serpentes:

Simplices, ſicut Columbæ:

*Eſtote induſtrij, ſicut Formicæ,*

*Caſti, ſicut Apiculæ.*

*Abi Viator:*

*Et eſto Apis, ſi ſapis:*

*Sat ſapies,*

*Si infra Bruta nunquam deſipies.*

# ARIADNE PHYSICA,
## *Seu*
# DISCURSUS VI,
## *De*
# MAGIA PHYSICA.

LEUCOTEUS. Theſeum me cupis hodie, cùm filum porrigas in Ariadne. An Minotauros fors alit Phyſica, novúmque Sophis aperit labyrinthum? *MELANDER.* Ita eſt: labyrinthum aperit Magia Phyſica, quem ingreſſi jam plures, egreſſi ſunt pauci, quia exitum ab ingreſſu mox perdidêre. Nec immeritò labyrinthum dixero hanc Philoſophiæ partem curioſiſſimam: quot enim in Cretico fallaces gyros, ancipites anfractus, viarúmque implicitas ambages quondam obſtupuit fabuloſa Antiquitas: tot in Magia Phyſica reconditos meatus, difficiles flexus, & errores prorſus inextricabiles admiratur Philoſophia. In illo à Minoe concluſus eſt Minotaurus: in hac Chymæræ ſtabulantur, & Hircocervi, Minotauris omnibus magìs mirabiles. In illo, quò magìs ad interiora hoſpites deduxit curioſa aviditas, eò magìs ſeduxit: in hac, quò profundiùs tentas anfractus, eò tentaris periculoſiùs, dum in ea
Æneid.6 ſenſim prolaberis avia, in quibus, niſi *Dædalus ipſe dolos tecti, ambagésque reſolvat, cæca regens filo veſtigia*, de exitu penitùs deſperandum. En! Magiæ Phyſicæ ſymbolum in labyrintho; cui pro lem-




S. Bonaventura, Sophus mirabilis, quia Seraphicus: nam à puero Religioni devotus, Philoſophiam, non niſi Seraphicam audire voluit: audiit Pariſiis, tantâ ingenij famâ, ut Magiæ Physicæ mira, ad miraculum uſque reſolveret: ipse naturæ miraculum, de cuius indole Alensis, ejus tunc temporis Profeſſor: Hic est verus Israëlita, in quem nec adamus videtur peccâſſe. Ex Surio.

G. R. del. I. M. Gutwein sculps. a. V.

lemmate ſubſcribes pariter; *labor intus*: ut adeò non malè Philoſophi, hanc Scientiam dicant in pugno, *reconditam Arcanorum Naturæ notitiam*, & quaſi *ſupremum Sapientiæ creatæ apicem*, in quem, qui evasêre Minervâ propitiâ, cognoſcunt mira, quæ popellus ſtupet, hianti ore, velut miracula. Id verò *mirum* appellat Peripatus, quod admirationem movere poteſt: porrò in admiratione plura concurrunt: primò quidem ignorantia cauſæ, vel circumſtantiæ; ita intuens fortè Eclipſin, cauſam ſi ignoret, ac modum, admiratur. 2.dò Objectum ſolet occurrere novum, atque inſolitum. 3.tiò, datur quædam mentis ſuſpenſio cum conſideratione rei intentâ, ita ut ferre judicium metuat, velut magnitudine rei paradoxæ oppreſſa. 4.tò Supervenit inquiſitio latentis cauſæ, qua cognitâ oritur delectatio: rara enim, & nova delectant, quia augent Scientiam. Ejusmodi ſubin notitiâ qui gloriantur, quæ neque in medijs, neque in fine ſupremo Legislatori contraria, Magi ſunt, volo dicere, Naturæ ſilentis Aruſpices, qui retro cortinam hauſta attonito Orbi produnt Oracula; Magi ſunt, quibus in labyrintho Naturæ pro Ariadne ingenium, pro filo eruditus ſervire ſolet diſcurſus.

LEUC: Et talem Theſeum in D.Bonaventura mihi deprædicas? *MEL:* Neutiquam talem, ſed meliorem, quia veriorem. Fatetur ipſa Magia, labyrinthum Naturæ ab hoc Sopho ita detectum, ut omnia caperet, ipſum Nemo. Nam dum Magiæ reſolvit myſteria, ſe ipſum fecit myſterium: Magiam novam in ſuo dedit ingenio, quia inter Naturæ Miracula ipſe maximum Naturæ Miraculum. Audi, quod Ariadne Phyſica huic Theſeo meliori Elogium.

*Quod omen, putas, præſefert ille,*
*Cujus vel ſolum Nomen,*
*Bona ſpondet futura.*
*Imò non ſpondet:*
*Dat per ſe ipſum bona præſentia,*
*Qui ſic ſpondet futura:*
*Quaſi verò*
*Quid melius venire poſſet,*
*Cùm ipſemet jam adeſt præſens*
Bonaventura.
*Sed tamen meritò gloriatur hoc nomine,*

*Nam ſic vitavit mala præterita,*
*Ut non haberet, cur timeret ventura.*
*Quippe tam bonam ſortitus eſt animam,*
*Ut Adamus vix in eo peccaverit,*
*Vix ipſe in Adamo.*
*Rediiſſe viſus ad novum Innocentiæ Statum,*
*Qui veteris Adami haberet nihil.*
*Miraculum fuit Naturæ;*
*Nam quæ aliis impedimento,*
*Huic erat incitamento,*
*Quæ in cæteris lapſa,*
*Surrexit in Bonaventura,*
*Qui in Statu Naturæ lapſæ,*
*Statum vixit Naturæ puræ;*
*Imò puriùs vixit, quia ſanctiùs.*
*Miraculum fuit Naturæ:*
*Nam*
*Mirantur ingenia omnia*
*Unicum illius ingenium,*
*Quod ſuffecit Scientiis omnibus,*
*Cùm vix illi Scientiæ omnes ſufficerent.*
*Dixiſſes,*
*Non didiciſſe illum Philoſophiam,*
*Sed habuiſſe innatam.*
*Adeò Naturæ exhauſit myſteria,*
*Ut nullum reſtaret, quod exhauriret.*
*Præter ſe ipſum.*
*Illud Miraculo majus,*
*Quod bis natus, & ſemel ſolummodo mortuus.*
*Nam primâ vice vix natus Mundo,*
*Morti mox deſtinatus,*
*Sepulchrum reperiſſet in cunis,*
*Niſi Mater, quæ illum peperit Mundo,*
*Genuiſſet etiam Cœlo.*
*Infantem pene jam mortuum,*
*Vovit Religioni renaſciturum,*
*Nî moreretur.*
*Factum, ratum.*

Sic

*Sic ſacratam meliori jam vitæ prædam*
*E mortis faucibus Mater eripuit,*
*Vera Mater,*
*Quæ præter vitam mortalem dedit & immortalem.*
*Sic cœptam ex voto vitam,*
*Deinceps duxit devotam:*
*Mori ſe credidiſſet, ſi Cœlo vivere renuiſſet.*
*Magnetem dixiſſes,*
*Adeò omnis quies illi irrequieta,*
*Dum in portu Religionis*
*Tandem invenit polum.*
*Intravit, nec ampliùs exivit,*
*Nam malè exire volenti, nulla patet alia porta,*
*Niſi quæ ducit ad Tartara.*
*Intravit, nec ampliùs reſpexit;*
*Sed aſpiciendam venturis ad portam*
*Hanc reliquit Epigraphen:*
Si ſperatis bona ventura,
Sequamini Bonaventuram.

LEUC: Appoſitè: ſed inferiùs audiemus te de hoc iterum: nunc naturalis Magiæ pande armarium, quo tota me curioſitas rapit. Et ecce! jam in Symbolo oſtendiſti Magnetem, in Magnete prodigium Naturæ: filum porrige cum Ariadne:

*Cur trahit, & trahitur Magnes? mihi dicito cauſam:*
*Sidera cur ſequitur, quæ Sophus ecce! fugit?*

*MEL:* Acu tangis difficultatem, cùm tangis acum Magneticam: hujus virtus, quàm paſſim eſt omnibus nota, tam eſt ignota: nam quidquid dicunt Sophi, divinant, & in illa plus mirantur, quàm de illa philoſophantur. *Sideritidem* à ferro, quod attrahit, appellant Sophi: *Herculeum Lapidem* alij, eò quòd ferrum, metallum rerum omnium domitrix, veluti novus Hercules ſibi faciat obſequi. *Heracleon* ab Heracleâ Patriâ alij indigitârunt. Curioſa, imò portento proxima ejus inventio, cujus gloriam Fortuna, quia cæca, caſu dedit opilioni: hic circa Heracleæ Urbis confinia, cùm pecus fortuitò duceret, derepente ſenſit pedem lapidi, ipſúmque lapidem ſoleis, liberali, ùt ſolet, ferro armatis, adhæreſcere. Obſtupuit ille, quod putabat prodigium: lapidem

ſuſtu-

ſuſtulit, & inventionis honore contentus, illum tradidit Peripato dijudicandum. Et ecce! mox Philoſophica ubique fora perſtrepere, judicia judicijs certare, nullo emolumento, niſi forſan raucedinis: nam adhuc ſub Judice lis eſt, ut planè paradoxum hunc lapidem non immeritò dixeris ingeniorum cotem. Kircherus Philoſophiæ curioſæ Proto-Parens, & vel ideò præ cæteris gratus, quia plùs cæteris eruditus, multis explicat Thavmaturgam hujus lapidis indolem. Prolixioris diſcursûs dabo compendium pro diſcurſu. Aſſerit 1mò hujus lapidis Patriam, Regionem omnem; utut validiſſimos Europæ Magnetes, in Norvvegia progenerari ſit in comperto. Aſſerit 2dò hunc lapidem, Jani Bifrontis ſymbolum, quia qualitate præditum biformi, qua veluti geminâ facie contuetur geminum Polum, Auſtralem ſcilicet, & Borealem. Hinc ſi filo illum ſuſpendas, quietem non capiet, uſque dum invenerit, in plaga ſibi beneficâ, amicum Sidus. Aſſerìt 3tiò, hunc lapidem virtute prodigiosâ ſic agere per ſphæram, ut ferrum attrahat, vel ſibi ſimilem Magnetem: hanc virtutem alij in qualitate, in corpuſculorum effluvijs alij conſtituunt, idiomate pro diverſis principijs diverſo. Hinc ſi Magnes liber, & exiguus, ferrum verò grave, vel alligatum, Magnes accurret ad ferrum: ſecùs, obſequio mutuo, ferrum advolabit ad Magnetem, gratóque ſpectaculo in aëre pendulum hærebit.

LEUC: Et hoc, nî fallor, illud erit Miraculum, quod in Mahometis ſarcophago, virtute Magneticâ ſuſpenſo, obſtupeſcunt Lunaticæ Noctuæ, Turcas intelligo, qui ſuas ſic depereunt tenebras, ut etiam naturalem Philoſophiæ Lucem penitùs averſentur. *MEL*: Rectè advertis: ſunt nempe decipi faciles, quibus mira, fucato ſplendore, rutilant, velut Miracula. Cæterùm, fateor, Magnetis proprietates adeò paradoxas, ut etiam Auguſtinos in admirationem meritò traxerint: *quis enim,* exclamat, *vim iſtam lapidis non obſtupeſcat,* ſi videat, ferrum è longinquo applicatum, non tam attrahi, quàm quodam impetu rapi, ut etiam tres robuſtiſſimi Viri illud vix retinere, imò ſemel agglutinatum etiam duodecim à perpendiculo vix abſtrahere valeant? talem Magnetem vidit Lugdunum, quinque librarum pondere armatum, qui absque dubio, virum etiam cataphractum ferro, rapuiſſet in aëream extaſin, eò magìs mirabilem,

*L. 21. de Civit. c. 4.*

*Schott. p. 4. Magnet. l. 3. c. 1.*

quò

quò minùs miraculoſam. *Quis non obſtupeſcat*, ſi videat, quòd hanc virtutem nec impediant interpoſita corpora, niſi ferrea forſan, quæ diſſipant vim attractivam? quòd applicato Magnete, Magnes dimittat ferrum, quia minùs amicum? quòd juxtà poſito adamante ferrum non modò non rapiat, ſed etiam raptum dimittat? *Quis non obſtupeſcat*, quòd Magnes attrahat Magnetem, ſi conjungas Polos amicos, ſi inimicos, repellat? quòd major in inſtanti adimat minori vires, quas non niſi intra tridui ſpatium, denuò recuperabit? quòd denique virtutem, attactu ſolo communicet, ſic, ut attractus è chalybe annulus, attrahere quoque poſſit affinem, hic denuò ſibi propinquum, & ſic deinceps, dum tandem ſine nexu connexa in aëre catenula hæreat, cui ſimilem, nec ipſe Mulciber, Dijs primum daturus ſpecimen, fabricâſſet? Illud tamen hìc obiter, velim, notes, virtutem Magneticam ſat delicatam, quia amat culturam: intendi poteſt, atque debilitari, imò penitùs deſtrui. Igne deperditur vis attractiva, nam colit amoris indolem, ſed ſine tædis: quòd ſi lingulam Magnetis incurves, vel incurvatam reſtituas in directum, non reſtituiſti, ſed deſtruxiſti. Contrà conſervabis virtutem, ſi dederis libertatem ſe convertendi ad Polos: nam ſine horum aſpectu fluctuat in violento. Eandem tueberis, ſi panno involutum rubeo, colloces amico ſitu: cùm enim herbæ, è quibus hic color, ſupra mineras ferreas excreſcant, qualitates à mineris amicas hauriunt, hauſtáſq; veluti gratum Magneti pabulum miniſtrant. Nutries inſuper, ſi ſervato hoc ſitu in limaturâ Magnetem ferreâ ponas, vel chalybeâ; nam ſolent ejusmodi ramenta, acceptas à Magnete vires, mutuis rurſus obſequijs in illum reflectere, amicóſque radios evibrare. Denique armaturâ ex geminis laminis, indurato chalybe exciſis, mirum in modum corroboratur Magnetis virtus, ita, ut qui inermis, pondus ſe ipſo majus vix ſuſtinuerat, armatus, Bione teſte, quinquagies centies ſe ipſo grandius attrahat, attractúmque in aëre ſuſtentet. Rationem hujus experientiæ ſi à Phyſica petas, forſitan dicet, radios è Polo Magnetis quaquaverſum diffuſos, in limbis chalybe armatis, omni ex parte coire denuò, ſícque efficere vim unitam, quódque conſequitur, fortiorem. *Nic. Bion. l.3.c.7.*

LEUC: Memini, cùm adhuc aleret me Ephebéum, Magnetis operâ perſæpe ludicris me recreatum ſpectaculis. Erat

Philoſophus, quem thavmaturgæ Magorum Dyphteræ conſcium ſuſpicabar, qui in ſtagnante Diogenis dolio, nunc exhibebat fluitantem absque Zephyro cymbulam, ſine velis volantem, ſine Navarcho, & gubernaculo ſe ſe dirigentem ad Auſtrum, vel Aquilonem: imò adnatabant formata ex chalybe marina monſtra, Delphini, & cete grandia, roſtróque cymbæ Magnetico adhærebant. Nunc eodem in dolio repræſentabat Chriſtum ſupra aquas euntem, & Petro periclitanti ferentem ſuppetias, ibi Jonam à piſce abſorptum, hìc Saulem, Davidi lanceam intorquentem, ſed aberrantem. Nunc horologium proferebat, ad cujus limbum, occulto Magnete inſtructum, ſuſpenſa filo advolabat Architæ columba, & chalybeo roſtro horam, Phœbíque locum, jucundo ſpectaculo deſignabat. Sæpe in tabula raſa, veluti Martiali campo, inimicas monſtrabat Pigmæorum phalangas: ſinguli fili ferrei fruſtulis, quaſi totidem lanceis armati, in mutua prælia pruriebant: mox ad varium Magnetis aſpectum, vel erigebant arma, vel invertebant, vel projectis in terram ſpiculis, fugam unanimem ſimulabant: nunc dextra acies furioſo impetu invadebat ſiniſtram; fugiebat iſta, altera inſequebatur: nunc illi cadebant victi, hi verò ſtabant Victores, pugnâ quidem umbratili, ſed adeò paradoxâ, ut veluti portento attonitus, hianti ore, adſtiterim curioſus Spectator. *MEL:* Ita eſt: ſuſpendunt hæc ora rudium, & à juventute eblandiuntur glorioſum Euge: ex ephebis ubi exceſſeris, evanuerit, credo, juvenilis ſtupor. Nam debet hæc ſcena ludicra virtuti Magneticæ ſuam originem, uti & illa, quam, ſtylo Lucretij deſcriptam, refert celebre in Hiſtoria Nomen:

*Fam. Strad. l. 2. prol. 6. Acad. 2.*

*Ergò age, ſi quid ſcire voles, qui diſtat, amicum,*
*Ad quem nulla queat pertingere epiſtola:*

Sume geminum Orbem, Alphabeti litteris ſignatum, indices appone eodem Magnete armatos, unúmque tibi, alterum ſibi ſervet planiſphærium Achates.

*His ita compoſitis, ſi clàm cupis alloqui amicum,*
*Queîs opus eſt ad verba notis, huc dirige ferrum:*
*Mira fides! longè qui diſtat, cernit Achates,*
*Nullius impulſu trepidare volubile ferrum,*
*Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret,*
*Obſervátque ſtyli ductum, ſequitúrque legendo*

*Hinc*

*Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis,*
*Quid ſit opus, ſentit, ferróque interprete diſcit.*
*Quin etiam, cùm ſtare ſtylum videt, ipſe viciſſim*
*Si quæ reſpondenda putat, ſimili ratione*
*Litterulis variè tactis reſcribit amico.*

LEUC: Studio, nî fallor, hoc experimentum tu ſtylo Poëtico; nam Pindum ſapit. Nollem profectò hujus rei facere tentamen, ne cum operâ quoque oleum perderem. *MEL:* Iterum tu plura ad linguam, quam limam: tyronum nempe hoc ſtigma eſt, quòd vel cuncta præpoſterè negent, vel ſine diſtinctionis judicio cunctis fidem adhibeant. Utique, nec ego caput tibi meum oppignero, quòd in quavis diſtantiâ, in quavis Magneticâ lingulâ hoc ſibi conſtet experimentum; illud etiam, atque etiam aſſevero, experientias, hiſtoricâ fide probatas, niſi utraque manu palpari queant, mox relegare ad Utopicam Æſopi Thulem, Philoſophi non eſſe, ſed Dydimi, in ſuis erroribus obſtinati. Quis enim neget, niſi Zeno incredulus, cui caput gyratur, magìs quàm Diogenis dolium, quis, inquam, neget, dari qualitates ſympathicas, & antipathicas, è quibus tot Paradoxa Phyſica non tam arguunt Sophi, quàm ratione manifeſtâ deducunt. Noveris, quod de Hirundine marina, piſce ſat noto in mari Mediterraneo, Ichtyologi referunt. Hæc enim ſiccata, & è Muſæi tholo ſuſpenſa, vel etiam incluſa vitro, virtute ſympathica convertitur ad flantem ventum, cúmque roſtro, Galli inſtar verſatilis, demonſtrat. Idem ſpectaculum Kirchero præbuit Phyſa, piſciculus in oris Niliacis celebris, quem hanc ob cauſam Ægyptij *Deum ventorum*; alij *Magnetem Æolium* appellant. Sic Stella polaris influxu benevolo trahit acum Magneticam, vel potiùs Magnes qualitate amicâ, ſe ſe vertit ad iſtud Sidus, etſi ultra milliones triginta in milliaribus Germanicis diſtet: a ſic legiſſe me memini, repertum quondam in Oceani littore lapillum nigrum, quem cùm levaret hoſpes, ſecutus continuò alter, ut meritò dixiſſes gemellum Caſtora, qui motus Pollucis omnes, æmulatione ſpontaneâ imitaretur. b Sic Heliotropium, Heleniúmque, Latinis *Enula*, orientem Phœbum, mutante capite inclinata, adorat: mox intenta continuò facie contemplatur euntem, & velut pediſſequa, ſe gyrando, ad uſque undas Heſperias comitatur. Sic Magnes attrahit ferrum, Æthiopicus lapis, quem

a *D. Tauſch. in Matre dolor.*

b *Jonſt. de admir. plant. claſſ. 5. c. 23.*

*Ariſt. c. 36. hiſtor. animal.* *Theonidem* dicunt, idem antipathicâ nauſeâ à ſe repellit. Sic Baſiliſcus viſu necat, & ſibilo: Gallinaceus animalium Regem vertit in turpem fugam. Torpedo piſciculus, manum piſcatoris ſtupefacit: Taurus furore percitus, ficui ſi alligetur, manſueſcit: Febrius piſcis tangenti affricat febrim, ſed manu miſſus reſumit denuò afflatam luem, téque dimittit liberum. Sic deniqueBufo, paluſtre dedecus, venenato halitu attrahit muſtelam, &, quod mireris, hiantes intrare rictus cogit gementem, & ejulantem: imò Luſciniam, innocuo cantu veris animantem delicias, ſolo halitu deplumat, caſuram citò prædam avidis faucibus excepturus. Sicut ad arcem Ombros Oeniponto vicinam, contigiſſe perhibent oculati teſtes, qui ſuavi primò, ſed ſenſim lugubri Philomelæ cantu exciti, mœſtæ huic tragœdiæ intererant Spectatores. Habes in bufone mali Socij Symbolum, ſat clarum eſt, reor, ſine interprete, applicare potes, ſi velis. Ut nihil dicam de paradoxa Aranea, quam alit Apulia, & incolæ vulgari nomine vocant *Tarantulam*: hæc meſſoribus infeſta, ſi quem inimico toxico feriît, mox deducit ad luem tabificam, ſolo Amphione Medico, ſolâ Muſicâ Medicinæ locò relictâ, qua ſaltitare afflatus cogitur, ad uſque deliquium, dum veneno, per ſudorem extracto, priſtinæ valetudini reſtituatur. a Ut nihil de *Remora* memorem, qui ſesquipedalis piſciculus, tam robuſtæ fertur eſſe virtutis, ut Nepos Senecæ laureatus de illo cecinerit: *puppim retinens, auro tendente rudentes in medijs Echineis aquis.* Certè in Actiacâ pugnâ Antonij Prætoriam ſtitiſſe dicitur: imò Caij Principis quadriremen, utut remigum quadringentorum impetu incitatam, jactâ veluti anchorâ, derepente ſalo affixit, Spectatoribus eò magìs attonitis, quòd non niſi adhæſione externâ volantem remorata ſit curſum, in navim recepta mox perdiderit vires, nec adhærendo, ulli ampliùs eſſe valuerit impedimento. Hæc omnia, niſi per antipathicas qualitatum proprietates, niſi per halituum, vel effluviorum virtutem ſympathicam enodare velit Peripatus, erit, ut per actionem in diſtans cauſæ quærat ſubſidium, vel litem ad miraculoſum transferat Tribunal, ſolenni illorum more, qui furfurem pro cerebro, pollinem pro Apolline in capite vertiginoſo circumferunt.

a *S. Baſil. & Ambr. Ariſt. l. 2 de hiſt. animal. c. 14. Plin. l. 32. c. 11. Lucanus.*

LEUC: Adeóne bardum alat Philoſophia, qui naturæ id deneget, quod centum adſtruunt experimenta? quis non videt

anti-

antipathicam litem, amicitiámque ſympathicam, ex qualitatibus primis, ſecundis, aut etiam tertijs oriri, quas innominatas nominant Authores in Peripato nominatiſſimi? quis, inquam, iſta non videt, ſi videat, quòd flores Phœbi calore hient, quòd frigore comprimantur: quòd vitis calido delectetur, & abhorreat frigidis, ideóque braſſicæ vicina pampinos contrahat, ac denique exareſcat? quis negabit ſubtilia vaporum effluvia, ſi videat, flores, & fructus, ſuccóſque alios, evaporatione nimiâ tandem flacceſcere? ſi in ſe ipſo experiatur, plus una die per hyemem, quàm quinquaginta uncias ſe exhalare? ſi metallicos halitus, cunctis animalibus ſentiat inimicos, ipſóſque è fodinis odores ijsdem eſſe peſtiferos? hæc omnia tam conteſtata Philoſopho reor, ut, epomidis locò, Midæ meritus ſit appendices, qui adeò clara auſit revocare in dubium. *MEL*: Ita eſt: & ex his facilem ſortiuntur analyſin plurimæ experientiæ, quas ad Magicum tripodem, aut actiones in diſtans, indignum Philoſopho commentum, imperiti relegant. Nam quid mirum, quòd infecto halitu lippientes, & olidæ ab hirco vetulæ ſpeculi nitorem contaminent? quòd aſpectûs ſquallore tetrico infantes terreant, vel etiam effluvijs venenatis inficiant, infectos necent? Quid mirum, quòd aſpides venenato aſpectu noceant; quòd ſerpens Ibidis pennâ ſiſtatur: quòd pennæ avium cæteræ, pennis aquilæ commixtæ abſumantur? quòd Leporis marini aſpectu enecentur nautæ? quòd fidibus lupinis, ſi agninam fortè aſſocies, hæc mox fato mirabili rumpatur, atque diſſiliat? quæ omnia antipathicæ virtuti, & qualitatibus per occulta effluvia diffuſis, neutiquam inani ratiocinio, adſcribit Philoſophia. Id tamen nolim ire inficias, ſupereſſe & alios fontes, è quibus ſat liquidò ſolvas paradoxa Magiæ naturalis Phœnomena. Eſt imprimis ſimilitudo, vel diſſimilitudo naturæ, quæ miros in creaturis parit effectus: nil enim Philoſopho magìs compertum, quàm quod *ſimile ſimili gaudeat,* quo facilè nutriri ſolet & moveri. Trahunt ex iſto fonte ſuam virtutem purgantia pharmaca; hinc Rhebarbarum, ob homogeneam cum bile indolem, diffuſa qualitate humorem hunc attrahit, attractum diſſipat, diſſipatum extenuat, ac ſibi miſcet, dum à naturâ, onus hoc recuſante, denique ſecernatur. Hinc mira Rubetæ, & Aranei odia: hic enim cùm illam conſpexerit, continuò delabitur, ſtupefacit, pungit, necátque: nec illa coram araneo, niſi per ru-

tam præmunita comparet: cujus diſſidij cauſas ſi Philoſophica bolide profundiùs rimeris, invenies venenum Rubetæ humido-frigidum, Aranei calido-ſiccum, atque aëreum, unde ex contrarijs hæc oriuntur bella, & lites. Hinc *Galgalus* ſi in ictericum deſigat oculos, ſibi morbum, ægro afferre dicitur ſanitatem: quod ego in analogam indolem, quam cum hoc morbo habet avicula, non ad fictitios viſionis radios cum Platonicis derivârim. Sed & diverſitas climatum, ſiderúmque aſpectus non rarò magica creant ſymptomata: latere te nequit, quòd Niſi atque Euriali, utut diſſiti, ſæpe ſimul ægrotent, ſimul & convaleſcant: quòd fratres, utut incognitos, prodat rubor, & morum ſympathica indoles: quòd ipſa parentum viſcera priùs teſtentur adeſſe natos, quàm oculi exploratores cognoſcant. Quæ omnia, ſi in æqualem humorum temperiem, ſimiléſque ſiderum influxus retuleris, à vero multùm non aberrabis. Nec poſtremum Magiæ locum ſibi vendicat *Imaginatio*: hæc thavmaturga naturæ ſoboles, non rarò mira Peripato præbet ſpectacula. Nunc enim iſtos felis præſentiâ, illos holoſerici tactu, alios roſarum odore cernes exanimari: nunc videbis, quòd ſola hyænæ umbrâ obmuteſcant ſubitò canes; cohorreſcant oviculæ, etiam è locis diſſitis conſpecto lupo: imò experieris, Authore D. Ambroſio, quòd lupi, *ſi quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ vi videantur eripere: ſi autem homo eos viderit prior, memorentur exagitari.* Huc referes paradoxa ſtigmata, quæ fortuito ſanguinis, aliorúmque humorum concurſu, infanti non rarò imprimit phantaſtica Genitrix. Sic Seleucum, & omnes Seleuco progenitos anchorâ in femore aut pectore notatos legimus. Sic Auguſtus cynoſurâ inſignis ex utero prodiit, maculis eodem numero & proportione ſparſis, qua ſtellæ polares. Sic Thariclea Æthiopiæ Regina, toto corpore candida, brachio tantùm maculâ ebenini coloris notata, hoc indicio poſt longa exilia Patriæ eſt reſtituta. Sic Joanni Friderico Saxoniæ Duci anno 1053 in lucem hanc prodeunti, crux flammei coloris, impreſſa dorſo, conſpecta eſt. Sic denique Jacobus Britanniæ Rex Leonem, gladium, & coronam ſecum in lucem tulit.

*Plut. l. 5. ſymp: c. 7.* — *l. 7. in Luc. c. 10* — *Jonſt. fol. 477.*

LEUC: Et ipſe, reor, hæc improviſa ſymptomata tutiùs in horroris ſubiti ſtuporem quendam, quàm in oculorum fictitios radios refundet Philoſophia: quamvis, ut nihil diſſimulem, multa me

ta me experimenta non fugiant, quæ vel olent Theſſaliam, vel Utopiam ſapiunt. Quis enim, niſi levis armaturæ Philoſophus, facilè credat, quòd Struthio aſpectu ſolo foveat ova, Teſtudo etiam pullos, defixis in ova oculis, excludat? quòd homines ſit reperire adeò Lynceos, ut etiam abdita ſub terræ viſceribus videant, oculis aquarum venas, ductúsque metallicos detegant: imò ſub ſarcophagis ſita cadavera aſpectu ſolo explorent? quòd ad Sicarij inimicam præſentiam cruorem ſtillent corporum cicatrices? quòd per ſympathicos pulveres, aut unguenta armaria in quavis diſtantia curari vulnera valeant? quòd Picus per herbam, adactum nido cuneum extrahat, aliáque, quam *Æthiopidem* nominant, ſeris admota, mox cunctas aperiat, & diffringat? quòd denique Albertus ille Magnus duos juvenes viderit, quibus prætereuntibus ſita ad latus dexterum oſtia, utut clauſa, virtute mirabili ſe ſe aperiebant? in his omnibus, ſi minùs fallat fides hiſtorica, Magia certè è naturali in Stygiam degenerabit. *MEL:* Miſces quadrata rotundis, quia vera falſis, & naturalia ſpurijs. Philoſophum te proba, & ex allatis ſuprà Principijs, velut lapide Lydio, diſcernes pretioſum à vili. Nec Struthio, nec Teſtudo per viſum excludunt ova, nam in arenis illa ſepeliunt, excoquenda per telluris calores, nec alio fine adſpiciunt, quàm ut arceant nocitura. Genus illud hominum perſpicax, quod Hiſpanis dicitur *Zahuris*, tam pellucidos habere oculos nequit, ut penetret opaca: ſed venas aquæ detegunt per vapores, quòs obſervant manè, & veſperi: ductus metallicos divinant ex herbis, naſci ibidem ſolitis: theſauros, atque cadavera ex tripode hauriunt profundiore, nam addunt adjuncta, quibus non poteſt non eſſe conjuncta fraus Stygia. Fluorem ſanguinis, in præſentia parricidæ, qualitati antipathicæ adſcribit Lucretius, dum canit:

*Del. Rio diſq. Mag. l. 1. c. 3. q. 4.*

*Theoph.*

*l. 3. de motu animal.*

> *Namque homines plerumque cadunt in vulnus, & illam*
> *Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu:*
> *Et ſi cominùs eſt, hoſtem ruber occupat horror.*

Herbas illas, quas attuliſti, pullulare ex fundo Stygio, ceremoniæ probant, quibus ſolenniter incantantur: idem judicium eſto de ſympathico pulvere, de hoplocriſmate Stygio, de Alberti Magni gemellis, quos in ſuo Zodiaco numeravit probabiliùs Lucifer.

LEUC:

LEUC: Eſt nempe inimicus homo, qui in naturalis Magiæ plantario non rarò ſuperſeminare ſolet Zizania. Illud me modò, precor, edoceas, quænam in homine mira operetur Natura, ut ipſemet homo illa ſtupeſcat, velut Miracula? *MEL:* Homo totius Naturæ compendium, quid mirum ſi ſit Magiæ naturalis epitome? ſeligam curioſa magìs, & aptiora diſcurſui, quorum analyſis phyſica, vel ſponte fluet ex dictis, vel facilè dabitur ex dicendis. a Solus inter animalia homo fulmine non ſemper extinguitur, cætera illicò; hunc nempe honorem homini tribuente Naturâ, cùm tot belluæ viribus antecellant. b Nullum animal lacrymans naſcitur, præter hominem, qui ante quadrageſimum diem non ridet, ut videas, rara eſſe hominum gaudia, quorum primum tot lacrymis licitari ſolet Natura. c In Septentrione haud procul ab ipſo Aquilonis exortu Arimaſpi homines reperiuntur, uno tantùm in fronte oculo: bella cum Gryphis gerunt, auri cuſtodibus. d In Albania nati feruntur quidam, glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim cani, quíque noctu plus, quàm interdiu cernant. e Gens in Africa Pſyllorum fuit, poſtea à Naſamonibus deleta, quæ ſerpentes, ſolo corporum odore, & ſopire poterat, & fugare: agnitúsque eſt inſtar ſpurij, quem non ſubitò horrebat ſerpens. Imò pleroſque homines inimicum ſerpenti virus alere Author eſt Plinius; f nam ſalivâ velut aquâ ebulliente, læduntur, ac ſi ea jejuni hominis fuerit, ac penetraverit fauces, illicò ſerpentem necat. Eſt tamen aliquos reperire, qui virus ſerpenti quoque ſympathicum nutriunt. g Nam homines Ophigenes videas in Inſula Cypro, qui à ſerpentibus lædi nequeunt: imò etiam læſos ſolo contactu levant: rei tam paradoxæ ſpecimen vidit Roma, cùm ex illorum Familia Legatus, Eſtachon nomine, in Capitolio ſe ſtitiſſet: nam veritatis explorandæ gratiâ, dolio ſerpentibus pleno, ubi fuit immiſſus, mox venenata colluvies, amicis amicum blanditijs, circumlingebat. In Africa familias legimus effaſcinantium; nam nocent laudando: intereunt ab illis probata, areſcunt arbores, emoriuntur infantes. Alios in Illyrijs, & Triballis comperimus, qui fixiore aſpectu interimunt, tunc præcipuè, quando oculi præ iracundia ſcintillant: in alterutro equi effigiem ferunt, & in utroque geminam pupillam: id quod minimè verbis, ſolíve aſpectui, ſed contagioſis corpuſculorum effluvijs eſt adſcri-

a *Plin. l.2. c. 54.*
b *Idem l.7. in Proëm.*
c *Idem l.7. c.2.*
d *Id. l. c.1.*
e *Idem l.c.*
f *L. c.*
g *Idem l. 28. c. 3.*
*Idem l. c.*

adſcribendum. Haud procul ab Orbis Urbe in Faliſcorum agro familias reperiri, teſtis eſt Plinius ( Accolæ Hirpias nominant ) quæ, ſacrificio Apollinis annuo, ſuper ambuſtam ligni ſtruem incedentes non aduruntur, ob quem Vulcani favorem, perpetuo Senatûs conſulto, omni Reipublicæ onere habentur immunes: quod ſi verum, vel Salamandræ frigore hos homines concretos dixeris, vel certè ab Apolline Stygio herbâ Magicâ præmunitos. Hiſpaniæ *Saludatores* non refero, qui ſalivâ, & halitu ſalutem ægris inſpirant: nec commemoro Galliæ Reges, quos ſolo contactu mederi ſtrumis demonſtrat experientia. Hæc non commemoro, inquam, quia ejusmodi paradoxa, non tam Naturæ, quàm Gratiæ gratìs datæ adſcribit Philoſophia. Illud non omittendum, quòd ad extremos Indiæ fines, circa fontem Gangis, homines Aſtomi reperiantur, qui ſolo florum odore, halitúque vivant. Quòd Natio Papuarum nigerrima ipsâ Phœbi præſentiâ excæcetur: &, quod mireris, etſi non aſpiciant lucem, modò oriente radio feriantur, ſufficit, ut hiſce talpis noctem afferat diei Pater. Contrà Auguſto Cæſari, nec ipſæ tenebræ hebetaverant oculos: nam noctu æquè, ac interdiu legitur viſum retinuiſſe: hinc tantam in præſentes radiorum copiam evibrabat, ut ejus aſpectum non ſuſtinerent. Fulgurabant quoque è Reginæ Cleopatræ oculis tam amœnè ſcintillantes illecebræ, ut caperet, cogerétque amare, quos vellet: quod cùm Auguſtus timeret, non aliter, quàm depreſſis in terram oculis eam eſt allocutus. Quæ oculorum ſymptomata, ſi in diverſam temperiem, nunc felis, nunc noctuæ, nunc Aquilæ forſan analogam refundas, à veriore Phyſica ita procul non aberrabis. Imò, niſi in recenſitis Magiæ myſterijs ad individuas qualitates, vel potiùs ad qualitatum temperiem, certámque mixturam confugias, erit, ut in Peripato plura ſpectes Miracula, quàm mira, quod quàm glorioſum ſit Sophis, ipſe facilè judicabis.

*L.7.c.2.*

*Plin.l.7.*

*Nier.l.8. c.1.*

LEUC: Quin & *influxui Siderum*, ejusmodi virtutes in homine, non raro ſuam debere geneſin, nemo Sophus negaverit, niſi admodum malignantis Naturæ. Quis enim neſcit, quanti interſit herbas, radices, & ſemina ſub certo aſpectu Siderum proſeminare? Botanicos conſulat, vel Medicinæ luſtret herbaria, ſtupebit occultas ſanandi virtutes, proprietates mirabitur paradoxas, quæ magnam partem Planetarum aſpectui adſcribuntur.

Tam miram qualitatum temperiem ſi in plantis admittimus, cur ſimilem, & è ſimili parem virtutem in uno, aut altero homine non admittamus? *MEL*: Dicis, quod dixi ſuperiùs, cùm inter naturalis Magiæ principia non ultimum eſſe dicerem cœleſtes influxus. Et quia Botanicam es ingreſſus, unam, & alteram tibi monſtrabo plantam, cujus virtutem Magicam è terræ, climatum, Siderúmque influxu vario dijudicabis. Serpentes quernâ fronde contacti emoriuntur: viperæ fagi virgâ percuſſæ obſtupeſcunt: alunt quoque herbam montes Italiæ, quæ ab equis calcata ungulas extrahit. Eryngium, herbæ genus, ori capellæ ingeſtum, tota ſiſtit armenta, ut absque Tityri vigilante pedo, ovium nulla queat aufugere, vel aberrare, uſque dum herba hæc thavmaturga ore denuò eximatur. Quid dicam de virtutibus herbarum medicis, quæ Oedipum jure peterent Salomonem? ſed cum Salomone Magiam Botanicam ſepelivit Natura, ut ſciant Mortales, *contra vim mortis non eſſe medicamen in hortis*: ut intelligerent, non in herbis, & verbis, ſed in virtute ſolâ conſiſtere ſolidam Sapientiam. Legeris ſæpius, Origanum Ciconiæ, Salviam bufoni medicamen eſſe contra morſus venenatos ſerpentis: Sideritidem herbam Aquaticis præbere pharmacum præſtantiſſimum. Noveris, quòd lauri folium Merulis pellat anorexiam, Picis reſtituat ſanitatem: quòd chelidonia det viſum Hirundini, dictamnus fatalem Cervo extrahat ſagittam: quòd Sinæ podagram, quòd calculum neſciant, quòd ab omni vaporum fuligine liberi, plantæ *Châ* referunt in acceptis. Nam hujus potus, facultate diarrheticâ, meatus nephriticos mirificè aperit, ſerenat cerebrum, ut Pallade plantatam hanc diceres plantam, adeò Litteratis ad continuandas vigilias non videtur nobilius, à Natura conceſſum pharmacum. Omitto alia, ne prolixiore cumulo non tam ornem, quàm onerem diſcurſum.

*Kircher. Mag. Med. Mathiolus.*

LEUC: Oneri eſſe nequit diſcurſus, ſi ſemina cumulet, apta ferendo inter Eruditos diſcurſui. Sunt multa Magiæ Botanicæ mira, quæ errore vulgi abreptus, æſtimâram Miracula. Nempe me latuit hactenus, quòd tot in Naturæ theſauris vires reconditæ lateant. *MEL:* Ita eſt: dudum proſcripſit Peripatus imperitorum hoc enthymema: cauſa nos latet: ergò patet fraus Stygia: nam ùt Author eſt Plinius, *multa ſunt Naturæ Miracula incompertæ rationis, & in Naturæ Majeſtate penitùs abdita.* Quis enim

è tri-

è trivio Therſites non obſtupeſcat, ſi videat herbam, a. quæ Hoangrij, Imperatoris Sinici, atrium reddit mirabile, ea indole præditam, ut ſi quis malus Regiam præſumat ingredi, mox in venientem prona, inſtar ſolſequij, ſe convertat? b ſi aſpiciat plantam, cui *Thapſia* nomen, incluſam ollæ, carneis repletæ fruſtulis, ſic ea attrahere, & in maſſam conglutinare, ut niſi fractâ ollâ non eximas? c ſi videat, herbæ Valerianæ radicem, virtutis eſſe catis ita amicæ, ut odore illecti mox advolent, lambant, baſient, & mille geſtibus circumcurſantes, in læta tripudia effundantur? Quis è tonſtrina *Bagas* præ mentis extaſi non *conſiſtat*, d ſi cernat in Bengala herbam, quæ ad ſe ligna, ad Magnetis invidiam, rapiat? ita ut in Zeilano Inſula duos homines non nemo repererit, viginti paſſibus diſtantes, qui ligna, quæ tenebant manibus, retinere vix poterant, adeò violentis viribus, per plantam in medio poſitam, attracta conjungebantur. e Si cernat plantas, quæ Solis motum ſedulò æmulatæ, à prima germinis ætate incrementum uſque ad ſolſtitium ſumant, & cum Phœbo continuò creſcant: illo autem converſo, & ipſæ converſæ ad Æquinoctium uſque decreſcant, donec Solis in Auſtralem Mundum abeuntis præſentiâ deſtitutæ, veluti mœrentes langueant, & emarceſcant? f Si videat, in Inſula Quilola fruticem, qui Phœbeum Sidus ita depereat, ut oriente oriatur, & è ſomno veluti expergefactus, explicato floris decore multiplici ſalutet: occidente pariter occidat, & contractis præ mœrore folijs contabeſcat? imò ſi aſpiciat hunc ipſum florem, quòd fixo per diem intuitu, Solem comitetur pediſſequus; quòd cum Auſtrali ſe inclinet in Auſtrum, cum Boreali in Boream, hemicyclo æquatoris diurno, ad motum Solis tam artificiosè deſcripto, ut infixâ ejus centro orthogonaliter ſtipulâ, in limbo horario, non aliter, ac in Sciatherico quodam horas accuratè deſignet? contrà quis ex Arcadiæ ſtabulo *Amphiſtides* præ ſtupore non reddatur attonitus, ſi videat florem, quem *Ghoyaulam*, ſeu lunaticam vocant Æthiopes, Phœbeo Sideri tam inimicum, ut oriente occidat, occidente exoriatur? nam Sole à meridie in occaſum paululùm declinante, ſenſim caput attollit, foliorum divitias explicat, & felicem incipit exhalare Arabiam, majore ſemper cum incremento, uſque dum ad infimum Nadir delapſus eſt Cynthius. Subin cùm noctis medium prætergreſſus, ad ortum aſpirat denuò diei

a *P. Mart. Sin. hiſt. Dec.* 1. *l.* 1. *Imp.* 3.
b *Theoph.*
c *Aſpaſ. Caram. cent.* 1. *prop.* 1.
d *Nier. cit. à Kirch. l. cit. c.* 4.
e *Kirch. l. c.*
f *Franciſc. Perezius.*
*Kirch.*

Pater, flos veluti indignatus, inimico adventu, ſenſim colligere folia, odorem retrahere, & clauſo pertinaciter vertice tamdiu perſiſtere, uſque dum Phœbus Olympi verticem emenſus, feſſos ad undas Heſperias, denuò dirigat jugales. Hæc omnia mox ad Magiæ præſtigias damnabit ex agaſonibus conflatum vulgus.
*Lucianus* Sed ejusmodi *Melitidem, aut Chorœbum me quoque putes per Deos?* Abſit, latere nequit Philoſophum Naturæ virtus, quæ per qualitates ſympathicas, vel antipathicas ejusmodi mira operatur, ad quæ imperiti hiant, velut Miracula.

LEUC: In tuam lubens concedo Sententiam; profectò lucrantur nihil, qui in Naturæ operibus, Magicum derepente Tribunal appellant. Veriſſimè dixit, qui dixit; *pigritiæ immenſæ fuit inventum, omnia in Diabolum retuliſſe, quæ non capimus.* (*Schott. thav. p.4. l.5.*) *MEL:* Appoſitè: habet Philoſophia geminum carcerem; unus Hæreticos, alter Morologos comprehendit. Hæreticos declarat, qui ſine fronte negant experientias, modò tectum ſtramineum ſuperent: Morologos, qui, quæ palpare utraque manu non poſſunt, ad Æaci Urnam continuò relégant. Nos cum Pſyllis inanem Auſtrum bello laceſſere nolumus: credimus credenda, ne tamen venalis ſit fides: & in Naturæ myſterijs malumus philoſophari, quàm in inſcitiæ aſylo inaniter fabulari. Pergo referre, quæ relatu digna judicaverant illi, quos necdum odit, quíque necdum odêre eruditum Peripatum. a Sinæ plantam monſtrant Æoliam, quæ monſtrat ventos: ex nodorum numero, nautæ numerant tempeſtates futuras: ex multitudine geniculorum, copiam ventorum divinant: ex ipſa nodorum à radice diſtantia, menſem tempeſtatis futuræ, non improbabili trutinâ librant, & ominantur. Roſa Sinica, arboribus innata, diebus ſingulis bis mutat colorem, nunc enim purpuram induit, nunc candorem. Provincia Huquang herbam b tibi porriget, quam ſi aquâ maceratam ſorbilles, canities defluet, atérque capillos mox tinget color: hinc *immortalitatis* nomine hanc herbam Sinæ condécorant, falsò perſuaſi, quòd, ubi crinibus color, corpori redeant Juventæ vires, & exhauſta denuò reviviſcat ætas. c Iidem Sinæ viminis genus oſtendunt, varijs uſibus opportunum. Nunc ſervit rudentium inſtar, nam pertinaciter fractioni reſiſtit; nunc munda parat ſedilia, nam immundi nil ſuſtinet; nunc gratum corporibus refrigerium præbet, æſtatis calore languen-

a *In Prov.* Quantung. *dicitur* Chiſung *Kirch. in Chin, illuſt.*

b *dicitur* Puſu. *Atlas Sin.*

c *In Prov.* Quantung. *dicitur* Teng. *ibid.*

guentibus. Sed & Inſulæ Maldivæ Palmæ genus oſtendunt, quo veluti compendioſo Naturæ armario gloriantur. Nam exterior cortex miniſtrat linum: interior in pocula figuratur. Racemus leviter inciſus Ambroſiam ſtillat invidendam Superis: ſuccus pomi abit in oleum, coquitúrque in mel & ſaccharum: ipſe fructus fercula miniſtrat, ſapore ſuaviſſima; folia contexta dant veſtimentum, ſerviunt pro papyro: imò quod mireris, uſurpantur pro ædium tegulis, eò quòd arceant imbres, & tempeſtatum injurijs reſiſtant. Sed & hæc ipſa arbor cuncta prorſus inſtrumenta præbet, in rem nauticam opportuna. Truncum in malum; ramos in aſſamenta, clavóſque; comam in vela, calycem externum in funes; coccum ipſum, quæque ex eo conficiuntur, in onera miniſtrat, ita, ut non ſine Miraculo quodam, omnibus rebus ex ſemet inſtructa naviget Palma, eadémque diſciſſa per hyemem ad prunas lenta ignium alimenta ſuppeditet: adeò in unica palma demonſtrat Natura, ſe paucis eſſe contentam. Sed nec ipſam Tartariam, à Magiæ theatro Natura cupit excluſam. Nam alit herbam, è lapidibus progerminantem, quæ in ignem conjecta comburi nequit: hinc ex illa elychnium conficiunt incolæ, quod emunctorio non habet opus, niſi quod in flammis præbet Vulcanus. Sub Paulo V. Romam allatum ferunt ex Indijs florem (Granadillam nominant) quæ Chriſti patientis inſignia, Naturæ ſolius ſcalpro, in ſe expreſſit: hujus plantæ floridus calyx toto anno protuberat fructus, aperitur oriente Sole, occidente clauditur. Denique Pineda arboris Sinicæ meminit, cujus bifida radix oppoſitâ omninò pollet virtute: nam fibræ orientem ſpectantes antidotum præbent contra venenum; ſpectantes occidentem, venenatam luem non modò alunt, ſed & aſpergunt. Aliam arborem teſtantur Japones, eouſque ferri amicam, ut ramus ex ea avulſus, tum denuò agglutinetur, ſi clavo ferreo ſit affixus. Imò ſi arbor exareſcere fors videatur, ſcrobs ferri ejuſdem radici eſt admovenda, ut priſtino vigori, & ſtatui reſtituatur. Illud mirum, pro quo fidem oppignerat Plinius, dum ait, Alexandro Macedone fortè arborem quamdam obequitante, attractum continuò, etiam reluctantem Bucephalum, quod Fatum, & Sonipedes reliqui ſubibant, utut animalia cætera, absque impedimento ſympathicæ Remoræ prætcrirent.

*Maff. hiſt. Ind. l. 7.*

*Atlas Sin.*

*Nier. l. 14. hiſt. nat. c. 10*

*In Salom. præv. l. 3. c. 22.*

*L. 12. c. 8*

LEUC: Ex Dodonæo nemore hanc eſſe quercum jurabunt illi, quibus volupe cum Poëtis nugari, & ad quævis naturæ myſteria, per machinas mox advehere Jovem Olympium. Confirmat hæc experientia aliam, non minùs in Peripato paradoxam: qua nempe Corylaceæ virgæ ſympathicam ad metalla propenſionem Authores aſſerunt, graviores forſitan, quàm ut quis ſarcaſtico ſibilo eos tam leviter in auras exſufflet. Si enim arbor attrahere poteſt ſonipedem cataphractum, cur mineralia, ſympathicis corpuſculorum effluvijs, attrahere nequeant metallothericam virgulam, ut quis illius virtute venas metallicas detegat, ac latentes indaget theſauros? certè ſi quis rationum momenta, contra hanc virgulam afferri ſolita, ad cenſoriam virgulam revocet, videbit, tanti ponderis non eſſe, ut vel *Caſum* evincant, vel Metalloſcopos omnes Stygiæ Magiæ convincant. Nam certum tempus, quo nonnulli ſurculum enodem à corylo ſeparant, certa verba, quæ adhibent, certos ritus, quos quidam obſervant, virgulæ abuſum damnandum probant, non uſum. Nil ſimile Virgularij peritiores, niſi fortè ad ſpeciem, ut ludum faciant imperitos. Quamvis & illud Philoſopho ſit exploratum, non quamvis circumſtantiam continuò ad Pythones Theſſalos relegandam. Deſinant ſanè Botanici obſervare aſpectus ſiderum, nam quòd *Pulegium* floreſcat, quòd *Ulmi* folia invertantur ſolſtitij die, fraus erit Magiæ ſtygiæ; deſinant Architecti obſervare Lunæ ætatem, ut ligna cædant; hortulani, ut ſemina terræ comittant; Podalirij, ut dies criticos, morbíſque fatales ſiderum influxus evitent: deſinant, inquam, niſi fœderis cum Orco initi convinci velint, per novos hóſce in Peripato inquiſitores. Quòd ſi obtendant, virgulam divinatoriam nec ſemper exercere virtutem, nec raró fallere, ſciant, in experimento tam delicato, non difficulter intervenire obſtacula, quæ effectum impediant, vel fruſtrentur. Nec diſplicere poteſt reſponſio, quæ adverſarijs placet in ſimili. Virgulam præparatam ex alno, ſi inſtar magneticæ lingulæ, ſuper obelo perfectè libretur, inclinatione ſua prodere dicunt latentem undam, etſi, ùt fatetur Corylo-Maſtix non nemo, *etſi non quovis tempore, ſed ante meridiem ùt plurimùm, dum vapor eſt copioſior, hunc præſtet effectum: meridiano autem (utpote vapore conſumpto) non item: tunc enim virgulam Alninam paulò antè, à vapore* (terra exeunte, avidé-

*Ariſt. Sect. 2. probl. 21. Gell. l. 9 1 c. 7.*

*Kirch. l. 3. magn. p. 5. c. 2.*

avidéque imbibito) *inclinatam in æquilibrio inſiſtentem reperies.* Cæterùm, quòd virgula non inclinetur, niſi biſulca; quòd extra manus deſtituatur virtute, circumſtantias dixerim, quarum malè negatur neceſſitas, hoc ſolo titulo, earum cauſa quòd ignoretur. Forſan virtutem promovet manuum calor, cùm conſtet, quòd eadem Corylus, non niſi calefacta ſe ſponte gyret, infixáſque affet aviculas paradoxum veru. Sed hæc ex alieno judicio, meum tuæ, ùt par eſt, velim ſententiæ reſervatum. *Kirch.*

*MEL:* Theſaurothericum te opinabar, tam ardenter colurnæ virgulæ declamâſti apologeticon. Quam in partem inclinet me Corylus, expedio paucis, ſed pro diſcurſu, citra litem ſcholaſticam, ne forſan judiciô poſtuleris. Et imprimis virgas divinatorias, ſuperſtitioſis ritibus incantatas (ut plerumque fieri, teſtis eſt experientia) non pollere viribus, niſi dæmonis ope ſuffultis, ac proinde illarum uſum & impium, & illicitum, eſt in comperto. Quid enim opus incantamentis, ſi naturali ope effectum præſtare poſſent? patent igitur mille fraudes, quibus circumforanei Agyrtæ, bello naturæ ſchemate ſeſe palliant; dum interea auri fuco illectos & decipiunt turpiter, & à Dæmone ipſimet turpiùs decipiuntur. Id tamen hac in Coryli lite, non poſſum non tribuere Neoterici cujusdam ingenio, quem eruditos inter Philoſophos præprimis veneror, quòd ſepoſitâ Magiâ ſtygiâ, ſit veroſimile, Corylaceæ virgulæ ad Mineralia inclinationem naturæ conformem, atque adeò, ejusdem beneficio, venas metallicas, ac theſauros detegi poſſe, ac inveniri. Audi in pugno, quod ille in palma. Hydrargyro amorem cum auro, argentóve ſympathicum, experimentis conteſtatæ fidei, probat Schottus. Idem Hydrargyron in fodinis metallicis inveniri, Author eſt Honoratus Fabri: motum verò hujus Mercurij excitari calore, Hagelio eſt exploratum, quod nôrunt ipſimet quoq; Circulatores, qui panibus incluſum Mercurium, furni calore dum animant, miras rudi plebeculæ exhibent choreas. Denique argentum hoc vivum intra ipſas arbores nonnunquam latere teſtis eſt Magiæ Phyſicæ cultor Kircherus: *ſiquidem*, inquit, *per ſubterraneum æſtum rarefactus Mercurius, per ſubtiliſſimas rimas, viam ſibi faciens evaporando, inter roſcida arborum folia conſtrictus, ſuæ Naturæ reſtituitur, inter corticem arboris receptus. Hinc quædam herbæ ſuper mineralia creſcentes, dicuntur glaciare Mercurium.* En! habes præmiſſas

*Joan. Baptiſt. Halden S. J. in plant. phil.*

*l. 3. Magnet. p. 5.*

miſſas è Partis adverſæ principijs deductas: quis igitur vitio dabit concluſionem, quæ eſſe veroſimile inferat, Corylum Hydrargyro ſic animatum, inclinatione ſympathicâ, Pactoli venas detegere, proderéque theſauros, in terræ viſceribus conſepultos? profectò aſſertum confirmant ipſæ etiam circumſtantiæ, quæ primâ fronte illud infirmant. Nam liquet 1mò. cur virgula, in ſuperficie venæ metallicæ creſcens, aut ex ipſo terræ fundo enata cæteris præferatur. 2dò. Cur non omnes virgulæ eundem præſtent effectum. 3tiò. Cur juxta aliquos, calore manuum animari virgam oporteat. Cur denique Corylo in Plenilunijs ſit major virtus: ſiquidem tunc Cynthia, validiore dominio, ciet humores, movétque humida corpora, quale præprimis eſſe Hydrargyron, oculatum neminem latere poteſt. Non hìc allegabo Authoritatem, & fidem, quam interponunt, Viri tam pij, quàm docti, puta pijſſimi, quorum multiplicem experientiam Magicæ fraudis poſtulare, nemo pius, doctúsq; præſumet. Hæc Author hic celebris, illud Senecæ addens, epiphonematis locò, *non à ſummis labris iſta veniunt; habent hæ voces meæ fundamentum.*

*Ep. ad Lucil.*

LEUC: Exirem è horto Magiæ Botanico, nî ad limen, paradoxo ſpectaculo detineret me Laurus. Itáne, quod ajunt, tria ſit reperire, in quæ, raro Naturæ privilegio, nullam poteſtatem etiam Jupiter fulminans? *MEL:* Sic autumant Phyſiologorum non inania Nomina: à quibus perſuaſum, reor, Octavianum Auguſtum, ut vituli marini pellem pro ſcuto adverſus fulmina, nunquam non circumferret: Severum, ut eodem corio lecticam obtegeret: Tiberium, ut metu fulminis perculſus, ſubitâ Lauro ſe coronaret. Rationem ſi petas, plures in cumulum congerunt, quæ tamen fulcro antipathiæ unico innituntur. Sic enim arguunt à pari. *Vitis, Laurum, & Hederam* fatali adeò nauſeâ averſatur, ut, ſicubi vicinam ſentiat, in adverſam ſe torqueat partem, quantúmque poteſt, ab illis refugiat: experimentum dabit vas hederaceum, cui ſi vinum infundas, Thetidi maritatum, vinum odiô *hederæ* (remanente aquâ) effunditur illicò, hederaceo vaſe nequicquam liquorem profugum retinente. *Braſſica* fugat *vitem*, ſed & viciſſim fugatur à *Cyclamino. Scillam* averſantur, & fugiunt lupi: herbam timent, homines terrent: ferrum, ſtrictóſque acinaces non formidant, & tamen colliſo-

rum

rum lapidum ſtrepitu in fugam conjiciuntur. *Platanus*, Authore Plinio, veſpertilionibus inimica: hinc, ut à nidis illos Ciconiæ arceant, folijs Platani muniunt excelſos Lares. Aqua *rutæ* decocta, conclavi aſperſa, eliminat muſcas, agítque in fugam pulices, moleſtum animal, ijs præcipuè, quos pluteo firmiùs affigit Pallas. *Fraxinum* ſic exoſus eſt Serpens, ut & horreat illius umbram, Pavonem verò ſic averſatur, ut nec vocem ſuſtineat. Cauda lupi, in præſepio ſuſpenſa, prohibet equos, ne comedant. Lyra, vulpeculæ fidibus animata, gallinas in fugam vertit: ſerpentum verò nervis armata, ipſis hominibus incutit terrorem: hinc Ziſchas quidam, hæreticâ è caula lupus, vel ſi mavis vulpes ſimul, & ſerpens, detrahendum ſibi poſt fata corium, tympano aptari juſſit, eo fine, ut Chriſtiani, quibus terrori fuerat vivens, antipathico timore perculſi, etiam à mortuo in fugam converterentur. *Elephas* ad armatam phalangem impavidus, ad nefrendis grunnitum mox terga vertit. *Hippopotamum*, & *Leonem* (im̃anem hunc hominum terrorem) unicus terret ephebulus, tædáque ſtramineâ eorum exercitum in fugam vertit. Hæc illi in medium experimenta, è quibus ad Laurum ſic ducunt denique parallelum. In híſce Naturæ myſterijs, facit antipathia quædam congenita, ſive dein per qualitates occultas, vel inimica corpuſculorum effluvia, ut hæc ab illis non modò abhorreant, ſed & refugiant. Cur igitur ſimilis cum inimicâ lauro diſcordia ineſſe fulmini nequeat? certè conſtat, è Lauro virente ſpirari halitus, qui venenatos pellunt aëris ſpiritus, ut Imperator Commodus teſtis eſt, qui Medicorum conſilio, graſſante epidemicâ lue, in ſylvas laureas ſeceſſit: ut planè non appareat, cur exhalata è Lauro virtus, fulminis vapores peſtiferos abigere nequeat, & difflare? quòd ſi mentem meam exquiras, in hypotheſi, aſſeverans id aſſero, *ſi ſtet* Lauro à Jove fulminante immunitas, totus abeo in horum ſententiam, nec illis facilè me eripient Thraces, ſævíque Getuli. Theſin quod attinet, an ſit immunis, me vadem non interpono: in hiſtorico tribunali lis agitur, circa quod diſcordes animi colliduntur: *hic ait, ille negat; neque omnibus unum eſt, quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.*

*apud Herod.*

*Petron.*

LEUC: Aliò jam filum porrigit Ariadne Phyſica; in lapicidinas Magicas, in hypogea metallica nos invitat, ubi ſuis Natura divitijs ſuperbit, atque rariores abſcondit intra viſcera theſauros.

ſauros. Quid de iſtis Philoſophus ſentiat, eruditi cultor diſcurſûs? *MEL*: Lapidis naturam, ſi poſtules, mixtum Philoſophis dicitur, durum, ſæpe perfectum, nec ductile malleo, nec liquabile calore: non enim lapides per calorem liquantur, ſed calcinantur. Geneſin ex influxu ſiderum trahunt, ex halitibus ſiccis admixto humido: hinc pro halituum varietate, diſpoſitione, ſubtilitate, craſſitie, atque virtute lapides ex officina Naturæ prodeunt, magìs vel minùs mirabiles, aut pretioſi. Rariores ſeligam pro diſcurſu. *Adamas*, inter pretioſos lapides, Regium ſanè cimelion, & invictæ fortitudinis ſymbolum: nam ſub incude non frangitur, ictuum victor; ferro & igne non læditur, elementorum domitor; venena pellit, abigit metus lymphaticos, attrahit feſtucas, & paleas. Unius hirci cruor domat indomitum, ne inter creata ſolus invicti titulô glorietur. *Saphirus* colore cæruleus, Cor confortat virtute, ſplendore oculos roborat: venenis reſiſtit, & à geſtantis libidine ſordeſcit: tam contagioſa eſt lues Veneris! *Smaragdus* viridis morbum arcet caducum, viſum acuit, & *Hæmatitis* inſtar ſiſtit cruoris fluxum. *Opalus*, Carbunculi ignem, Amethiſti fulgentem purpuram, Smaragdi mare vitreum, gemmarúmque omnium radiantes in ſe complectitur colores, ut intelligas, eſſe charitatis divinæ ectypon, quæ virtutum epitome, *vinculúmque perfectionis*. *Carbunculus* ſic dictus à luce, qua rutilat carbonis inſtar accenſi, ab igne *Pyropus*, & à *rubore* Rubinus veneno reſiſtit: eadem virtute pollet Achates, vario colore, & figurâ gemma ſpectabilis. *Amethyſtum* violaceo colore illuſtrem, ajunt, reſiſtere ebrietati. *Beryllum* undæ marinæ ſimilem, mederi oculis; *Topazium* croco tinctum, melancholicis prodeſſe, & epilepticis; *Granatum* denique, colore punico imbutum, exſiccandi pollere virtute, & roborandi, apud Trapezitas eſt manifeſtum.

LEUC: Meritò dicunt hos lapides pretioſos: nam pretium quod addidit decor, adauget virtus. *MEL*: Ita eſt: eminent raritate pretioſa hæc maris ſpolia, variegato ſplendore præcellunt, licèt habeant forſitan, qui virtute Magicâ, illis teneant æquam lancem. *Smirnus* vitrum ſcindit, ùt adamas. *Phoſphorum* ex Æthnæ caminis revulſum crederes, adeò furores ſpuit ignivomos, nî liberali Thetide reſtinguatur. *Lapis lydius* Judicem agit inter metalla: Ethicis typum præbet intentionis: nam *quidquid agunt homines, intentio judicat omnes*. *Pantarba*, gemma eſt, vel

ideò pretioſa, quòd virtute magneticâ gemmas ad ſe trahat latentes. Clementi VII, lapillum annulo incluſum, fuiſſe ferunt, in quo aurea quædam macula cum Phæbo oriente oriens, & occidens cum occidente, ad ſolis motum ſeſe circumgyrabat quotidie in lapillo. Non minùs mirabilem, annulo quoque incluſum, circumtulit Leo X, nam pro vario Lunæ lumine è cæruleo abibat in candidum. Thracius lapis aquâ accenditur, accenſus oleô rurſus reſtinguitur. Henrico II. Galliarum Regi, Bononiæ degenti, lapidem ex Orientali India allatum, ajunt, ſtupendo lumine coruſcantem, nam totus veluti ardens, luce vix tolerabili, radiabat: terræ ſic erat impatiens, ut eâ coopertus, ſua ſponte evolaret in altum: includi arte humanâ non poterat: ſumma in eo puritas, eximius nitor, ſed figurâ inconſtans, in momenta mutabilis, nec impunè poterat contrectari. Et Paraquaria gemmam exhibet, Gazophylaciô Naturæ minimè indignam, nam ſexaginta diverſis omninò elegantijs ſuperbit: videres in illa, adamantem ſplendere, rubere carbunculum, radiare amethyſtum, coruſcare rubinum: ſtupeſceres in unica gemma, pomo veluti Granatenſi, ſic inſitos à Natura, unitóſque uniones omnes, ut meritò *Gemmæ admirabilis* nomine glorietur: illud inſuper habet prodigij, quòd tanto impetu, tumultúque è terræ viſceribus progeneretur, ut nubem, tonante Jove, diſſilire crederes, quo ſono admoniti incolæ, ad reperiendum hoc Naturæ cimelion turmatim ſe ſe accingunt. Et Arcadia lapides alit, non raró hominibus pretioſiores: quos inter Asbeſton, dignus hoc nomine, nam ſemel accenſus extingui nequit. Alium monſtrat, quem ſi ſtupæ ſuperimponas, mox accendit, atque accenditur: notet hoc ſymbolum Juventus, séque noverit eſſe fœnum, & ſtupam, occaſionem verò lapidem, deciſum à petra ſcandali.

*Cardan.* *Rhod. l. 2. d. 1.* *Plin. l. 33* *Jorſt. in admir. foſſ. c. 23*

LEUC: Miror, quòd ſilentio premas annuli *horologum Jaſpidem*, ſic nominatum, quòd intra vitri labra manu ſuſpenſus, ſua ſponte ſe moveat, & repetito pulſu horas ſignificet paradoxum automaton. Probavit hoc horologij genus Purpuratus aliquis Princeps, in Peripato celebris, an approbârit, non comperi. *MEL:* Approbavit ſat longo tempore, totum negotium referens in motum pulſantis arteriæ, in Siderum influxus, ac cauſas Magiæ naturalis incognitas: ſed reprobavit, quando campanulam vitream, non Hiſpanicis modò, ſed & Italicis horis accom-

*Forer. diſp. de an. n. 23. Joan. Lugo Card.*

modam deprehendit: adeò etiam docti non habent chirographum, ſigillô infallibilitatis munitum. Felicius Sciathericon in gleba Arabicâ accepiſſe ſe meminit Kircherus: hæc enim veriſſimè Heliotropia, in aquis, aut ſupra aquam magneticè librata, aut etiam vitreis incluſa repagulis, indiſſolubili fœdere ſequi Cynthium videbatur: *unde*, inquit, *collegi, hunc motum non primarum qualitatum ope, ſed ſpecificâ quadam virtute, & totius ſubſtantiæ ad Solem, veluti Conſervatorem ſuum, converti.* Illud inſuper mirum, quod de Aſtrione lapide legimus: hic in Indijs naſcitur, éſtque cryſtallo perſimilis, in medio Stellam continet, quæ inſtar Lunæ, quando decimam quartam attigit, relucere conſpicitur. Pyriten lapidem enutrit Perſia, ſic dictum ab igne, nam vehementiùs illum manu ſi premas, referes digitos, ſed cum Mutio Scævola aduſtos, ita Phoſphori inſtar furores ignivomos ejaculatur, Epheſtis, lapillus in Corſica celebris, ſi in aquam bullientem fortè projicias, refrigeratur. Non procul Carthagine lapidem eſt reperire, qui in æſtate ſemper flammivomus, in hyeme aquarum ſcaturiginem emittit: ſic & Galatia lapis, adamantis inſtar, eſt obduratus: ſi in ignem projicias, non modò non læditur, ſed inter medias flammas frigus nativum conſervat, nec incaleſcit. Sed quid peregrinos Trapezitas advocamus ex India? quid terræ viſcera rimamur profundiùs, cùm prodigia propemodum pedibus conculcemus in calce? ab igne nigredinem trahunt corpora, calx recipit candorem. Lapides deturpat flamma, calcem purificat, illos corrumpit, hanc animat; nam ignem occultiſſimè nutrit, meritò viva, quia flamma Promethei, velut latente animâ, vivificata. Illud mirum, quòd cùm extinguitur, tunc accenditur: nam ut occultis ignibus careat, aquæ infunditur, vel aquâ perfunditur: & cùm antè ſit frigida, inde ferveſcit, unde ferventia cuncta frigeſcunt: ergò exſpirante glebâ diſcedens ignis, qui latebat, apparet, & velut mortua jam jacet calx frigida, quámque priùs vocabamus vivam, jam vocamus extinctam. Quid eſt, quod huic Miraculo addi poſſe videatur? & tamen additur: nam ſi non adhibeas aquam, ſed oleum, quod major fomes eſt ignis, nullâ ejus perfuſione ferveſcit. Hæc de vulgari Naturæ Miraculo, ad uſque Miraculum attonitus Auguſtinus: qui eruditum diſcurſum hoc epiphonemate claudit: ejuſmodi prodigioſam virtutem ſi de lapide quodam Indico legeremus, pro-

*L. de arte magn.*

*L. 21. de civ. c. 4.*

profectò, aut putaremus mendacium, aut certè nimiùm miraremur: quarum verò rerum ante oculos noſtros quotidiana documenta verſantur, non genere minùs mirabili, ſed ipſa aſſiduitate vileſcunt, ita ut ex ipſa India deſierimus nonnulla mirari, quæ ad nos potuerunt miranda perduci.

LEUC: In fodinas metallicas nos Ariadne Phyſica jam deducit: ſcrutemur has cryptas Naturæ ſilentis, & per occultos meatus aſcendamus in montium juga, ut ad valles, fontium varietate mirabiles, diſcurſu denique perveniamus. *MEL:* Non abnuo, ſi modò hæc velis per tranſitum: non enim contemplari ſingula, ſed rariora ſolùm aſpicere permittit tempus. Metallum, ajunt, mixtum eſſe perfectum, liquabile igni, & ductile malleo: geneſin ſuam debet halitibus, cooperante Siderum influxu: hinc variæ virtutes; hinc varia proprietatum pathemata. Inter omnia *Phœbi* inſtar eminet Aurum, colore flavum, pondere graviſſimum, ipsíque indomabile Vulcano. *Mirâ* pollet virtute, nam ſi Chymicorum induſtriâ reddatur potabile, cor, ſedem vitæ, confortat, recreat vires, pellit Elephantiaſin, Melancholiam, aliósque morbos, ſanitatis aureæ hoſtes, ac inimicos. Argentum, quod *Lunam metallicam* Chymici, præcellit tinnitu, juvat cerebrum, ejúsque ſympthomatis calidis medetur. *Plumbum*, ſive *Saturnus Chymicus*, reprimit cicatrices; in laminas ductum, lumbísque circumductum calores eroticos reprimit; obſtat phlegmonæ, & continet oculorum fluxus. *Stannum*, cui pretium, & candorem dat Anglia, Jovi: *ferrum* Marti: *cuprum*, quod etymon trahit à Cypro, Veneri: *argentum* vivum ob mobilitatem Mercurio Chymici dicant, & conſecrant. Metalla creſcunt in mineris, quas à fodiendo dicunt *fodinas*: ſunt hæ Naturæ divites Gazæ, quas ſæpe Caſu, ſæpe Artis adminiculo reperiunt Mortales. En! ſigna præcipua, quæ latentes prodere theſauros ſolent. Ramenta metallica, quæ ſecum rapiunt torrentes, vicinam mineram teſtantur: etiam terra, quæ mox liquefacit pruinam, indicat latentes halitus, ſiccos & calidos, metallorum nutrices. Eoſdem prodit mucor in ſuperficie, color in folijs lividus, odor ſulphureus. Sic lapides ſæpe fodinæ ſunt indices: nam ſi rutilent eorum fruſta, ſi igne liqueſcant, vel emineant pondere, cave, ne teras, nam leve nil indicat tantum pondus, nil obſcuri hic ſplendor. Imò ex lapidum, vel glebæ colore,

*Plin.* 24. *c.* 18.

ipſas etiam foſſilium ſpecies divinabis: nam color viridis afflatur ab ære, ater ab argento, & auro, purpureus à pyrite, luridus à calchanto, cinereus à ſulphure, ut non inaniter obſervat, inter Metalloſcopos facilè Primas, Kircherus. Nec montes ſuis carent indicijs: nam vapores, qui aſcendunt verſus meridiem, plantarum raritas, & in partibus, utut irriguis, conſtans tamen ſterilitas, halitus produnt metallicos; nam hi ſuperficiem ſterilem reddunt, ut ſcias Naturæ morem, quæ pretioſa tegere ſolet ſub vili. Nihil addo de Coryſacea virgula, quæ ad cenſuræ virgulam ſuperiùs jam revocata.

LEUC: Naturam video in metallis mirabilem, in ſuccis tamen ſtupeſco propemodum thavmaturgam. Quid tu de pulvere pyrio? *MEL:* Nihil: nam multis nolo, paucis nequeo explicare hoc Naturæ prodigium. Illud ſcito; ejus vires ſi ſenſiſſet Antiquitas, Cyclopum malleis fabricâſſet aras huic Phœnomeno, ipſúmque Vulcanum de Cœlo denuò dejeciſſet, ut illius locò aſtris inſereret hoc monſtrum. Habet hic pulvis à ſulphure, quod facilè inflammetur; à carbone, quòd à flatu non extinguatur; à nitro, quod incredibili furore tumultuetur. Ejus vires adeò ſunt paradoxæ, ut mihi Pyrotechnicus hîc loci celebris, ſi huic globo terreſtri, quinquaginta ſolumodo libræ ſic inſeri poſſent, ut pulvis undique concluſus per Angelum accenderetur, haud dubiè Tellurem totam in mille partes illicò disjiciendam. Celavit Natura hoc ſuum arcanum, quia rariſſimum, ultra ſexaginta annorum ſæcula, dum tandem circa annum milleſimum trecenteſimum, & ſexageſimum illud concredidit ingenio omnium præſtantiſſimo, ac celeberrimo, Chymico Bertoldo Schvvarz Friburgenſi Brisgoiæ, quem neutiquam, prævolante judicio, ob inane nomen hìc nominatum exiſtimes, ſed ob ſanctam D. Franciſci (vel quod alijs præplacet) D. Benedicti familiam, cujus ille Alumnus; quæ quia antiquiſſima ſimul & celeberrima, non potuit non ſemper alere glorioſiſſimos inventores, & celeberrimos Ingeniorum Phœnices. Ad ſuccos pertinet *ſuccinum*, quod paleas trahit, & pilos, ſi incaleſcat: ſal Siciliæ Agrigentinus, quem igni admotum, velut in aqua liqueſcere aſſerunt, immerſum aquæ, velut in ignibus crepitare: *Maltha*, quæ, ſi Plinio fides, bituminoſus eſt limus, qui aquis incenditur, terrâ reſtinguitur, & rebus ſolidis facilè adhæreſcit. *Naphta,* & *Camphora*, quæ ſemel accenſæ non

*P. Barri in Hagi.*

modò

modò non extinguuntur ab undis, ſed ijs potiùs nutriuntur: nôrunt hæc Pyrotechnici, qui in Vulcanalibus Orgijs, artificiali ſplendore aquas illuſtrant, dum Paradòxo connubio Mulciberum Thetidi copulant, obſtupeſcente Neptuno. Huc quoque pertinet *Asbeſton,* è quo Ars facit elychnia, nullo igne combuſtibilia; è quo chartas, & lintea confecta miramur, quæ non niſi à fuliginoſo purgata Mulcibero, candori priſtino reſtituuntur. Hujus privilegiatam virtutem homogeneæ ſimplicitati adſcribit Phyſica: nam ignis colligit homogenea, & heterogenea diſſolvit: quæ cùm in Asbeſto non invenit, eidem ſervit emolumento potiùs, quàm detrimento. Ex bitumine demum, & ſulphure aluntur potiſſimùm ſubterranei ignes, qui per *Vulcanios, ignivomósque montes*, velut per totidem caminos Stygios, exhalantur. Ejusmodi viva Inferni ſymbola, toto Orbe, diſperſit providum Numen, ut in illorum conſpectu, nos terreat Inferni umbra, ne umbras nos quondam torreat Infernus. De Æthna, ignivomo illo Siciliæ monte, ita habet Pererius: *quòd dicam de hoc montium Miraculo nobiliſſimo? qui ardet noctibus ſemper, tantóque ævo ignium materiæ ſufficit? & ut majus ſit Miraculum, nivalis eſt hybernis temporibus, egeſtúmque cinerem operit pruinis.* In monte Chymæra erumpens flamma extinguitur ingeſtâ humo, affuſa lympha accenditur. Hecla mons Jslandiæ vomit ignem, qui aquam conſumit, non verò ſtupam. In Bohemia prope Oppidum Mittelvvald, eminere mons dicitur, cujus latus unum, nivibus ſæpe pleniſſimum, dum alterum amœniſſimo Vere, florúmque lætâ varietate ſuperbit, ac gloriatur. In eadem Islandia Montes eſt reperire, quorum vertices perpetuis nivibus rigent, radices continuis ignibus exardeſcunt. Æoliæ Inſulæ jugi Vulcano exæſtuant, qui etiam in Maris medio permanet inextinctus. Sed Veſuvio nihil famoſius in faſtis hiſtoricis. Percipe, quod ille, anno Chriſti octuageſimo primo, ſpectaculum dederit ſtupenti Campaniæ. Circa Calendas Novembris in aëre vagari viſa hominum monſtra: conſecuti mox terræ motus, & audita ſubterranea quaſi tonitrua: ſubin Oceanus fremere, mugire nubila, montis cacumina, repentino fragore concuti, tum denique eructare immenſos lapides, tantámque ignis, fumíque copiam, ut ejecti cineres non modò totam devaſtârint terræ viciniam, ſed & Mare oppleverint, homines cum Brutis, cum piſcibus volucres

*Coment. in Dan. l. 4.*

*Spondan.*

eres ſepeliverint, aërem obtenebrârint, obſcuraverint Cynthium, & uſque in Africam, Syriam, Romámque ipſam veluti præcones pœnitentiæ pervolârint. Abeamus Leucothee, ab hoc Inferni veſtibulo, & damno alieno cauti ſaluti proſpiciamus.

LEUC: Rectè mones: deſcendamus ab ignivomis Montibus, & in amæna vallium properemus. *MEL*: Non abnuo: ſed in decurſu luſtrabimus fontes, quos Natura nobis offeret celebres, quia virtute magicâ memorandos. In Epiro fons viſi-
*Bocan.* tur, effundens lumen ſicuti aquam: nam extinctas faces, ſi in illum demerſeris, inflammat, & reaccendit. Referente Majolo datur lacus, quem accolæ *furioſum* meritô nominant: nam in horas propemodùm ſingulas colorem mutat, ſaporem variat, genuinum juvenilis inconſtantiæ ſymbolum. Alium reperiri fontem in India ferunt, cujus aquâ lucernæ ardeant. In Bajano Sinu, aquæ non ſolùm calent, ſed etiam fervent. Fons Hammonius de die frigidus, de nocte bullit, ac æſtuat. In Illyrico ſcaturit latex, qui, licèt frigidus, expanſas ſupra ſe veſtes vapore ſuo accendit. Apud Garamantas eſſe fontem, author
*c. 32.* eſt Solinus, interdiu ita frigidum, ut non bibatur, noctu ita calidum, ut non tangatur. Teſtatur Varro, eſſe in Cilicia fontem, qui bibentibus acuat ſenſum; alium verò, qui hebetet. Lynceſtis aqua, maſſici inſtar inebriat, accinente Ovidio:

*15. meta.* *Lynceſtius amnis*
*Quem quicunque parum moderato gutture traxit,*
*Haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.*

Contrà Clitorius, fons Arcadiæ, vini faſtidium creat, eodem Naſone teſte:

*Ibidem.* *Clitorio quicunque ſitim de fonte levavit,*
*Vina fugit, gaudétque meris abſtemius undis.*

In Cappadocia amnis fluit, qui equos verſicolore maculâ pingit, non item alias animantes. Macedonibus flumen eſt, quod ovium velleri inducit candorem. Quod ſi præplaceat rufæ lanæ tinctura, gratuitus infector eſt Xanthus: ſi nigra, ad fontem ducunt Penenion: hunc enim ſi bibant Oviculæ, quæ albæ acceſſerant, recedunt nigræ. Crathis fluvius bibentium capillos electro; Sybaris auro aſſimilat. Sed & Hybernia fontem geminum monſtrat, indolis ita contrariæ, ut alter canitiem, alter juventutem perpetuam balneantium crinibus inducat. Acoſtæ

ſi fides

ſi fides, Peruanos fons alluit calidus, cujus aqua duratur in rupem, & exciditur in ædificia, plusquàm marmorea: ſic in Dacia Cepuſij unda in urceos transfuſa, illicò rigeſcit in lapidem: imò ſcaturiunt fontes, qui cuncta, quæ hauriunt, mox in ſaxa obdurant. Sic in flumine Anio cadaver latronis merſum derepente obriguit, tandémque totum ad inſtar Prœti lapideum eſt extractum. Sic in lacu Velino lignum mox lapideo obducitur cortice: & in flumine Silaro non modò immerſa virgulta, ſed & folia lapideſcunt. Similis eſt Coralij Metamorphoſis teſte Ovidio: *Plin. l. 7. c. 103.*

*Sic & Coralium, quo primùm contigit auras* *Met. 15.*
*Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.*

LEUC: Ut video, placet tibi Naſonis Calliope. Cur omittis aliorum fontium Paradoxa Poëtica?

*Admotis Athamantis aquis accendere lignum* *L. 15. Met.*
*Narratur, minimos cùm Luna receſſit in Orbes.*
*Quódque magìs mirum: ſunt qui non corpora tantùm,*
*Verùm animos etiam valeant mutare liquores.*
*Cui non audita eſt obſcœnæ Salmacis unda?*
*Æthiopésque lacus, quos ſi quis faucibus hauſit,*
*Aut furit, aut patitur mirum gravitate ſoporem.*

Nunquid ejusmodi experimenta ſapiunt Metamorphoſin? quòd ſi à Bellerophontis ungula vindicare velis hos fontes, oportet Sophos ratione convincas: quæ non capiunt, non leviter credunt. *MEL:* Apparet, quòd ſis è numero illorum, quibus Authorum fides ſolâ inſcitiâ venalis; quibus naturæ vires cerebelli limitibus conſtringuntur. Age mi bone, quis te conſtituit Naturæ Syndicum, ut quæ non capis arcana, è Magiæ Hydraulia tam audacter proſcribas? quid apertius virtute ſeminis? & tamen illius intuitu totius Africæ Lumen cæcutit, ac ſtupet: *conſidera*, inquit, *virtutem grani cujuslibet ſeminis, magna quædam res eſt, & horror conſideranti.* Quid certiùs, quàm quòd eadem ex aqua tam mirabilem ſugant tot gramina varietatem, & tamen Baſilij, licèt Magni, hoc exiguum non cepêre Naturæ myſterium. Et tui ſimiles Scioli, ſolo ignorantiæ clypeo, Magiam naturalem debellent, fundamenta in experientijs ſubruant, ſusdéque vertant? Apage! Saniora de te præſumo. Illud tene, in Magiæ labyrintho dari exitum, etſi lateat Tyrones. Atque ne penitùs te *Aug. tr. 8. in Joan.* *Hom. 5. in hex.*

Z tùs te

tùs te filô deſtituam, ſcito virtutes fontium paradoxas è diverſis, fontibus ſuam haurire originem. Nunc variant *ratione loci*: hinc alia aqua eſt fontana, alia fluviatilis, vel marina: nunc virtutem mutant admixta corpuſcula, & qualitates, quas inter plurimæ nobis occultæ: hinc aliæ aquæ ſalubres, aliæ metalliferæ, quamvis, me Judice, hæc tota diverſitas à diverſis terræ meatibus, per quos deſudant, ac defluunt latices, originem plerumq; trahere videatur: ſic aqua marina, per occultos terræ Mæandros denique percolata, amittit ſalſedinem, ac in fontanam dulcem degenerat: ſic quæ fluit per Auri matrices, virtutem trahit ab Auro, alia vires ab alio metallo, vel ſucco. Sic in mineris diverſos ſæpe halitus attrahit, induítque varias proprietates; ſæpe calida per ſubterraneos ignes, ſæpe frigida eodem è loco erumpit: nunc ſalubris, nunc noxia, prout nempe per diverſos canales, & vias ad idem oſtium currit, ſive devehitur. Habes originem, è qua in fontes promanant virtutes adeò diverſæ, ac paradoxæ. Sic levis neutiquam fidei Authores referunt, reperiri fontes, è quibus tam periculum vitæ, quàm mortis remedium propinatur: nam alij vix bibuntur, & è veſtigio necant, nullius interim nec doloris Authores, nec remedij patientes. Alijs verò cum aves emortuas immiſeris, extinctæ continuò reviviſcunt. Apud Afros innatant piſces undis ferventibus, qui tamen ſimul, ac inde in frigidam transferuntur, exſpirant. Ad Rheni crepidines aquæ ſcaturiunt dentibus infeſtæ; nam biennio poſtquam potæ ſunt, omnes ſuis ſedibus moti, luxatíque excidunt: aliæ quædam vix libantur à cervis, & ecce! cornuum ramos ac proſubulos decutiunt. Aliæ Thebis equos in rabiem agunt. Benignior illis, & mitior vis eſt, quæ apud Theſſalos alicubi fluunt, hauſtu ſalubres: ijs enim contuſa corporis oſſa, ſi reſpergantur, mirâ felicitate coaleſcunt. Quid? quòd etiam jocando, fontes ingenioſi Miracula fundant? nam Fortunatis Inſulis gemini ſunt, quorum alterum, qui bibunt, ſibi ipſis ludibrium fiunt, dum violento riſu crepantes emoriantur, nî vicini alterius fontis remediô ebullientem cachinnum tempori compeſcant. Major aliquibus vis eſt, qui jus ſibi quoddam in ipſam mentis ſedem capeſſunt: inde fit, ut duorum fontium altero memoria obtundatur, inductáque rerum oblivione vis omnis obſoleſcat: altero memoriæ labentis, & lentæ ſpecies excitentur

*Biderman. in Agon. l. 1. c. 7. citans Authores.*

tentur, acuantúrque. Imò Clitorius amnis pravos Cupidines, aquâ virgine, feliciter extinguit: quos eoſdem impuratus Bœotiæ lacus, ſalacibus undis, inſtigat.

LEUC: Illud me habet attonitum, quòd inter cauſas Magiæ hydraulicæ, non etiam poſueris cœleſtes Siderum influxus, Cynthiæ præprimis, quæ in undas habere dicitur dominium altum. Certè memini, Dodonæum fontem meridie ſemper deficere, mox increſcere ad medium noctis, & ad conſpectum Cynthiæ exuberare: tum denuò ſenſim decreſcere. Alium legi, qui manè tepentibus manat aquis, meridie frigidus eſt, veſpere calet, æſtuat mediâ nocte, inde deferveſcere incipit, & ſub auroram tepidior efficitur. Alios novi, qui maris æſtum æmulantur; ſic Gadibus bini putei ſtagnant, quorum unus aquâ dulci, maris æſtu creſcente creſcit, atque decreſcit: alter aquâ falsâ, contraria ſumit incrementa, & decrementa. Imò juxta Larium lacum, fontem eſt reperire, qui ſingulis horis intumeſcit, ac detumeſcit. En! fontem æmulum marini æſtûs, & nunquid utriuſque Phyſicam, Lunæ influxui, Philoſophia referet in acceptis? *Plin. alter. l.* 4. *ep. ult. ad Suram.*

*MEL:* Punctum tangis, cujus difficultatem, aliqui fundo carentem, alij curioſitatis humanæ tumulum, nonnulli etiam mortalium ſcientiæ inacceſſam aſſerere non dubitârunt. Vix Oceanus in tot diverſa nominibus maria diffluit, quàm Sophi in varias ſententias abeant, quarum ſolus Ricciolus octodecim numerat, fatetúrque, nihil hactenus excogitatum, quod implicitos hujus materiæ nodos vel diſſolveret, vel eluderet. Ego paucis pro complemento diſcursûs. Per maris æſtum intellige fluxum atq; refluxum, quo, agitatione reciprocâ, intumeſcere, ac detumeſcere ſolet Oceanus. Hujus motûs naturam pleriq; triplici varietate depingunt. Primum aſſerunt *Diurnum*, qui Lunæ periodum exactè adeò æmulatur, ut bis quotidie affluat, defiuat, & juxta Cynthiæ Borealem, ac Auſtralem aſcenſum ſive deſcenſum mutuo fœdere creſcat., ſive decreſcat. Imò & retardationem Lunæ propriam obſervat: nam ſingulis diebus per tres circiter quadrantes ſeriùs æſtu ſolito intumeſcit. Secundam motûs periodum *Menſtruam* appellant, eò quòd in Novilunijs, & Plenilunijs, vehementiùs furere notetur Oceanus. Motum tertium *Annuum* nominant, quo circa ſolſtitia minimos, circa æquinoctia plerumque maximos æſtus, Nereíque tumultuantis impetus, ob- Æſtus Maris.

ſervârunt. E quibus nemini, reor, non poteſt eſſe perſpicuum, Lunam, humidorum omnium Dominam, propinquiore ſidere, viribúſque ſpecificæ qualitatis ſic commovere Oceanum, ut in ejusmodi æſtus denique effervеſcat. Hæc cauſa, quàm mihi videtur accommoda, tam quoque inſufficiens judicatur. Nam *inæqualitas motûs*, qui nec ſtata tempora obſervat, nec legibus ullis conſtringitur, plura petit principia. Sed quænam illa? ſunt, qui Siderum influxus, Ventorúmque diverſos impetus aſſignant: ſunt, qui ſitum terræ, Regionum, maríſque adducunt. Illi omnium optimè, qui & Phœbo directiùs in mare agenti, elevantíque vapores, qui ipſi Oceano, qualitates Lunæ ſympathicas, aut certè ſpiritus nitroſos, ſalſugineos, volatiles, Mercuriales, ciendæ fermentationi accommodas ſuffundenti, tam paradoxam adſcribunt marini æſtûs varietatem. Sed in re adeò dubia tu à me certius nil requiras; ſi iſta curioſitatem tuam non ſatiant, Ariadnen quære, quæ certiore filo reconditas Naturæ vias tibi aperiat.

LEUC: Hìc non plus ultrà, ne cum Philoſopho Euripi vortices nos demergant. Ariadnen Phyſicam ſat jam ſecuti, pro complemento, filum quoque ab Ethica petamus. Quem illa Philoſophis labyrinthum aperit? quas implexas in labyrintho vias? Quæ myſteria? quam Ariadnen? quod filum? *MEL;* Arcanum eſt unicum, quod myſteria Phyſicæ longè exſuperat. Labyrinthus eſt mundus; ſtatus in mundo varij, variæ viæ; myſterium, Vocatio; Ariadne, Divina Numinis Providentia; deliberatio, filum. Hoc negotium Sophi primarium, quia ex hoc pendent negotia cætera: hoc illud *unum* eſt *neceſſarium*, è quo pendet præſentis vitæ felicitas, futuræ ſalus. In labyrintho Phyſico ſi rationis filum te ſubin deſtituat, modicum eſt detrimentum; in hoc ſi à via aberres, æternum diſpendium. Et ne ſolummodo verba me tibi dare exiſtimes, plus centum verbis ponderoſam audi Sententiam, qua hæc confirmat D. Gregorius, Lumen illud, quod univerſæ Eccleſiæ Nazianzum accendit. Sic

*Orat. 23.* ille: *Certum vitæ genus conſtituere res eſt tanti momenti, ut totius vitæ, vel rectè, vel malè traducendæ fundamentum in eo ſit poſitum.* Percipite Sophi, quot verba, tot ſignate myſteria, non veſtro ſolùm digna ingenio, ſed etiam æternâ, ſi fieri poteſt, memoriâ. Nam licèt Divina Numinis Providentia, ad unum omnes vos velit æ-

ternùm

ternùm ſalvos; licèt ſingulis Gratiarum certam paraverit ſeriem, quam ſi veſtra non turbet voluntas, infallibili filo, vos ad Cœlum deducet, non tamen quemvis per quamvis viam, vitæque ſtatum deducet. Efficaces gratias, quibuſdam paratas, ſic certo ſtatui, vitæque conditioni alligare DEUS conſuevit, ut ſi prudentis deliberationis defectu, præfixam ad Cœlum viam, vel non agnoſcant, vel agnitam amplecti negligant, ſuóque genio conformem eligant malè conſulti, in ea quidem ſalvari poterunt, infelici tamen Fato non ſalvabuntur. Nam cùm Divinæ circa ſe Providentiæ filum improvidè ruperint, permittente Cœlo, in gravia labuntur ſcelera, gratiáque finali excidunt, & quod conſequens, cœleſti Beatitudine, per ſuam culpam æternùm miſeri, ſpoliantur. Hæc Sententiæ Gregorianæ paraphraſis non è meo ingenio, ſed è Divini Spiritûs penna fluxit, dum hoc ille Sophis proverbium: *vocavi, & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſilium meum,* (obſerva conſilium) *ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Hinc bellè D. Gregorius: *ſunt, qui, niſi omnia reliquerint, ſalvari apud DEUM nullatenus poſſunt.* Videndum proin, Leucothee, & providendum cuilibet, ne in tam grave diſcrimen per ſuam prolabatur incuriam. Prudenter de ſtatu vitæ deliberandum, illis præcipuè, quibus præeſt togata Pallas; nam cùm ad plures ſtatus ſe reddiderint habiles, habent, cur dubitent; cur plus deliberent alijs, quos vitæ ratio, ſuâ veluti ſponte, determinat, crebra voluntatis Divinæ interpres. Inter ipſos autem Minervæ Aſſeclas, Sophi præcipuè, & inter Sophos præcipui hoc cordi ſibi ſumant negotium, ne plura talenta, quæ pro animarum ſalute acceperant, ſtrophiolo ſocordes involvant, aut, quod pejus, ad augendas opes, honores, vel profana officia, præter Numinis voluntatem, non tam utantur, quàm abutantur.

*Prov.* 1.

*ad Maurit. Imp.*

LEUC: Tantíne momenti ſit hoc negotium, ut ab illo dependeat ſalus? an ergò, te Judice, gravioris reatûs hunc argueret Themis, qui vocationis neglectæ exiſteret contemptor? *MEL:* Hæc quæſtio altius Tribunal petit, cujus ego malim venerari, quàm arbitrari Oracula. Nec tibi ſoli in mentem venit hic ſcrupulus: habuit Roma non abſimilem quondam Sophum, qui Magno Societatis noſtræ Theologo, & majori Aſceſeos Magiſtro hoc olim problema Ethicum: cujus deciſionem, ſi lubet, referam interpres. Dixit, Vocationem Religioſam, ſine gra-

*P. Lancitius S. J. Opuſc. Spir. to.* 1. *in monit. c.* 1. *ſ.* 5.

viore noxâ negligi poſſe,eò quòd conſilium ſit,non præceptum. Sed addidit clauſulam, quam, velim, ſignanter notes: eſſe tamen, aſſeruit, reperire non paucos, qui ob neglectam vocationem ſalute exciderent: fallor, non ob neglectam, ſed ob neglectæ pediſſequa ſcelera, quæ præviderat benignum Numen, in Mundi labyrintho hunc incurſurum, ſi oblatum vocationis filum, vel non arriperet, vel omninò abrumperet. Hæc ille. Excepit theſin hanc Sophus, & utinam bene deciſam, meliùs propugnâſſet! nam cùm frequenter illi oggereret conſcientia, Religionem eſſe periculorum omnium exterminium, curarum exilium, à Mundi turbis aſylum, tranquillitatis portum, perfectioris vitæ Nutricem, Genitricem virtutis, mediorum ad ſalutem armamentarium, theſaurum Evangelij abſconditum, Margaritam, omnibus Mundi theſauris magìs pretioſam, Mortis beatæ prodromam, certam ſalutis anchoram, beatitudinis arrham: hanc totam anacæphaleoſin rejecit verbô, Lacon deſpoticus: *non teneor.* Cùm mentem pungeret vel invito Apis mellifluæ nota polytheſis: *in Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, remuneratur copioſiùs:* hanc ille Phraſiologiam dictatorio mactavit triſyllabo: *non teneor, Conſilium eſt Vocatio, non Præceptum.* Sic diu eluſit Ariadnen Divinam, ignarus, quòd cum Superis nemo hactenus luſerit impunè, quin tandem ipſemet miſerè deluderetur. Philoſophiæ condecoratus laureolâ, vocationem ſibi ex genio, ùt amat contingere, fabricavit: Parentibus arbitris, Conſiliarijs carne, & Mundo, Suaſoribus amicis. Hinc qui Romæ jam repudiâſſet ſacram Prudentiam, profanam juris in Maceratenſi Academiâ quæſivit. Sed quæ à Juvene, in negotio ſummo ſic inconſtanti, ſperari poſſit conſtantia? qui Romæ trinſabat cum Cygnis, Maceratæ crocitabat cum corvis: qui Romæ nutriebatur in croceis, Maceratæ amplexatus eſt ſtercora; nam Juris Prudentiam eſt quidem profeſſus, ſed frequentavit ſtultitiam, deſertâ Pallade, infame ſcortum. Sed ſine æmulis huic proco diu eſſe non licuit: nam habent hoc Lycea Cupidinis, ut nunquam deſint Rivales. Hinc cùm nocte quadam, Cynthiam ſuam adiret hic Latmius, à Rivali ſubitò confoſſus, concidit infelix: &, quod mireris, concidit ante portam illius Domûs Religioſæ, quam intrare, DEO vocan-

*Bernard. hom. de quærent. bon. Margar. ep. 7.*

vocante, neglexerat. Confeſſarium petiît, ſed non obtinuit, priùs ad Tribunal evocatus Divinæ Juſtitiæ, quàm ſe ſiſtere poterat reum ad aras Miſericordiæ, toties deſpectæ, & irritatæ. En! Epitaphium, in Fato ſubito extemporaneum.

*Jacet Hic Juris Conſultus,*
*Malè conſultus,*
*Quia divina neglexit conſilia,*
*Secutus humana.*
*Jus illi tribuit divina Juſtitia:*
*Nam jacet ad portam,*
*Ad quam ſtare ſæpius debuiſſet.*
*Jacet ad limina,*
*Quæ ingredi cùm debuit, noluit,*
*Quæ ingredi ubi voluit, jam non valuit.*
*Extra portam*
*Fruſtra vocavit Conſcientiæ Arbitrum,*
*Quem Conſcientiæ Arbiter fruſtra vocaverat toties*
*Intra portam.*
*Mortuus eſt, qualis vixit:*
*Ab amore ſauciatus in vita,*
*Ob amorem vulneratus in morte,*
*Eodem vulnere, quo vixit,*
*Vixit.*
*In uno cadavere*
*Mirare*
*Funeſtum hoc anagrammaticon.*
*Hìc jacet* Procus,
*Cujus* corpus *cùm fuerit* porcus,
*Ejus Sepulchrum jam erit* orcus.
*Abi,*
*Et lege affixam huic portæ epigraphen,*
*Hæc porta æternitatis,*
*Qua apertâ qui ingredi nolunt ad vitam,*
*Eâdem clausâ ingredi cogentur*
*Ad mortem.*

LEUC:

LEUC: Caſum funeſtum! lamentabilem vocationis deſertæ ſortem! Negotij hujus momentum quàm pauci penetrant, quàm multi penetrare recuſant? *MEL:* Ita eſt: hæc inimici eſt ſtropha, ut nullum negotium majoribus perturbet dolis, quàm quod maximum, nempe negotium negotiorum. Nunc mentem occupat per crepundia, ut otioſis hiſce negotijs fluat ætas, & effluat tempus deliberandi de tempore; horum teſſera: *nolite ſolliciti eſſe in craſtinum,* Nunc mille obſtaculis impedit, ne aſſumatur; vel ſatagit, ut differatur, aut aſſumptum denuò interrumpatur: identidem menti ingerit, *quid opus electione? pluribus vijs venitur Romam.* Nunc negotium turbat aſſumptum, ut peragatur pro forma, & ſine forma; multi incipiunt, & pauci finiunt: hi horrent Divinæ Voluntatis revelatam notitiam, illi expectant per angelos revelandam. Nunc conſtantiam infringere nititur: per amicos ſuadet, ut exequi differant; per Parentes, ut negligant; per malos Socios, ut ſeſe reddant indignos. Imò poſtquam jam ad aratrum miſêre manum, laborat, ut reſpiciant retrò. En quot negotijs, hoc unum negotium Dæmon turbare ſatagat, ut vel ab hoſte colligas grande momentum! Sed hoc fatum eſt Juventutis, nullibi errare frequentiùs, quàm in via vocationis, ubi nemo errat, niſi toto cœlo aberret. Utinam non toties teſtatum hoc nobis facerent triſtiſſimi Annales! è quibus unicum in Toletano Philoſopho exemplum cape. Huic, neglectæ vocationis reo, cùm in agone naufrago, fruſtra obtruderetur pœnitentiæ tabula, clamantibus in Cœlum Amicis: *Fiant aures tuæ intendentes!* ſubitò Crucifixi effigies, reſolutis de cruce brachijs obturare viſa eſt aures, hánc q; emittere horrendam vocem: *Vocavi, & renuiſti; ego quoque in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo.* Sub quibus verbis infelicem Sophus efflavit animam. Satìs eſt Leucothee: domum abi, & hujus ſententiæ lege paraphraſin, quam ad demortui tumbam affixit D. Bonaventura.

SAR-

# SARCASTICON
## IRRITATI SPRETIQUE NUMINIS,
### AD PHILOSOPHOS VOCATIONIS DIVINÆ CONTEMPTORES.

*Vocavi, & renuiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.*

Prov. 1. v. 24. &c.

*Quis clamor inſolitus*
*Huc ab imo ad Summa?*
*Quæ lamenta, inter tormenta,*
*Ex ære fuſa flagellant Sidera?*
*Quinam hi miſeri,*
*Qui* Miſerere *hoc intonant,*
*Precantúrque jam* de Profundis?
*Intelligo:*
*Tranſière Bacchanalia vitæ:*
*Hinc*
*Lamentationem Mors incipit,*
*In Die Cinerum.*
*Itâne vos illi,*
*Qui poſtulatis auxilia,*
*Oblata toties, nec poſtulata?*
*Qui ploratis, & opem jam imploratis,*
*Exploſam toties, nec deploratam?*
*Fruſtra eſt:*
*Si peteretis hanc ſeriò, non peteretis tam ſerò:*
*Obdurâſtis mentem, rebelles Lumini:*
*Hinc*
*Obturatæ aures contempto Numini.*
*Fruſtra eſt:*
Vocavi, & renuiſtis. *Prov.l.c.*
Extendi manum, nec aſpexiſtis:
Dedi conſilium, & deſpexiſtis:

*Accendi lumen, & fuit extinctum:*
*Porrexi filum, & fuit neglectum.*
*Vocavi, nec reſpondiſtis:*
*Exſpirâſtis, quæ inſpiravi:*
*Amavi, & amando clamavi:*
*Spreviſtis amorem, non curâſtis clamorem.*
*Frequenter flabam*
3. *Reg.* In ſibilo auræ tenuis.
19.*v.*12. *Sed exſufflâſtis auram, ſibilum exſibilâſtis.*
*Nec rarò intonui de Cælo Dominus,*
*Act.* 2. In ſpiritu vehementi.
*v.* 2, *Sed ſine ſpiritu recepiſtis hunc Spiritum,*
*Abiîtque Ventus in ventum.*
Vocavi, & renuiſtis:
*Miſi Prophetas, & lapidâſtis;*
*Corde lapideo Cæleſtes opes dilapidâſtis,*
*Veri lapides offenſionis.*
*Vocavi monſtrando viam,*
*Sed deviâſtis in avia:*
*Aperui Sidera, & clauſiſtis:*
*Clauſi Tartara, & aperuiſtis.*
*Vocavi, & reſpondiſtis,*
*Sed tamen voto non reſpondiſtis,*
*Dum dixiſtis, infrunitum illud:*
Non ſerviam.
*At ecce!*
*Jer.* 2. *Mea fruſtrando vota, fruſtrâſtis veſtra:*
*Mihi non ſerviendo, ſerviîſtis peccato:*
*Nunquam magìs ſervi, quàm ubi liberi.*
*v.* 20. *Nam*
*Non ſerviendo ſervitutem Servorum DEI,*
*Induiſtis ſervitutem Mancipiorum Diaboli.*
*Clamavi:*
Jugum meum ſuave, & leve:
*Sed reclamâſtis,*
*Jugum non induamus:*
*Jud.* 19. *Quia*
*v.* 22. Filij Belial, id eſt, absque jugo.

*Sed*

*Sed non induendo jugum ſuaviſſimum,*
*Induiſtis jugum graviſſimum,*
*Quia jugum triplex pro unico.*
*Impoſuit Caro*
Jugum ferreum ſupra cervices veſtras.
*Mundus* aggravavit,
*Dæmon* addidit ſuper jugum. *Deut.* 28.
*Caro vos cecidit* flagellis, *v.* 48.
Scorpionibus *Mundus,* 3. *Reg.*
*Dæmon utriſque.* 12.
*Vocavi, & revocavi,*
Vos à via Iniquitatis:
*Oſtendi* Semitam Veritatis:
*Sed elegiſtis* viam,
Quæ viſa *in initio* juſta,
Cujus noviſſima vos deduxêre ad Mortem.
*Hinc errâſtis,* *Prov.* 14.
*Et toto Cœlo ſic aberrâſtis.* *v.* 12.
*Nunc in veſtro interitu rideo,*
*Nunc ſubſanno.*
*Vocanti repoſuiſtis ſolenne illud;*
Non teneor:
*Invocantibus jam redit Echo reciproca;*
Non teneor.
*Veſtrum* Nolle
*Recuſavit opem oblatam:*
*Hinc noſtrum* Nolle
*Jam recuſat petitam.*
*En!*
*Quàm veſtrum* non teneor
*Vos in mortis anguſtijs teneat:*
*Quàm veſtrum* Nolle
*Impediat jam noſtrum* Velle.
*Cùm aderat facultas, deerat voluntas,*
*Cùm adeſt voluntas, jam deeſt facultas:*
*Hiſteron Proteron,*
*Eſtis nunc indigi, ſed indigni.*
*Fletis damna, ſed ego indemnis rideo:*

*In unicâ Vocationis Gratiâ,*
*Perditam fletis Gratiarum Iliadem.*
*Per unicum Nolle corruptum,*
*Jam abruptum Providentiæ filum:*
*Nam*
*Qui vocati, fuiſtis prædeſtinati,*
*Sic refragati, eſtis jam reprobati.*
*Nunc ploratis rem deploratam:*
*Ridentur lacrymæ, quia ſteriles.*
*Fruſtra clamatis,*
*Ubi conclamata ſunt omnia:*
*Fruſtra ſperatis,*
*Ubi ſalus eſt deſperata.*
*Nunquid dixi? Mors docebit ſapere,*
*Sed Phryges.*
*Nunquid clamavi, dixique, clamate:*
*Secùs*
Clamabitis, & non exaudiam,
Exſurgetis manè, nec me ampliùs invenietis.
Prov. 1. v. 28. *Sed riſiſtis monentem,*
*Ut vos monitos jam meritò rideam.*
*Nunc gemitis inter tormenta,*
*Meóque riſu veſtri jam ſtrident dentes.*
*Ululantes plangitis,*
*Sed ſubſannantem non angitis:*
*Gemitus rideo, ululatus ſubſanno.*
*Nam*
Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata,
*Hinc meritò jam ſubſannata.*
*Contemptores meos contemno,*
*Neglectus negligo jam negligentes,*
*Ut riſus, qui fuit culpa, Culpæ quoque ſit pœna.*
*Riſiſtis Augurium,*
*Impletum jam plorate Oraculum:*
Vocavi, & renuiſtis:
Ego quoque in interitu veſtro ridebo,
Et ſubſannabo.

OEDIPUS




*S. Hermannus, ob monſtroſa Corporis speciem cognomen=to contractus, cùm et ingenij vitiô laboraret, apud Deiparam, de natura ſibi noverca queſtus, optionem ob=tinuit, qua vel corporis, vel ingenij infirmitate ociùs liberaretur: elegit posterius, quia Sophus; hinc tantâ ſubitò ingenij felicitate excelluit, ut Philiæ monſtra, nullo negotio debellaret, ipse in monſtroso corpore, novum ingenij monſtrum. Ex Calend: Bened:*

*G. Rogg del:* *I. Melchior Gutwein sculpsit*

# OEDIPUS PHYSICUS,

*Seu*

# DISCURSUS VII,

## DE MONSTRIS.

LEUCOTHEUS. Quæ tu monſtra hodie, Sphingi affinia? quem Oedipum in Scenam producis, ut in hoc Phyſicæ Theatro Choragum agat, ac monſtroſo lepóre plenam, det Auditoribus Sophis cataſtrophen? *MELANDER*. Oedipum propono Phyſicum, qui Philoſophiæ monſtra ſic detegat, ut habeat Gentilis Antiquitas, quod æmuletur, non glorietur. Hunc nobis ſuppeditat Prytaneum illud, Antiquitatis gloriâ celeberrimum, Ordinem S. Benedicti intelligo, è quo tot rutilant Scientiæ Sidera, ut Orbem illuminent univerſum. Dedit hæc nobis Familia, ter Benedicta, in Microcoſmo Divum Sylveſtrum; dat in Megacoſmo Hermannum: ille nos docuit ſapere, quia bene mori; iſte nos docebit diſcurrere, eò majore paradoxo, quòd ſit *contractus*. Audi, quam de hoc Oedipo legamus ſynopſin vitæ mirabilem. Oedipum voco, *à monſtroſo pedum tumore*, qui illi ſic omnem uſum ademerat, ut in corpore haberet ergaſtulum; in pedum, manuúmque arthritide catenas. Acceſſit, quòd membrorum ſtupor, & ipſam hebetârit ingenij aciem, ut qui corpore paralyticus, cerebro apoplecticus, ex toto eſſet monſtroſum hominis portentum. Sed in tam vili conchylio theſaurus latuit, omni gemmâ nobilior, anima ſci-

licet, vel ideò ſpecioſa, quòd ſpecioſæ Virgini ex aſſe eſſet devota. Hanc ille coluit Matrem, ut qui Naturam, immitem adeò eſt expertus Novercam. Accidit, ut coram Divinæ Matris imagine, filialis eiusdem affectus in hæc verba quondam erumperet: *En! Specioſa filium ſpurium, quia monſtrum.* Paucis verbis paraphraſin addidêre lacrymæ, energiam repetiti ſingultus: audiît benigna Mater, formâque viſibili ſolata eſt miſerum Clientem. Imò, ut in ſpes meliores erigeret, copiam afflicto fecit, ſtatueret ipſe ſecum, an mallet membrorum uſu, quàm ingenij pollere acumine. Non diu dubio eſſe licuit, quia Philoſopho: maluit cum Doctis ſapere in noſocomio, quàm cum indoctis vegetus vivere in morotrophio. Dictum, factum: ad Palladem reverſus, aliam invenit, & illa alium. Nam obſtupuit metamorphoſin, cùm vidit, quòd ex priore trunco tam citò Mercurius: Therſiten putavit, & invenit Vlyſſen, qui in difficultatibus ſummis neſciret difficultatem; qui Philoſophiæ monſtra & Hircocervos tam felix detegeret; cui nihil non ſcitum, quodcunque dictum eſt ſcibile; qui in deformi capite ſcientiarum omnium gereret encyclopædiam. Verbô, obſtupuêre illum omnes, velut Ingenij monſtrum: nec ipſe Hermannus in ſeſe agnoſcebat Hermannum: hinc beneficij memor, ut Sapientiæ Sedi perſolveret Minerval, Tres odas *Salve*, & *Ave Regina* unà cum hymno *Alma* in laudem Magiſtræ compoſuit, quod cœleſte melos in hunc diem Parthenia Odea animat, ac exornat. Quid tu ad iſta?

LEUC: Amatorem Parthenium amo; monſtrum Ingenij admiror; Oedipum in noſtra Philoſophia redivivum veneror. Sphinx deeſt, quam tamen, ſi per te licet, inter monſtra Philoſophica proferam. Sunt ſua Phyſicæ paradoxa, quæ cùm nuper ænigmaticâ cortinâ legerem involuta, deſperâſſem de vita Tyro Philoſophus, ſi eádem conditione, qua Thebanis olim viatoribus, illorum mihi ſtetiſſet ſolutio. Et quia opportunè nunc Oedipum offers, age precor illius interpretem; placent ænigmata facta, placebunt magìs ſoluta. *MEL:* Non me habes invitum: pro diſcurſu propone magìs ſelecta, quæ minus prolixitatis, plus habent jucunditatis.

LEUC: Percipe Philoſophicam Muſam, primúmque in Muſa Sphingis oraculum.

*Eſt*

*Eſt animal Phyſicæ, Magnum ſimul atque puſillum:*
*Vix aliquid majus, vix minus orbis habet.*

*MEL*: Hominem notas, qui modò natus de ſtirpe Enacim, in Giganteam aſſurgit molem: modò è Mirmydonum gente, ad compendioſam formicæ ſynopſin membra contrahit deformis Nanus. Multa finxit fabuloſa Antiquitas de Typhæis centimanis: quibus *gemini, dirâ ceu luce, cometæ immanes ardent oculi, deformiáque amplo ora patent rictu.* Multa de tricorpore Monſtro Geryonis: de Caco, qui *Aventinæ timor, & infamia Sylvæ, Nec leve finitimis, hoſpitibúsque malum.* Multa de Cyclopibus, Polyphemis, Enceladis, monſtris horrendis, informibus, vultu qui *ſidera pulſant, quibus coma plurima torvos prominet in vultus, humeróſq; ut lucus obumbrat*. multa inquam, de ejusmodi monſtris fabuloſa Antiquitas, quibus per Gigantomachiam, ſuperiniectis invicem montibus, in ipſa Sidera tentavit aſſultum, ac è Cœleſti Capitolio fugavit imbelles Deos. Ut tamen è fabuloſo cortice veritatis nucleum eruamus, illud eſt in confeſſo, in orbe dari ejusmodi effectus naturæ raros, qui à Philoſopho *prævaricationes, & peccata Naturæ;* ab alijs *degeneres à ſolita diſpoſitione ſubſtantiæ:* ab alijs ob nominis etymon, quo inſolita *monſtrare, monſtraríque* cupimus, recepto jam nomine, *Monſtra* indigitantur. Horum, quia variæ cauſæ, mira quoque reperitur varietas. Nonnunquam redundat materia matrix, vel virtus plaſtica: hinc Goliati prodeunt, atque Samſones, vel alij de genere Giganteo, quibus comparati nos pumili meritò videremur locuſtæ. Noveris, quòd in Inſula Creta, per terræ motum diſrupto monte, inventum ſit ſcheleton, cujus ſtatura ſex & quadraginta cubitos ſuperabat: Nec Maximinum Imperatorem fuiſſe Nanum oportet, quem uxoris armillâ annuli locò non ſemel uſum, hiſtoriæ perhibent. Ex eadem ſtirpe fuerit, reor, *Jesbi-benob, cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat.* Narrat Philoſtratus, Neronis ætate Romam Gigantis dentem allatum, qui pedis menſuram non æquârit modò, ſed ſuperârit. Quòd ſi Thomæ Fazello fides, ad radicem montis, quem Ericem Sicilia nominat, effoſſum fortè cadaver, cujus pars anterior cranij modiorum aliquot menſuram in ſe complexa: aliud in Mazareno agro à cæmentarijs erutum, cujus caput Diogenis dolium referebat, molares verò dentes ſinguli, quinque unciarum pondere appendebantur.

*Ovid. l. 1. faſt.*

*Idem l. 13. Metam.*

1. *Reg.* 17 *v.* 4.

*In vit. Apollon.*

*De reb. Sic. l.* 1. *Dec.* 1. *c.* 6. *an.* 1342.

bantur. Imò eodem Authore, Gigantem inventum legimus, cujus corpus ducentis cubitis vix bene poterat redigi in menſuram. Denique Hipponenſe oraculum nefas hìc præterire. Vidi, inquit, non ipſe ſolus, ſed alij mecum, in littore Uticenſi molarem hominis dentem, tam vaſtæ molis, ut ex illo centum alios, noſtris æquales, non difficulter Artifex excidiſſet. E quibus, reor, cuivis Philoſopho ſat manifeſtum, Gigantum geneſin ſoli Naſonis adſcribere cerebro, vel *inſignis* eſſe *ſtultitiæ*, vel *impudentis proterviæ*, ùt notant minimè vulgares Sophi.

*l.15. de Civ.c.9.* *Pined.* *Del Rio.*

LEUC: Ut video, etiam cùm peccat Natura, ſe nobis præbet mirabilem: in eo utique felix, quòd monſtra illius admiremur monſtrata, & ipſos in pretio numeremus abortus. Apparet hoc in Pygmæis, quos velut rara cimelia enutriunt Aulæ: hinc Patres eſt invenire, vel monſtra Parentum potiùs, qui ejusmodi abortus non modò cupiunt, ſed medicamentis quoque procurant. *MEL:* Hæc auri eſt ſacra fames: quamvis non ſoli Parentes, ſed & ipſa ſæpe peccet Natura, dum vel materiæ, vel virtutis plaſticæ defectu, ejuſmodi Pumiliones edit in lucem, quos ſine perſpicilijs in lucem editos vix deprehendas. Meminit Nicephorus, homunionis cujusdam, qui annos natus viginti quinque, perdicis magnitudinem non ſuperârit. Cubitalem maſculum, eúmque ſenem, Pſittaci caveâ incluſum vidit quondam Italia Cardano teſte. Aldrovandus Bononiæ vidiſſe Nanum ſe aſſerit, qui 30 unciarum altitudinem non ſuperavit. Duos pedes Pygmæus Auguſti; pedem & duos palmos ſtaturâ æquaverat Nanus Juliæ, Auguſti Neptis. Pumilio item fuerit Meneſtratus ille, in quem Auſonius ſub nomine Fauſtuli hunc in modum jocatur.

*Del, Rio. l.2.diſq. q.5.*

*Fauſtulus inſidens formicæ, ùt magno Elephanto,*
*Decidit &c. heu cecidit non aliter Phaëton!*

Philetam noveris, de tribu levi nepotulum, qui plumbeis ſoleis munire calceolos debuit, ne fortè vento abriperetur. Primas tamen in Microcoſmi ſubſellijs ſibi meritò vendicant trecenti illi, & ſexaginta quatuor Duculi, quos anno ſalutis 1276, ipſa Luce Chriſto patienti ſacrâ, Margaretha, Comitis Hollandiæ filia, uno eodémque partu enixa ſcribitur. Res fidem Philoſophicam ſuperaret, niſi pondus adderet ipſa Antiquitate veneranda Authoritas. Epitaphium hujus Matronæ hiſtoriographi referunt, quod

*Apud Lud. Vives.*

quod totam hanc pumilionum cohortem, in una pelvi, veluti cunis exceptam, in eadem, baptiſterij inſtar, ſacro fonte ablutam, ac paulò pòſt in illa ipſa, tanquam ſarcophago, ſepultam, ſtupendæ parvitatis prodigio conteſtatur. Quid jam dicam de Pygmæorum formidabili Gente, *quorum tota cohors pede non eſt altior uno?* *Satyr.* 13 ùt non ſine ſale in illos ludit Satyricus. Certè à membrorum epitome Scriptura illos vocat *Pygmæos*: à ſtatura *cubitales* homulos Stagirita: à trium ſpithamarum longitudine *Spithamæos* Plinius: à cavernulis, quas habitant, *Troglòdytas* Incolæ appellant. *Ezech.* *c.* 27. *v.* 11. Patriam ſi indagas, Scythiam, Thraciámque incolunt: nonnunquam Nili oſtia pervagantur: imò & in Indijs caſtra metatos legimus. Pugnant cum gruibus, ſata vaſtantibus; pro veſtibus ſerviunt illis capilli, barbáque ad talos uſque profuſa, qua involvuntur. Arietes equorum locò uſurpant: ſagittas peritiſſimè evibrant in ſcopum, ideóque tria illorum millia Indorum Regi, pro excubijs ſervire perhibent: venantur lepores, vulpéſque, ſed corvis, milvíſque venaticis, non Moloſſis. Percipe, quàm ſtylo arguto ſugillet hos pugiles, hæcque Myrmidonum deſcribat *Sat.* 13. prælia Juvenalis:

*Ad ſubitas Thracum volucres, nubémque ſonoram,*
*Pigmæus parvis currit Bellator in armis,*
*Mox impar hoſti, raptúſque per aëra curvis*
*Unguibus, à ſæva fertur grue &c.*

Ita Satyricus, more ſuo, cum grano ſalis. Sed Stylo Attico alius luſit in infauſtos hos pugiles, dum in occiſorum exequijs, hoc affixit Epitaphium Caſtro Doloris.

*Siſte Viator!*
*Magnam hìc ſpectas cladem in hominibus parvulis,*
*Vix homines fuêre, quia ſuo nomine breviores;*
*Homulorum fragmenta potiùs, quàm homines.*
*Hoc unum aſpice ſceleton:*
*Vix notabis membra in membris,*
*Pes eſt, ubi eſt caput, unde incipit, eò deſinit:*
*Lineam in puncto diceres, punctum in linea.*
*Cineres ſpectare ſi cupis, preme anhelitum,*
*Afflatu unico difflabis omnes.*
*Cecidêre hìc ultrò,*

*Nam lædi vix potuêre, vel lædere:*
*Adeò nec onus fuêre, nec oneri.*
*Vocem edere poterant,*
*Ut quos audiîſſes ſine tubo acuſtico,*
*Sine teleſcopio vix vidiſſes.*
*Iraſci poterant:*
*Nam etſi parvæ ſcintillæ, magna excitabant incendia,*
*Piperati Maſculi, ſinapis grana parva quidem, ſed prava.*
*Sunt, qui affirment Ledeo ex ovo genitos;*
*Sunt, qui ridiculos Æſopici montis partus aſſerant:*
*Utrumque falsò,*
*Nam his homulis compoſiti mures, montes ſunt.*
*Alij Myrmidoniâ putant formicâ natos:*
*Sed nihil ſecius:*
*Grandiores habent Formicæ partus,*
*Solæ iſtorum Genitrix, concepto fœtu, non tumuit,*
*Neque cùm peperit, ſe Matrem ſenſit:*
*Adeò compendioſa fuit Natura,*
*Dum ad oſtentandum Ingenium, hos homulos in epitomen traxit.*
*Tantæ his Viris vires,*
*Ut nec Formica Callicratis, illis æquo Marte certaret.*
*Illud malum, quòd nihil agere poterant:*
*Sed ſimul bonum, quòd pariter nil poterant pati:*
*Contra ignem, & ferrum muniti pugiles, quia minuti.*
*Sed nec ſuſpendio poterant enecari,*
*Niſi Arachne forſitan fuiſſet carnifex, & laqueus filum.*
*Hinc vitam diu exegerant,*
*Quia Morti ſæpius inobſervati,*
*Quæ in certiora plerumque collineat.*
*Nec uno ſtratagemate vicêre ſuos Victores:*
*Cùm omnia explorarent, à nemine explorati,*
*Mars ipſe, impoſitis perſpicilijs, obſervare non poterat,*
*An ſedeant, ſtent, vel jaceant compendioſi hi velites,*
*Nam tetigêre planum in puncto.*
*Nunc Corvis invecti imminebant, non eminebant:*
*Nunc rhedis impoſiti imponebant ſpectantibus non ſpectati:*
*Nam proceriores Aurigas ipſa ſenſit Myrmecidis quadriga.*
*Sæpe capti per aciculæ foramen denuò elabebantur:*

*Sæpe*

*Sæpe vinculis conſtricti, ferrum non ruperant, & tamen eruperant.*
*Ipſis apparitoribus non apparentes.*
*Sæpe luſtrabant ultrò, citróque hoſtium acies,*
*Tuti, quia parvitate tecti exploratores.*
*Sed quid multis de modico?*
*Magnas etſi clades intulerint, exiguam retulêre.*
*Utut retulerint totalem.*
*Hìc igitur jacent in pulvere hi pulviſculi.*
*Uno omnes ſepulti in piperis Mauſolæo.*
*Abi Viator, ſat ſpectâſti has Democriti atomos.*
*Entitatulas Philoſophiæ diminutas,*
*Mathematica Puncta, Arithmeticum Nihil.*
*Vis, doceam verbulo, quid ſit parvus homo?*
Magnum malum.

LEUC: Sinamus quieſcere, in ſua urnulâ hos parvulos Manes, ne ſub cinere excitentur ſcintillæ, & efferveſcant denuò ollulæ. Alterum jam Monſtrum profero è Phyſicæ latebris: quo illud nomine appellem, hæreo; quibus verborum coloribus ectypon illi ſtatuam, ſubſiſto. Fallor, an Hippocentauros, & fabuloſos è Pindo Satyros contemplor? verbo: Hominem video, non tamen Hominem, ſed *ſemivirúmque bovem, ſemibovémque virum.* Quid illud? *MEL*: Naturæ, à Natura degenerantis, abortus notas: parit hanc in Natura confuſionem Sexûs, ſeminíſq; confuſio, quæ monſtrorum Genitrix indubitata. Sic bello Marſico Alcippe peperit Elephantem: alia apud Helvetos Leonem; a quædam Papiæ Catum: b Infelix alia Brixiæ Moloſſum. Sic Auguſtæ Vindelicorum, mulier, eodem partu, enixa primò caput humanum, membranis involutum; mox ſerpentem bipedem; denique ſetis horrentem Porcum. c Illud fidem propemodum ſuperat, cujus tamen tota teſtis eſt Luſitania: Mulierem nempe, in quadam Inſula deſertam, à grandi Simio in hoſpitium deductam, variíſque frugum bellarijs recreatam, demum infami ſtupro compreſſam, duos Simios progenerâſſe. Contigit, ut poſt annorum aliquot ſervitutem nefandam, in Luſitana navi libertatem repererit: vix vela facientem ſuperveniens conſpexit Simius, cùm ecce! inconditis geſtibus, fremitibúſque fugitivam Conjugem revocare, mox celerrimo curſu

*Del Rio diſq. Mag. l. 2. c. 14.*
a *Anno* 1278.
b 1471.
c *Idem l. c. & alij.*

 afferre

afferre geminam prolem, Matri oſtendere, minari, unum poſt alterum mari demergere, denique & ipſe furens, ſe in undas dare præcipitem, támque diu perſequi fugitivam, dum ab Oceano victus, incœſtos ignes, unà cum vita tandem extinxit. Sunt, qui Reges Gothicos ex Urſo, & nobili virgine; Peguſianos, & Sianitas à Moloſſo, & Muliere originem duxiſſe autument. Imò

*Del Rio l. c.*

fidem nobis facit, eruditos inter Philoſophos celebre Nomen, è Vacca, & nefario homine (non ægrè ferat humanum genus, quòd hoc nomine compellem monſtrum, quovis Bruto monſtroſum magìs) prodiiſſe partum verè humanum, qui ſacro latice tinctus, etiam pietatis ſtillas à Nutricibus ſuxit, hoc tamen ſtigmate materno, quòd propenſiones aleret vitulinas, pervagandi prata, herbíſque ſatiandi belluinam ingluviem. Quibus monſtris ut ſine monſtro phyſicum horoſcopum ſtatuas, ſciendum, ex fera, & homine, hominem non prodire, ſed hominis duntaxat larvam: nam tanta perfectio ſuperat ferinum ſemen, ùt uno ore fatentur Sophi. Imò nec ex duplici ſpecie unquam prodit perfectè analoga, ſed mixta quædam, humano capite, corpore Simio,

*Petrus Chiez.*

qualem apud Andinos, Simijs familiares, natam perhibet hiſtorica fides. Cæterùm Dæmonis operam, vel certè præſtigias non rarò ſuſpicor intervenire: nam hominem naſci à Vacca inter Sophos ἀδύνατον: hinc, reor, Vaccæ à vento turgidæ ſuppoſitum à Dæmone infantem, eo oculorum ludibrio, ut naſci à beſtia videretur: quo ſubin errore implantata infanti perſuaſio, ſe Vaccæ filium, ex qua putatæ Matris propenſiones haurire potuit, Authore Phantaſo. Illud non omittendum, ejuſmodi monſtra non nunquam naſci, Divina Nemeſi Parentum ſcelera ulciſcente: ſic Friſij in occipite naſcuntur caudati ob S. Bonifacij necem: Anglorum quidam ferino corpore, & ſimili cum appendice, eò quòd Divi Thomæ ſonipedi caudam per ludibrium abſcidiſſent: ſic Nobili cuidam feſtos dies Dianæ ſtudijs profananti, natam legimus prolem, canino rictu, & auribus, Moloſſi inſtar, flaccis, atque dependulis. Sed & aliam Xantippem, pauperculæ cuidam injurioſam, in foro Julicenſi effudiſſe filium memorant, ſeptem capitibus monſtroſum: Hydram dixiſſes, novo Herculi debellandam, niſi membra, hominis latere quidpiam, demonſtrâſſent.

*Kempius l. 2. de orig. Friſ. c. 21. Polyd. Virg. hiſt. Ang. l. 13. Th. Cantip. l. 2. de Apibus. Scarlat. de monſtris ad an. 1625.*

LEUC: Evolvi Scholiographum a nuper, qui comentatur in Stagiritam: is ait, monſtratum in Gallia quondam monſtrum,

*a Niphus in Ariſt.*

ſtrum, quod duo corpora in umbilico ſic adunabat, ut raro amicitiæ ſymbolo, cor unum dixiſſes, an & animam unam, ſub philoſophico Judice ſudat problema. Quid tu ad iſta? *MEL.* Stagiritam ſi conſulas, ex uno, vel gemino corde litem decidet: aliter ſacra Sorbonæ Themis, nam vel geminam animam huic monſtro addixit, vel geminum ſaltem baptiſma in dubio adjudicavit. Certè non abſimilis portenti, gemina fronte, quatuor pedibus, manibúſque monſtroſi, meminit Albertus, re & nomine Magnus, quod duplici animâ informatum, effectus ad oculum diverſi non probârunt modò, ſed demonſtrârunt. Nam dextero præ iracundia turbido, ſerenâ fronte pacificus alter: illo Democritum agente, Heraclitum agebat iſte, & triſtitiæ lacrymis alterius gaudia demergebat. Imò mortuo uno, ſupervixit non nihil alterum monſtrum, & diutiùs ſupervixiſſet, niſi cadaveris agnati fœtor, eodem fato, in tumulum conjeciſſet. Hoc Naturæ prodigium obſtupuit in inferijs Libitina, affixítque ſepulchrali lapidi hoc epitaphium.

*Hìc jacent duo homines,*
*Et unum corpus.*
*Simul nati, & penè ſimul denati,*
*Diverſo tamen horoſcopo:*
*Nam*
*Nil illis conjunctius vixit,*
*Nil illis ſejunctius vixit.*
*Cor unum habebant,*
*Et tamen cordis affectibus diſſidebant,*
*En!*
*Licèt Cœlum non capiat*
*Plutonem, & Jovem,*
*Idem corpus tamen capit mortem, & vitam:*
*Abi Viator: & mirare,*
*Hominem mortuum, & ſimul vivum:*
*Par impar, diſſimile ſimile:*
*In unitate binarium,*
*In binario unitatem,*
*Sphingem Oedipo dignam,*
*Quia monſtrum.*

 Gemi-

gemino huic Naturæ prodigio addo minora, quæ tamen non minùs curioſam ſui petunt memoriam. Africa homines producit Polyphemo non impares, quia Monoculos, & Cinocephalos. Scythia Incolas alit, quibus aurium appendices tam grandes, ut
*Plin. l.* 4. totum corpus velent, ac contegant. Imò aliquibus, quos Tu-
*c.* 3. tanuchos nominant, tam liberali ulnâ protendit aures Natura,
*Solinus* ut ſex viri ſub illis, velut tegumento commodo, latere poſſint.
*c.* 30. Sed & Antiochia Conſtantino Magno Faunum obtulit, ſeu ho-
*Nier. l.* 8 minem ſilveſtrem: in qualem evaſiſſe, reor, infantem illum, de
*c.* 8. quo Cardanus, qui in Silva depoſitus, nutritúsque ferino lacte ferarum indolem ſuxit, ac hirto vultu, ungues, & caudam ad inſtar belluæ produxit: en! quanti referat educari inter feras, vel homines feros! Ipſa India à Monſtris quæſivit gloriam, dum Auguſto Cæſari, muneris locò, obtulit adoleſcentem, qui ſine humeris, manibúſque tubas inflavit, ſagittas ex arcu vibravit, ac omnia manuum officia, pedibus peritiſſimè obivit. Illud mirum, quòd Antiquitatis figmenta veritate ſuperet Natura: nam anno 1621, in urbe Aquitaniæ, quam vulgus Bajonam dicit, natum infantem legimus, cæteris membris bene compoſitum, multis tamen oculis per totum corpus apparentibus, quot nec Argus prætulit, nec Pavo explicat in ſyrmate ſuperbo. Septem annos poſteà Olyſſipone editum ferunt mirabilius adhuc monſtrum, nempe armati ſimilitudinem referens: variæ enim carnis, & cutis appendices, ac figuræ militarem in infante habitum repræſentârant, ut neque ocreæ, neque galea deſideraretur. Illud non omittendum, ejusmodi abortus non raró iræ Divinæ interpretes,
*An.* 338. & calamitatum eſſe prodromos feciales. Sic infans duplici ore, quatuor oculis, geminatâ dentium ſerie, Antiochenæ Eccleſiæ
*A.* 1496. ſchiſmata: aliud monſtrum ad Tyberim deprehenſum, humano corpore, capite aſinino, manibus, pedibúſque, animalia varia referentibus, Novatorum noſtri temporis hæreſes præfiguravit.
*A.* 1233. Sic denique in Epiro puer duplici corpore, uno humano, altero canino Albaniæ clades; ſic aliud portentum ad Danubij ripam,
*A.* 1577. prope Budam, facie hominem, auribus arcadem, inferiori parte taurum repræſentans, paulò poſt ſecutas calamitates toti Hungariæ præſignavit. De Androgynis nil attinet dicere, quia loquimur Juventuti. Illud ſcito, dari monſtra, ſexum, quæ claudunt utrumque. Ejusmodi à ſe viſum, aſſerit Hieronymus Montius,

tius, quod ubi in pluribus liberis ſe ſe Matrem probâſſet, in alijs, mutato ſexu, Patrem ſe demonſtravit.

LEUC: Prodit jam aliud monſtrum ex Augiæ ſtabulo portentoſum, de quo Sphinx Philoſophica:

*Diſſimilis Patri, & Matri, diverſa figura,*
*Confuſi generis, generi non apta propago,*
*Ex alijs naſcor, nec per me naſcitur ullus.*

Et quid ad iſta Oedipus? *MEL:* Ex Africa hæc monſtra profers, è qua, teſte Philoſopho, *ſemper aliquid novi.* Nam non in hominibus modò, ſed etiam Brutis, Naturæ errores, prodigijs ſuppares, à nobis ſuſpici, teſtis eſt frequens experientia. Primas hìc obtinent monſtra tertiæ ſpeciei, quæ in Mulis, & Leopardis quotidie oculis uſurpamus: ſic canes Indicos Alexandro oblatos legimus, qui de cane, & Tygride, aut de cane, & lupo prodiêre Lyciſcæ: Heſiodus deſcribit monſtrum, quod *antè Leo, retróque Draco, mediúmque Capella:* imò nec Helicone omninò ebrius, deſpumavit Naſo hoc paradoxon:

*Quæq; Chimera jugum, medijs in partibus hircum,*
*Pectus, & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.*

Nam referunt juxta Phaſin, fluvium Colchorum, naſci Tragelaphos, ſpecie cervos, barbâ tamen, villíſque armorum hircos, ut adeò verum ſit, non omnes hircocervos Philoſophis impoſſibiles. Sic in Necippi paſcuis Leonem ab Ove progenitum, Ælianus eſt Author. Illud quoque animal attonitam habuit Africam, in cujus dorſo duæ lineæ procurrebant colore flavo, deſinentes in aurem, & oculum, licèt modico intervallo quatuor inſuper aures, & oculi apparerent: pedes illi multiplices, qui ſic recurvum cingebant corpus, ut in quamcunque partem vellet, ſe commodè volveret. Non diſſimile huic alterum viſum eſt, quadriceps, capitibus ſic in ordinem locatis, ut quatuor Mundi plagas reſpicerent. Quid jam dicam de monſtris, quæ tam mira, & varia alit Oceanus, ut monſtrorum Proto-Parens meritò appelletur. Nullum propemodum animal nutriunt ſylvæ, nullum educat aër, quod non abortivum in piſcem formet monſtroſa Thetys. Stupeſceres in hac prodigioſâ Neptuni Regiâ amphibiorum innumeras ſpecies, quæ terrâ, maríque vitam vivunt humidam ſimul, & ſiccam. Nunc audires canum marinorum latratus, Porcorum grunnitus, Bocæ mugitus: nunc

*Rav. Textor.*

*in var. hiſt.*

*Scarlat. de monſtris.*

*Idem*

videres natitantes vulpes, & lepores, equos, & aſinos, leones, atque dracones: jam oculos ſubirent piſces humanâ facie præditi teſte Fulgoſo, imò Mulieribus ſimiles, Authore Cardano, ut jam Tritones, & Sirenes fabuloſis minimè faſtis liceat annumerare. *Plin.* Denique ſpectares attonitus Cete grandia, quæ pedes ſexcentos longa, trecentos lata, veluti natitantes in Oceano Inſulæ, miro ſpectaculo, navigantium oculos perſtringunt.

LEUC: Adverte animum; En! aliud monſtrum in Phyſicæ Theatrum producit Sphinx Philoſophica. Componitur illud ex duabus particulis, *Ita, & Non,* Vulpanſeri agnatis, & proprijs: ſi quæras, an ſit planta, vel animal, dicam, *Ita, & Non,* aut ſi mavis utrumq; ſimul, & neutrum. Si indages, an ſentiat, vel an ſenſu deſtituatur, affirmabo, ſimúlq; negabo, & genuinis coloribus, totam monſtri delineavero naturam. *MEL: Plantanimalia* notas, quæ Sophis in Hellade *Zoophyta* nominantur. a Talia dicunt *Spongiam*, quæ niſi ſubitò avellatur à ſaxo, ſe contrahit, cruorémq; emittit, quem ſi homo olfecerit, ſuffocatur. b Talia ſunt *Oſtrea,* & *Urticæ marinæ,* quæ ſi pungantur, ſensûs indicia produnt. Huc ſpectat arbor illa in Inſula Cymbubum, cujus reſectas frondes ambulare aſſerunt. Ex horum quoque ſtirpe eſt arbor illa, quam incolæ *pudicam* compellant, eò quòd, accedente quocunque, ramos illicò contrahat, recedente denuò expandat. Huic affinis eſt herba, quàm Braſili *vivam*, alij *noli me tangere* appellant, eò quòd & ipſa, attractis folijs, hominis contactum refugiat. Ab hoc pudore, Juventuti vel maximè invidendo, non abludit *Herba mimoſa,* quæ manu admotâ marceſcit illicò, remotâ priſtinum recuperat vigorem. Eandem indolem æmulatur *Planta*, quæ ad manûs appulſum flacceſcit illicò, & veluti ejus tactum averſans languida demittit comas, quæ vel ideò Magnano *ſenſitiva* eſt appellata. Sentiat hunc ſenſum Juventus, quæ ſæpe minùs ſenſitiva, multum haberet, quod à plantis ejuſmodi diſceret. Ad Zoophytorum claſſem pertinet fructus ille marinus, quem Troglodytæ ab elegantia ad parandas inaures, *Catablepharon* nominant. Hic timet ſuum decorem, capíque ſe ſentit; ac proinde, quamprimùm inſidias advertit, inſtar cornu induratur, ut etiam ferri aciem hebetet: quòd ſi inſidijs circumventus, inopino ictu fors opprimatur, illicò colorem mutat, ac ſe transformat in lapidem. Sed & index illa, quam Palæſtina *Baaram* appellat, non

a *Nier. in hiſt. nat.*
b *Scaliger. exerc. 112.*
c *Nic. de comit. in Prov. Podiferiana.*
*Plin. l. 13. cap. ult.*

non ita captu facilis perhibetur: nam celeri fugâ inſequentium conatum eludit, nec anteà ſiſti poteſt, quàm excrementitio quodam humore perfundatur. Denique in Zoophytorum Republicâ primas ſibi facilè vendicat planta illa, quam ob formam ovinam Montis Caſpij accolæ, *Agnum* appellant: hæc quinque palmos alta, caput, aures, & oculos, Agni ectypon refert ad unguem: pelle lanificâ ſubtiliſſimâ tegitur: ſanguinem alit, & carnis locò materiam, cancrorum ſubſtantiæ ſimilem: radicem ad umbilicum demittit, & tamdiu vivere deprehenditur, dum, depaſtis circa ſe herbis, inopiâ pabuli denique areſcat: tanta illi eſt ſuavitas, ut lupos invitet, magnúmque rapaci gulæ præbeat irritamentum. Et quam his monſtris tu ſedem dabis in Brutorum, plantarúmque comitijs? res iſta dudum delata ad Philoſophiæ Tribunal, à me tam leviter non decidetur. Sunt, qui argumento etymologico contenti, Zoophyta illa proclamant, hoc eſt, *animalia ſimul, & plantas*, adeóque volunt, ut cùm utriusque ſpeciei dotibus gaudeant, etiam utramque participent Naturam. Sunt, qui neutram illis adjudicant ſpeciem, ſed quandam mediam cudunt, qualem diluculum habere cernimus, diem inter, & noctem. Sunt, qui illa ad ſolas plantas ablegant, ac analogico animalis nomine, atque effigie jubent eſſe contenta. Fugam illam humani contactûs in antipathicam refundunt virtutem, qua halitus, ſpirituúmque effluvia averſantur: quale odium vitem inter, & braſſicam quotidiè experimur. Lanam *Agni Tartarici* ſimilem ajunt, fructûs Perſici albæ lanugini, cruorem ſucco ſanguineo, qui ſtillat ex malo punico diſſecto: pulpam analogam eſſe volunt pulpæ, quam nutriunt uvæ nigræ, è quibus pariter vinum ſtillat cruori ſimillimum. Figuram quod attinet, & aliæ plantæ avium, & hominis formam non rarò præſeferunt; herbas autem quod videatur depaſcere, ex eo provenit, quòd ſuccum copioſiùs attrahat, cujus defectu vicinæ plantæ marceſcunt, & emoriuntur. Sunt denique, qui ad animalium dignitatem Zoophyta elevent: nam Sententiæ primæ Patronis chymæræ cornua opponunt, eò quòd *vivens ſenſitivum ſimul, & inſenſitivum* in unam conſarcinent Naturam. Sed nec cæteris accedunt, eò quòd monſtra hæc non modò *vivant*, ſed etiam *ſentiant*: nam cùm punguntur, ſe contrahunt, & teſte Majolo, *Agnus Tartaricus* non modò, belluarum more, herbis ſe ſe propriè paſcit, ſed

*Surius in Coment.* 1504.

& radicem, pabulo per os excepto, ſuſtentat. Quòd autem ſenſu tactûs ſolummodo polleant; quòd è ſemine plantæ ducant originem paradoxa hæc animalia, probat cæteris minùs perfecta, non autem è ſpecie ſenſitivâ eliminat. Nunquid enim, ex arborum putri, prorepunt Hiberniæ anates? nunquid è multis fruticibus animalcula pullulant, quæ paulatim à ramis decidunt, ac in reptilia, vel volatilia mirabilis formæ degenerant, id quod non ſemel in Sicilia ſe vidiſſe, aſſerit Schottus, teſtis fide digniſſimus, quia oculatus. Hæc illi: tu ſenti, quod lubet: nam

*Thaum. p. 4. l. 4. c. 2*

*Hor.* *Millia quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum,*

*Perſius.* *Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.*

LEUC: Capio fundamentum, quo malè nixi Sophorum nonnulli, ſic ceſpitare denique cœperant, ut plantis paſſim omnibus, ſenſum *obtuſum* ſaltem, & *dormientem* concederent, ac intra Brutorum ſubſellia, utut inferiora paululùm, collocarent. Lubeat, precor, temporis fallendi gratiâ, percipere inanem Campanellæ ſtridorem, quo in Philoſophico Regno tumultum ciet hic ſtreperus Philoſophaſter. Plantæ omnes nullo diſcrimine, ſunt animalia, totis pulmonibus inclamat: nam *appetitu* pollent, & quod conſequitur, *cognitione*, & *ſenſu*. Quem enim latet implacabile odium, quo *Vitis Braſſicam* refugit, ut juxtà plantari nolit? quem fugit fatalis inimicitia, qua *Oliva*, & *Caules* inter ſeſe adeò diffident, ut juxtà ſeri nequaquam ſuſtineant? ſic, Dioſcoride teſte, *Quercus* exoſam adeò habet *Nucem juglandem*, ut juxta illam conſita extabeſcat. Sic *Arundinis*, & *Filicis* tanta diſcordia, ut una alteram enecet: nam perit filix, quam paulò copioſior circumſtat arundo, & pari Fato evaneſcit arundo, quam multa filix in orbem cingit. Imò fert Fama, radicem filicis contuſam arundinea ſpicula, corpori infixa, ejicere: & ſi filice vomeri impoſitâ, aretur campus, nullam arundinem progerminare. Contrà, quem fugit amor ille mutuus, quo *Vitis* proſequitur *Ulmum*, teſte Satyrico; *ſtratus humi palmes viduas deſiderat Ulmos!* quis ignorat amicitiæ fœdus, *Myrtum* inter, & *Olivam*, *Olivam*, & *Ficum*? ſic hedera adrepit ad arbores, eáſq; amico complexu ſtringit. Sic Allium depereunt roſæ, & in ejus conſortio acuunt odorem. Sic *Scilla*, Theophraſto Authore, amica eſt omnibus; nam quidquid illi adplantaverit Olitor, in ejus ſocietate citiùs creſcit, & germinat. Neque hìc juvat commemorare, quòd plantæ æquè, ac Bruta

*Juven. Sat. 8.*

noxia

noxia fugiant, utilia proſequantur. Sic *Hedera* parietem ruiturum non minùs providè, quàm tempeſtivè perhibetur deſerere. Sic cucumeres ad terræ humorem, quo affluentiùs irrigentur, perreptant: & oleum, quo perfuſi emoriuntur, uſque adeò horrent, ut eo ſuppoſito recurventur. Non opus eſt pluribus demonſtrare, quòd animalium more, lætentur *foliorum ortu*; triſtentur *foliorum defluxu*; quod *delectentur* pluviâ, & explicent frondes; ardente Cœlo *lugeant*, & *contabeſcant*. Sileo, quòd *progenerent* vermes, quos in Ocymo ocyùs obſtupeſces: quòd utrumque numerent ſexum, quem in Ulmo videbis, & Vite, quæ, Plinio teſte, *etiam Populis nubere* comprobantur. Hæ, inquam, ſileo, quæ pro ſua domo non inaniter in medium afferrent plantæ, ſi loqui poſſent. Ita contra communem ſenſum herbis ſenſum vendicare ſe putat hic inſenſatus caulium, olerúmque Syndicus, ac Patronus. Sed quid exiſtimas, an ſat gravia hæc rationum momenta, ut judicij lancem ſic ab æquilibrio Veritatis deflectant? *Anaxag.*

*MEL:* Profectò de ejusmodi Ephoris non inaniter Varro: *Ægrotum neminem ſomniare quidquam, quod non à quopiam Philoſopho aſſeratur*. Audi, quàm aculeatis cenſuris hanc configat Sententiam, in Hipponenſi Peripato, Auguſtinus: dum eam vocat *errorem ſacrilegum, impietatem ruſticanam, magìsque ligneam, quàm ſint ipſæ arbores, quibus patrocinatur*. Et Hercle argumenta hæc ſic ſunt futilia, ut penè pudeat in his Apinis, tricíſque tricari pluribus. Duobus verbulis cape ſolutionem Laconicam. Appetunt plantæ, appetitu nempe innato: amant, & averſantur proprietate analogâ, quam veriore vocabulo, per antipathicam, ſympathicámque virtutem exprimit Philoſophia. Plura, qui velit, etiam inanimata animabit novus Prometheus, cùm & lapides tendant, ſimili amore, ad centrum, & ignis aſperſione fontis leviter perſtrictus, mox iraſcatur, factámque injuriam inſolenti ſtrepitu proteſtetur. Sic etiam plantæ refugiunt noxia, multò ſanè cautiùs, quàm Campanella: cur ergò non animâ viliore contentus, plantis aſſignat rationalem, ut cum Manichæis, ex decerpto fructu, vel arboris folio, homicidij reos nos criminetur? nempe propinquitate ſuâ, vel invicem auferunt, vel communicant ſuccos, utiles, noxiósve: hinc illæ ſocietate hac creſcunt, aliæ exareſcunt. Quòd autem affectus quoque plantis attribuat,

mirum eſt, quòd ad has nugas ipſa prata non *rideant*, Zephyríque *exſibilent* inanem Sophum: quaſi verò fucatas ejusmodi verborum metaphoras non averſaretur Peripatus, qui linguâ Philoſophicâ ſcapham ſcapham appellat. Illud ridiculum, quòd ob vermium geneſin plantas velit eſſe ſenſatas: bellum argumentum, carioſo Philoſopho dignum, quo facilè probaret, ſenſu pollere ſibi ſimilem arboris carioſæ truncum. Quòd ſi denique quis tam pingui foret Minervâ, ut ſexum plantis adſtrueret, is profectò non alio, quàm Avicennæ argumento dedocendus eſſet ſuum errorem, *forétque illi* (ùt loquitur noſtri temporis Author celebris) *non modò oſtendendus, ſed etiam impingendus Ariſtotelis baculus, eóque procul à Philoſophiæ pomœrijs arcendus.*

LEUC: Debellâſti Hydræ hujus monſtroſum caput: ſed mox alia, Lernæo Fato, repullulant. En! novum monſtrum prorepit, ex pluribus monſtris compoſitum. Vivit, nec tamen vivit: nam figurâ ſæpe animal refert, licèt viſcera ſint illi duro exciſa Caucaſo, & veluti visâ Gorgone lapideum rigeſcat corpus.

*MEL:* Aufer ænigmaticum corticem, & videbis, lapides denotari, quorum figurâ variâ non nulli malè perſuaſi, vitam illis tribuere non dubitârunt. Sic enim ajunt: in lacu Mansfeldio reperire eſt ſaxa, quæ piſcium, ranarum, aliorúmq; reptilium formas præſeferunt, non artis, ſed naturæ opus. Imò terra, ùt obſervat Pontanus, ſicut foris admirabili florum varietate, ſemetipſam pulcherrimè exornat: ſic in viſceribus, gemmarum lapidúmq; coloribus, & multiplici in ijs effigie, videtur quodammodo oblectari, & placere ſibi: cernuntur enim in lapidibus ſimilitudines expreſſæ ſtellarum, liliorum, montium, convallium, arbuſculorum, fluminum, piſcium, & Jumentorum. Sic Mercatus Solem in Achate tam graphicè expreſſum circumtulit, ut artem omnem viſus ſit ſuperâſſe. Alium habuiſſe legimus Anſelmum Boëtium, qui in circulum formatus, *effigiem Epiſcopi cum mitra* retulerit. Venetijs Achatem ſe vidiſſe aſſerit Albertus Magnus, cui Natura humanum caput, regio ornatum diademate inſculpſit. Achati huic non abſimilis eſt Porphyrites, Romæ viſendus, cui citra Artificis operam Romani Pontificis vultus, conſuetúmq; capitis Ornamentum inſculptum cernitur. Alium Porphyritem in templo Bergamenſi reperiri memorat Fulgoſus, qui ſerpentem in orbes convolutum itidem naturâ exhibeat.

*Vol. 3. p. 1. Prosym. 15.*

*Majolus.*

beat. Eodem teſte in agro Placentino effoditur lapis Alabaſtrites, mortui hominis calvariam referens. Scripto reliquit Cardanus, in Onyche quodam Colonienſi duorum Juvenum capita, & ſerpentem, Naturæ penicillo, expreſſa ſpectari: eodem Authore marmoris fruſtum barbati ſenis, ſeu Pauli primi Eremitæ, referebat nativum Ectypon. In agro Badenſi luſorias teſſeras erui, notum eſt etiam lippis. In Regno Chilenſi Jaſpidem effoſſum referunt Annales, cui Imago Deiparæ, brachio infantem Chriſtum geſtantis, à natura belliſſimè inſculpta viſitur: ſic in quadam Peruviæ valle (*Petaguelem* dictâ) ſtagnum eſt reperire, venuſtis lapidibus viſendum, quorum ſinguli crucis effigiem in ſuperficie præſeferunt. Illud mirum, quòd Achates, opificium ſolius Naturæ, in Regis Pyrrhi annulo Apollinem cum cythara, Muſas cum inſignibus proprijs ſcitè effinxerit: ſi cantum addidiſſes & ſonum, fuiſſet verè ibi Parnaſſus, nec in rupe, ſed gemmâ. Hæc Naturæ ſtupenda opera ſi Caſui tribuas, ſapies Atomiſmum, & inſigniter vel hoc ipſo deſipies: ſi animam adſtruas, figuræ conſimilem, philoſophaberis ad ſenſum, dabíſq; cauſam Phyſico Naturæ ſcalpro digniſſimam. Ita illi, an potiùs ſomnient, an delirent, incertum. Quaſi verò ex ſubtili hac methodo argutandi non pari jure deduceres, & caules & ſilices hominibus ſuppares, eò quòd figuram humanam ſpuriâ non rarò affectatione præſeferant. Ita Embricæ eradicata eſt *Fraxinus*, in cujus trunco diſſecto integra militum agmina apparuêre: nunquid tympanotribas, & ſigniferos his Authoribus progenuit arbor? ſed abeſte præpoſteri Cadmea è ſtirpe Nepotes: è ſilicibus prodiîſtis, qui ſilices ſic transformatis in homines. Abeſte inſani Ægyptiaca de Tribu Aſſeclæ, quibus volupe parem furorem furere, de quo Satyricus: *porrum, & Cepe nefas violare, ac frangere morſu:* eò quòd Numen ipſis ineſſe crederent: quam Gentis inſaniam idem ipſe ſugillat non ſine ſplene ſarcaſtico, dum ait: *O Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina!*

*Cornel. Hazar. l.* — *Idem.* — *A. 1592. in Coll. Hieron.* — *Juv. l. 5. Sat. 15. v. 10.*

LEUC: Sentire caudices paradoxum; animari ſaxa, vitam vivere lapides, monſtrum eſt: ſed necdum tale, ut non monſtroſius quidpiam, è Phyſicæ latebris producant Sophi. Adeò faciles ſunt abortus, cùm concipiunt emotæ mentis phantaſmata; cùm fœtum nutriunt cerebelli non excocti deliria: cùm Patrem ſe offert error, Matrem, quodlibet ſentiendi libido. En

monſtrum! ad quod aures erigant Midæ, & quo oculos paſcat Euclionum avara cohors. Plantas cernis; ſed minimè plantas, quia metallicas: metalla cernis, ſed minimè metalla, quia plantarum inſtar viventia: verbô plantas cernis, ſed aureas & argenteas, Chymæram utique pretioſam, quia deauratam. In Peripato me verſari, credebam hactenus, ſed video Pindum, quia video arborem, quam Phœbei Flamines cum pomis aureis celebrant, in nemore Elyſio ſitam, ac Deæ Proſerpinæ dicatam, hoc inter alia maximè prodigio inſignem, quòd ramo uno ejusmodi avulſo *non deficit alter Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.* *Virg. l. 6. Æneid.* Video Pindum, quia video Heſperidum hortos pomis auriferis conſitos, *quæq; vigili ſunt cuſtodita Dracone* mala aurea. Quid tu ad iſta? *MEL:* Te aſſero decipi vehementer, ſi non niſi in fabuloſis Parnaſſi jugis, aureas plantas progerminare tibi perſuadeas. Et in Peripato detexêre Campos Elyſios antiqui Democriti, Recentiores Cardani, ac Campanellæ, fabuloſa neutiquam Nomina, ſed quæ æternam ſui memoriam, litteris aureis expreſſam, conſignârunt Poſteritati. Percipe, quàm ſplendidis fulcris Theſin hanc auream ſolident novi in Philoſophia Chryſologi. Metalla, inquiunt, Geneſin habent plantis analogam: perinde creſcunt, ac nutriuntur: quin & venis abundant, poríſque, veluti totidem deſtinatis nutritioni organis, ac inſtrumentis. Sed ab illo petendum Oraculum, cui refragari ſine piaculo nemo Philoſophus poteſt. Teſtis eſt Stagirita in Cypro prope Tirrhiam reperiri metallum, quod Incolæ in fruſta diſſectum ſementis inſtar per agros diſſeminent: id terrâ imbribus irrigatâ paulatim augeri, progerminare, ac ubi culmen excrevit æneum, ab indigenis meti, colligíque ſegetem ipſi Marti invidendam, quia ferream. Sed audiamus ipſa hujus Oraculi verba, quæ ſolo pondere hanc Sententiam fulciant: *circa Philippos Macedoniæ,* inquit, *metalla aſſerunt, quorum etiam fruſta augentur, aurúmque producunt, quod eſt omnibus perſpicuum.* *L. admir. audit. c. 41.* Idem paulò inferiùs; *dicunt in Pieria Macedoniæ incertam quamdam auri copiam ab antiquis Regibus fuiſſe defoſſam, atque quatuor exiſtentibus foveis, ex una ad palmi magnitudinem excreviſſe.* Authoritati tantæ ſi quid addi poteſt, addunt Authores, non tot, quin plures, quibus fidem negare quid aliud eſſet, quàm fundamenta hiſtoriæ cuncta, perfrictâ fronte, ſubruere? *In Sum. Ind.* Teſtis eſt omni exceptione major Petrus Martyr, Cothoi Hiſpaniolæ

niolæ Inſulæ Provinciâ aurum, fruticum more, è terra creſcere, & vitis inſtar ſerpere propter arborum radices. Hoc ipſum ſpectaculum nobis exhibet Natura apud Firmium Urbem, ubi juxta vites capreoli verè aurei ſurgunt, & ex ijs moneta cuditur, Crœſis omnibus invidenda, id quod ex oculatis teſtibus ſe didiciſſe tradit Fulgoſus. Confirmat id ipſum Scaliger: in Hungaria *exire aurum è Terræ ſolo, quaſi germinans, filamenti ſpecie.* Pannoniæ nihil cedit Germania, ſiquidem Alexander ab Alexandro eſt Author, in Germania citeriore vites juxta Danubium, totâ hyeme inſepultas, ſæpe in æſtate pampinos aureos progerminare. Id ipſum Authoritate ſuâ roborat Albertus Magnus, qui aurum inter dentes humani capitis inventum, effoſſúmque hominis cranium aureâ ſcrobe plenum, teſtis eſt locupletiſſimus. Alberto Magno accedit Albertus minor, qui in veſtigio Bohemiæ piæ, ſic teſtatum reliquit. *Illud in metallis eſt admirandum, quòd aurum, & argentum in Bohemia ſæpius è terra in altum virgarum, & culmorum inſtar excreverit.* Sic fodinam Kuttenbergenſem à Monacho detectam, & ab ejus habitu ita nominatam aſſerit. Sic Rudolphi II. Cæſaris ætate, in Pragenſi vicinia Meſſorum aliquem, inter ſpicas alias culmum aureum demeſſuiſſe, idem ipſe fide hiſtoricâ refert, ac conteſtatur, Quis igitur ibit inficias, aurum nutriri, & creſcere? quis operationibus adeò conteſtatis vegetativam animam deneget? certè cui virgas aureas non perſuadet tanta Authoritas, næ ille cenſoriam meretur virgulam, aut illam Midæ, quæ longas denotat appendices. Ita Dictatores iſti, qui veluti de triumpho jam ſecuri, quadrigas aureas in Capitolium dirigunt.

*l.* 1. *c.* 6.

*Exer.* 102.

*P. Chanowski.*

LEUC: Sed quid ad iſta Peripatus? an argenteas ſegetes, aureáſque ariſtas è Philoſophico fundo, ſuâ ſponte, excreſcere aſſeverabit? *MEL: Nimis credulam,* ùt ait Seneca, *Philoſophorum Nationem* exiſtimat, qui ævi ſui, & ſæculi ſecurus nimiùm, talia eruditis, tanquam horti ſui peponibus, loqui non veretur. Animari metalla, & vivere, nemo ſibi perſuaſerit, niſi qui, Fato Pythagoræ Stoico, omnia ſomnia credit eſſe Oracula. Non è Terræ fundo, ſed è Philoſophorum quorundam cerebro ſuccreſcunt hæ aureæ Mundo ſegetes, quas ſine invidia, illi ipſi Authores metant, ac in horrea colligant. Argumenta, quæ oggerunt, plus habent ſplendoris, minus ſoliditatis; adeò non omne,

ne, quod ſplendet, aurum eſt, præcipuè, ſi ſoliditate Veritatis deſtituatur. Auri Geneſis neutiquam viventi analoga, ſed illi potiùs, qua ignis generat ignem: nutritur, & creſcit, minimè tamen ab interiori principio, vel alimento intus ſuſcepto, ſed ſolâ additione materiæ: venas alunt metalla, ſed non niſi ſpurias, & metaphoricas: poros ſi habent (quos auro denegat Scaliger) foramina veriùs diceres, quæ ex defectu agentis cauſæ relinquuntur per accidens. Coacervata Authoritas, ſi vera refert (id quod fors novâ indigeret Authoritate) probat creſcere, imò augeri potiùs metalla, ſed incrementis merè extrinſecis per appoſitos vapores, & exhalationes idoneas. Sed nec figura culmorum animam probat, niſi animare velis tot lapides, formis varijs longè magìs præſtantes: ſuam igitur figura trahit originem, quòd halitus, è quibus metalla concreſcunt, meatibus, per quos tranſeunt, ſeſe accommodent. Ea, quæ afferunt ex Stagirita, parum firmant theſin invalidam: nam liber ille non agnoſcitur Stagiritæ Canonicus, ſed poſthumus, qui Theophraſto Patre lucem aſpexit: & etſi genuinus foret Philoſophi partus, nihil ille decideret, ſed relata referret: nam utitur phraſi hiſtoricâ: *aſſerunt, dicunt.* Pari umbone retundes reliqua ſpicula; nam probant extra mineram aucta Metalla, non animata. Illud obſervat Scaliger, in cranio, vel capite hominis *aurum, vel natum, vel generatum credere, puerilis eſſe dementiæ. Equidem,* ait, *ſic defoſſum puto, ut impoſtura hæc Miraculo foret naturalium rerum ignaris: fortè ambitioſus nebulo id caverat teſtamento.* Illud hìc ad calcem obſervo: Aureas ſegetes eandem mereri fidem, quam aureæ Poëtarum grandines ſibi depoſcunt. Certè Luernium Celtarum Regem, ut auræ popularis meſſem colligeret, rhedâ per Subditorum agros invectum, ac aliquot auri, argentíque modios proſeminâſſe legimus: auream tamen ſegetem ſuccreviſſe non legimus, neque credimus: quòd ſi id credat Democritus aliquis, vel Campanella, haud erit ampliùs difficultas, ut ſibi perſuadeant Cadmeam meſſem, quæ ex oſſea vipereorum dentium ſemente armatas hominum ſtitit Phalanges, canente Ovidio: *Glebæ cœpere moveri:*

*Athen. l. 4. c. 13.*

*Primáque de ſulcis acies apparuit haſtæ:*
*Tegmina mox capitum, picto nutantia cono:*
*Mox humeri, pectúsque, oneratáque brachia telis,*
*Exiſtunt; creſcitque ſeges clypeata virorum.*

LEUC:

LEUC: Si ejusmodi Sophis abundaret Peripatus, non haberet Sphinx Philoſophica, cur monſtra ex Africæ ſpelæis huc advocaret. Superarent omnia monſtra hi Sophi, quia *Philoſophi irrationales*, & in *Peripato Poëtæ.* Sed cum Naſone ad Pontum hos relegamus Moroſophos, ut ſuas ibidem excoquant Metamorphoſes: nobis in hoc Orbis Theatro veriora monſtra exhibebit Natura. *MEL:* Abundè. Aërem ſuſpice, & videbis volucre portentum, quod, anno â reparatâ Salute milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, in Hiſpania glande trajectum perhibent, in fronte oculo humano, capite, ac mugitu bovino, caudâ in duos veluti enſes diſſectâ, ac pectore loricato ſpectabile. In aquam oculos demerge, & in flumine Viſtula ſtupebis piſcem, captum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, qui caput inſtar hominis carneum oſtentabat, caudam è dorſo projiciebat inſtar Draconis, uno pede Aquilam, altero Leonem imitabatur. Terram curioſo oculo luſtra, & ſexcenta mox occurrent Naturæ prodigia. Quid mirabilius, quàm *Vitulo-cervus?* & tamen ejusmodi animal, vitulino corpore, ac pedibus cervinis Romæ ſpectandum dedit Annus ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimus quartus. Quid ſtupendum magìs, quàm *Pyrus puerpera?* & tamen Pyrus hujusmodi, fructum notabilis magnitudinis, humanâ facie inſignitum, enixa, Stutgardiæ Anno 1644. Sereniſſimos etiam oculos in ſe convertit. Sed & Plinius ſcribit, vidiſſe ſe arborem juxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onuſtam; alio ramo nucibus, alio baccis, alio vite, fico, pyro, pomorúmque diverſis generibus gravidam. Imò eſt nobis Author à Porta, viſam à ſe arborem, quæ non diverſi tantùm generis fructus protulerit, ſed & diſcolores, majores alios, alios odore magìs præſtantes; diverſis quoque qualitatibus præditos, hominum, & animalium faciem præferentes: cortice verò ipſius arboris flores, roſásq; progerminante. Quid magìs inſolitum, quàm *levitas gravis, & levis gravitas?* & tamen illam experimur in ligno quodam ficûs Ægyptiæ, quod in aquis illicò mergitur; & quod eſt mirabilius, cùm in imo aliquamdiu latuit, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergit, quando madefactum debuit humoris pondere prægravari. Hanc nobis monſtrat Aſphaltites lacus, pomis Sodomiticis celebris; hic tantæ eſt levitatis, ut etiam graviſſima, in eum projecta fluitent; nec quis-

*Mercur. Germ. Valentini Piſtoris.*

*P. Barri in Hagi.*

*Joſ. l. 5. de Bell. Jud. c. 5.*

quam demergi, ne de induſtria quidem, facilè poteſt, cujus rei experimentum in Juvenibus, natandi inſcijs, quin & vinctis poſt terga manibus cepit, & obſtupuit Veſpaſianus. Nihil item mergit Pythias: contrà omnia, etiam paleas, atque navigia abſorbet, ac haurit Sylias. Quid monſtroſius, quàm *Rupes ambulans?* & tamen juxta Harpaſa, oppidum Aſiæ, ſtat cautes horrenda, uno, ſi Plinio credimus, digito mobilis, quæ tamen, ſi toto corpore impellatur, reſiſtit. Sileo alia monſtra, inter quæ petra illa in Nymphæo, è qua proſilit flamma, quæ accenditur pluvijs: non
*Plin.* commemoro geminos montes, quorum uni hæc indoles, ut ferrum omne trahat, alteri, ut reſpuat: itaque ſi ſint clavi in calceamento, in altero avelli non poſſint, in altero non ſiſti: hæc, inquam, non commemoro, ne in monſtroſam longitudinem creſcat diſcurſus.

LEUC: Mentem meam ſi conſulas, non abſterret, ſed in monſtris delectat longitudo monſtroſa. Quid enim jucundius, quàm videre Anguem Americanum, incolis *Carcauhcoatl*, ſeu ſtupidum, qui ſolo halitu attrahit cervos, éſtque molis adeò ſtupendæ, ut aliquando Indi, iter facientes, illi inſederint, rati arboris eſſe truncatæ molem, nec agnoverint inſtabilem hanc & terrificam ſedem, uſque dum, angue ſenſim præterlabente, territi ſurrexêre? quid admiratione dignius, quàm contemplari *ficum Indicam*, quomodo ex unico ſtipite ſic ramos ſuos diffundat, ut ſuo pondere curvati, annuo ſpatio, terræ denuò infigantur, novásque agant radices? quomodo ſuccreſcentes ex ſurculis ſurculi, opere quodam Topiario, ſic in orbem cingant ſuam Parentem, tot filijs, nepotibúsque frondoſis fœcundam, ut ad bina ſtadia porrectum ſylvæ theatrum aperiant, cujus umbra aliquot hominum millia æſtate ſe contegant, & delectentur? imò memini, me legiſſe, juxta montem Ætnam tam exoticæ magnitudinis caſtaneas reperiri, ut intra corticem, integer pecorum grex, tanquam in caula, commodè concluderetur. Alterius meminit Joſephus à Coſta, quæ textori præbebat textrinam: in cujus quoque concavum octo equitibus patebat aditus, & regreſſus absque impedimento: hem, quanta moles ex ſemine tantillo! Sic arbor quædam à Sinis *Ciennien*, ſeu *mille annorum* appellata, tantæ eſt vaſtitatis, ut ſub unico ejus ramo ducentæ oves ſe contegant. Miratur Plinius illius arboris magnitudinem, quæ excava-

*P. Nier. Hiſt. nat. l.12.c.17* *Car. Cluſius l. 1. Exot.c.1.* *Plin. l.12 c. 5.* *Kircher. Chin. Illuſtr. l. 4.* *Hiſt. Ind. c. 30.* *l. 16. c. 40.*

cavata cymbam præbere ſolet triginta prædonibus in Germania. Obſtupeſcit *Platanum* illam in Lycia, quæ domicilium octoginta pedum, nemoroſo vertice refert, in quo novemdecim hoſpites, toros præbente fronde, non ſemel jucundo epulo ſe recreârunt. Nec illæ *ſpicæ,* in Æthiopiæ Inſula, Nilo circumflua, à Nanis facilè vellicandæ, quæ integrum equitem, camelo inſidentem tegunt, fructu adeò ubere, ut ſemina terræ mandata, non modò centuplum, ſed trecentuplum afferant. Ex quibus omnibus haud obſcurè mihi licet colligere, Naturam in magnis, quàm in parvis magìs mirabilem, & Artificium majus in animalibus, quàm animalculis elucere. Quid tu ad iſta? an tuo quoque ſuffragio meam mentem confirmas? *MEL:* Duobus verbulis problema decidis, ab Hugone de S. Victore quondam propoſitum, quod acutiſſima Sophorum ingenia non ſemel jam fatigavit. Mihi ſanè non liquet, inquit Pierius, inter eruditos Philoſophos minimè poſtremus, mirarínc debeam magìs dentes apri, an tineæ? alas Gryphis, an Cyniphis? caput Equi, an Locuſtæ? crura Elephantis, an Culicis? Aquilam, an Formicam? certè in tuam ſententiam non concedit Stagirita, non Auguſtinus, duo Luminaria magna in Orbe Peripatetico, quorum primus diſertè edixit, *plurimum habere admirationis, quæ molis minimum:* alter verò aſſeruit, ſe plus ſtupeſcere Muſcæ volantis velocitatem, quàm beſtiæ gradientis magnitudinem; magìs Formicarum opera, quàm Camelorum. Neque partibus tuis accedit, Naturæ Scrutator Plinius, cujus jam olim erat judicium, nuſquam magìs eminere Naturæ Dædalæ Artificium, quàm in animalculis obvijs, & puſillis. In magnis ſiquidem corporibus, inquit ille, facilis officina ſe offert, tractabiliore materia: at in parvis quæ ratio, quanta vis, quæ perfectio prorſus inextricabilis? nam ut de viliſſimis dicam, ubi tot ſenſus in culice locavit Natura? ubi guſtum, vel odoratum inſeruit? ubi truculentam vocem ingeneravit? qua ſubtilitate pennas annexuit? roſtrum, quo ingenio acuit, ut veluti fiſtula ſorbillet, veluti ſpiculum fodicet? mirentur alij Elephantorum humeros, Taurorum colla, Tigridum rapinas, Leonum jubas: ego Naturam miror, nuſquam majorem, quàm in minimis, quia in compendio totam: ita Plinius. Quòd ſi microſcopio explorare ſingula oculatiùs potuiſſet, quàm in extaſin non abiîſſet hic Sophus? ſi cum Cornæo, in pulice vidiſſet

*Idem l.12.c.1.*

*Comment. in Dan. l. 3. in c. 3.*

*l. 9. Hiſt. animal. c. 7. l. 22. de Civit. c. 24. l. 11. Hiſt. Nat. c. 2.*

Rhinocerotis cornua, ſeptem articulis diſtincta; ſi proboſcidem, elephantiacâ vix minorem; ſi oculos cryſtallino humore pellucidos, ſi binas aures, ſi motum ſiſtoles, ſanguinísque in venis curſum; ſi in capite, totóque corpore ſquammas, ſub ſquammis alas membraneas: ſi denique in dorſo ſetas, pedésq; ingentibus uncis armatos, ad inſtar Gryphis Tartarei: næ ille cum colonis Unckenſibus exclamâſſet, *Monſtrum horrendum, informe!* & veluti ad Harpyam Stygiam cohorruiſſet. Quòd ſi internas quoque partes, anatomiâ ſubtiliore, licuiſſet inſpicere, ſi officinas vitæ mirabiles, cor, hepar, cerebrum, venulas, nervulos ſubtiliſſimè diffuſos citra confuſionem; ſi tenellas artuum juncturas; ſi totam capitis, corporíſque faberrimam fabricam, ſymmetriam, ac proportiones innumeras, quarum aliquot millia, Sophorum judiciô, in uno culice Angelici Intellectûs acies intue-
*L.9. hiſt.* tur, ſi, inquam, hæc omnia licuiſſet inſpicere, næ ille unicum
*c.7.* pulicem centum Elephantibus, Naturæ Artificio, centies prætu-
*L.1. con-* liſſet. Quid jam dicam de mirabili indole, cui hoc elogium Sta-
*tra Mar-* girita: *magìs in minori genere, quàm in majori intelligentiæ rationes*
*cion.c.14* *conſpici.* Agnovit id ipſum Tertullianus, dum dixit: *Maximum*
*Prov. 30* *Artificem de induſtria minutiora animalia ingenijs, ac virtutibus am-*
*v.24.&c* *pliâſſe.* Nec Sapientiſſimus inter Sapientes diſſentit: *Tria ſunt mi-*
a *nima Terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: Formica, populus infir-*
*Sim. Ma-* *mus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: Lepuſculus, plebs invalida, qui*
*jolus Epiſ.* *collocat in petra cubile ſuum: Regem locuſta non habet, & egreditur*
*Vultur.* *per turmas ſuas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.*
*Dier. Ca-* Quid dicam de *Gratia*, quæ Nazianzeno teſte *parvis eſt comes?*
*nic.coll.* 7 quid de prudentia, quam in Apibus Ariſtomachus ille Solinenſis duo de ſexaginta annis ſedulò contemplatus, multa ſe egiſſe,
b párque operæ pretium retuliſſe exiſtimavit? certè fuit, a qui
*Aldrov.* Formicarum ſubterranea Caſtra formoſæ Neapoli præferret: b
*de inſ.l.4.* fuit, qui Scarabæi dotes exactiùs rimatus, illi poſtponeret Aqui-
*c. 3.* lam: c & ipſe Lipſius, à muſca volante neutiquam inaniter ra-
c ptus in extaſin, exclamaret: *mihi certò perſuadeo, ſi quis perfectam,*
*l. 1. de* *unius muſcæ notitiam poſſet adipiſci, pluris eum hanc notitiam æſtimatu-*
*Provid.* *rum, quàm omnes Regum opes, honores, atque delicias.* Quòd ſi vi-
*Num.* 41 res in animalibus magnis opponas, viribus oppono parvorum
*inc.* 1. ingenium: rectè non nemo: *ingenio pollet, cui vim Natura negavit.*
*prov.* 4. Teſtis ſanè Vulpecula, quæ Authore Cornelio, aſtutior Leone;

canis,

Canis, qui ſagacior Arcade; Simia, quæ ſolertior quovis Tauro. Imò & valentiſſimæ belluæ non raro herbam minimis porrigunt: ſic Crocodilus fugatur ab Ichneumone; Aſinus ab Acanthide; ab Aranea Bufo. Quanta machina eſt Elephas? at qui ad armatas phalanges ſtat imperterritus, ad muris conſpectum trepidat, & vel ad unius porcelli grunnitum in fugam vertitur. Robore & animi, & corporis cæteris beſtijs præfertur Leo, qui tamen pavet ad Galli cantum; & vel minimo culice in Meſopotamia vincitur: quid? quod & Aquilæ, Avium Reginæ, tantus non ſit à fulmine triſulco terror, ut non etiam Scarabæus eidem congredi præſumat: nempe ut verè non minùs, quàm hilariter canit Author Hilariorum: *Angelin. Gazæ. Tit. 3.*

*Ea parvulorum eſt indoles, ut corpore*
*Sit animus ollis grandior pedes decem.*

Ut nihil dicam, Civitates, ac Gentes integras à minutis animalibus deletas, Sic à Cuniculis ſuffoſſum legimus in Hiſpania Oppidum; à Talpis in Theſſalia, à Ranis civitatem in Gallia pulſam; à Locuſtis in Africa; ex Gyaro Cycladum Inſula fugatos à muribus incolas, in Italia deletas à ſerpentibus Amyclas. Ut nihil commemorem, *Teſtudini* munitum adeò eſſe tergus, ut illi proterendo nullius equi, vel elephantis ſufficiat planta: *Remoram* integras ſiſtere in curſu naves: *Muſculum* piſcem, grandium Cetorum eſſe ducem, & Gubernatorem: è quibus omnibus facilè colliges, etiam minimis magnas vires, majores viribus iras, Artificium Naturæ maximum, ùt neutiquam poëticè Vates ille, qui cecinit: *eſſe in tenuibus, & puſillis reculis laudem Optimique, Maximique maximam.* *Idem l. c.*

LEUC: Capio, cur idem corporis fabricam, animíque dotes altiùs rimatus in minimis, tandem exclamârit: *O ùt relucet Magnus in parvis DEUS!* hinc in tui reverentiam, id dabo lubens, Naturam in minimis maximam eſſe artificem. Sed eſt aliud problema, quod dudum fatigavit curioſa Sophorum Ingenia: an nempe Bruta magnitudinis terminum habeant, & parvitatis? nullum habere contendit Paulus Venetus: & ecce! quo rationum ſplendore is ſuam Theſin illuſtret. Crocodilus, inquit, tamdiu creſcit, quàm vivit: Formicas Indicas magnitudine vulpes excedere, Herodotus Author eſt: quatuor cubitos emetiri locuſtas in quibuſdam Indiæ partibus, teſtatur Plinius, quarum *l. 1. phyſ. c. 4, in Thal. l. 3. l. 9. c. 3.*

*l.8. c.12.* crura exſiccata ſerrarum uſum incolis præbeant. Eodem teſte,
Dracones Indici cervos deglutiunt, tauróſque integros: ſeptua-
ginta pedes exceſſit ille, quem Alexander Macedo offendit in In-
dia, cujus oculi Macedonicos clypeos adæquârant. Imò ſub
belli Punici tempora, ſerpentem 120. pedes longum, ad flumen
*Plin. l.c.* Bagradam, Romanæ Militiæ Archiſtrategus baliſtis, tormentíſ-
*c.13.&c.* que, Oppidi inſtar, oppugnavit, & expugnavit. Balænas Ma-
ris Indici quatuor Jugerûm eſſe; Priſtes ducenûm cubitorum;
*l.9.c.3.* Anguillas Gangeticas trecenûm pedum; Cete ſexcentos pedes
30. longa, trecentos ſexaginta lata, in flumen Arabiæ intrâſſe, Po-
*l.23.c.1.* ſteritati teſtatum reliquit Plinius. De Balænis Aquilonaribus
a ſic Olaus Magnus: a harum ſceleton amplæ domûs ſpeciem præ-
*l.21.c.16* bet: supernè confectis feneſtris, diſpoſitis hinc inde cubiculis,
portis etiam fabrefactis, clausíſque per ipſius piſcis maxillas, tan-
tæ Familiæ inhabitantis commodo, ut etiam pecoribus, equíſq;
ſeparata non deſint ſtabula. At inhabitantibus accidit quiddam
mirabile: quicunque enim ſub hoc Naturæ potiùs, quàm artis
tecto obdormîerit, perpetuis inſomnijs vexatur, ſéque maritimis
jactari procellis, & huc, atque illuc per pelagus evagari exiſti-
b mat. Adeò per auxeſin minimè locutum, reor, Albertum M. b
*L. 24.* dum vidiſſe ſe piſcem, aſſerit, cujus ſola oculi fovea viginti ho-
c minum fuerit capax: c neque Auguſtinum, dum Carthagine Ce-
*Ep. 49.* ti oſſa, Miraculi causâ, proſtitiſſe affirmat, inter quæ ſola coſta,
*Leon.p.2* in orbem flexa, haud ægrè equeſtrem hominem pertranſeun-
d tem admiſiſſet. d Imò Dionyſius Geographus affirmat, viſas in
*ApudPe-* Oceano Balænas ſublimium montium ſpeciem referentes, quæ-
*rer.e l.4.* que integras naves cum vectoribus abſorbuerint. Et ne fortè
*in Dan.* iſta commentis annumeres, fidem facit D. Baſilius, e & Theodo-
*hom.7. in* retus, eſſe Balænarum nonnullas, ſquammis obtectâ cute craſſi-
*hex. apud* tie cubitali, conchis, oſtreis, herbíſque marinis deſuper enatis,
*Perer.l.c* adeò ut, cùm dorſum Oceano efferunt, ingentis Inſulæ ſpeciem
*In Vita* nautis exhibeant. In ejuſmodi vivum littus S. Maclovium Bri-
*apud Sur.* tanniæ Epiſcopum exſcendiſſe, ſacrúmque Feſto Paſchatis dixiſſe
*Tom.6.* legimus, dum tandem comoveri animata moles, ventilare cau-
dam, erigere caput, & hiantes rictus oſtentare, navim integram
abſorpturos, quàm facilè frixam poteſt puer fabam, ùt ſcitè lu-
dit Gazæus; niſi Maclovij preces tantum periculum avertiſſent.
*l.10.c.1.* Quid jam memorem de Brutis? memorat Aldrovandus, in Æ-
thio-

thiopia Aquilas reperiri tam fortes, ut bovem, vel etiam equum integrum pedibus in ſublime abripiant. Idem aſſerit in Onocrotalo puerulum Æthiopem quondam inventum: Aquilæ avem ſimilem alit Inſula, ultra Madagaſcar ſita, magnitudinis tam monſtroſæ, ut alarum pennæ ad 12. paſſus excurrant; roborísq; adeò portentoſi, ut Elephantem capiat, raptúmque in ſublime, cum impetu in terram dejiciat, quò occiſi carnibus veſci poſſit *MEL:* Satìs eſt; nam ſimili monſtrorum congerie, diſcurſum probas ſine magnitudinis termino, non verò Bruta. Nam quòd animalium quæpiam, à termino ſpeciei præfixo, vel magìs recedant, vel minùs ad illum accedant, id contigit præter Naturæ intentum, & ordinem. Sæpe deficit, ſæpe abundat materia, à generante ſuppeditata: non nunquam ab extrinſeco provenit defectus: ſic Catelli Melitenſes ( Veneris, non Dianæ illicia ) quia vino aduſto lactati, & excocti in ollulis, in monſtroſam adeò epitomen coaleſcunt. Certè ſi Ariæ Montano fides, animalium ſpecies, ultra 175. Arcam non incoluerant, & tamen non niſi ſex reperire eſt equo majores, paucos æquales, ùt apud Philologos eſt in comperto. Avium ſpecies Geſnerus, & Aldrovandus centum quinquaginta & octo enumerant, & tamen, Cornelio teſte, paucæ majores Cygnis, pleræque minores. Accedit, quòd in monſtroſâ nimiùm mole, operationes ipſa Natura invalidas redderet: fac enim muſca creſcat in Elephantem? quomodo volabit? fac, Elephas ſe ſe dilatet in Caucaſum, quomodo movebitur? fac centum leucis cerebrum diſtet à corde, quomodo communicabit vitales ſpiritus? profectò ſi mille paraſangis os diſtaret à ſtomacho, ſi aliquot dierum intercapedine, cibus per fauces deberet peregrinari, fame periret paſtum etiam animal, ùt bellè advertit Maurus, Paraphraſtes, ſi ullus alius, de Stagirita optimè meritus.

*l.19.c.2. Paul. Ven.l.3. c.40. vocatur* Ruc.

*l.de Arca*

*in c. 6. Gen.*

*l.3.q.31.*

LEUC: Enimverò & ego reor, magnitudinis terminum animalibus adſtruendum, ſi tamen adſtruas maximum, nec ipſo Globo terraqueo minorem: En! quale monſtrum in ſcenam protrahat Sphinx Philoſophica: Gigantes Nani ſunt, pumiliones Enceladi, ſi huic portento æquiparentur, adeò ſi reſpirat, ventos, & tempeſtates exſpirat; ſi ſe movet, contremiſcit Tellus; ſi ſe conturbat, collidit muros, & ædificia; ſi furit, proſternit nemora, montes ſolo æquat, & turres; ſi aperit fauces, dehiſcit

Urbes

Urbes, & Oppida, ſi deglutit, areſcunt flumina; ſi eructat, vomit diluvia, morbos, ſterilitates, & peſtilentias: & quid ad monſtrum hoc Oedipus Phyſicus? *MEL:* Tremeret, niſi foret Philoſophus, qui in Peripato aſſuevit monſtris. Gigantum Parentem graphicè deſcripſiſti hac apodixi; Tellurem, ejúſque motus deſignat hoc Hieroglyphicum ſchema, quod per effectus bellè Sphinx adumbravit. Penicillum, reor, mutuavit è Köplero quodam, aut Campanella, qui non modò calorem, & frigus vivere aſſerit, ſed etiam terram *Animal* eſſe contendit, & quidem *rationale*, cujus pili ſunt nemora, quod ubi conſpicit Aſtrorum ſitus, tremit, & ſe conturbat, è pulmonibus eructat ventos, furit, & ſuis hiatibus abſorbet cuncta. En! Morologorum in Peripato ſomnia: ſed nos imitabimur jam Homerum, & ex Enniorum ejuſmodi fæcibus aurum colligamus. Innumeras clades à Terræ motibus Mundo allatas, nemo neſcit, niſi qui vel ipſum neſcit Hiſtoriæ nomen: clamant è tumulis, quos vivos ſepeliît terra, & integra Regna ſolo æquata aſſerunt, triſti hoc Epitaphio, arenæ inſcripto: *Hìc ubi Troja ſtetit, triſtes modò cernis ariſtas.* Certè magnos ingeniorum motus excitârunt hi terræ motus: adeò difficilè eſt, rebus etiam certis, ſuam ſtatuere cauſam, ac phyſicam geneſin! Dæmonibus hos motus adſcribit Bodinus, ſed humaniùs philoſopharetur, ſi ſine Dæmone. Stagirita illos attribuit ſubterraneis ventis, vel ſpiritibus accenſis, & concitatis: utramque cauſam ſimul adſtruit Maurus, Philoſopho dignus Interpres: illi omnium optimè, qui hujus phœnomeni geneſin deducunt ex aëris concitati, ac in terræ gurguſtijs intercepti violentia: ex affluxu ſpirituum, & exhalationum, quæ ſe è catadupis ſubterraneis levant: nec non ex ignium copia, qui in pyrotechnicis hypogeis coarctati, exitum quærunt, ac collecto impetu tentant eruptionem: è quibus jam ſponte ſequitur terræ motus, quem eſſe *concuſſionem à copioſo halitu, ſpiritu, & igne, viſceribus terræ incluſo, ac viam per vim ſibi aperiente factam,* unanimi calculo tenet Philoſophia. Analogiam præbent cuniculi bellici, in quibus ſi pulverem pyrium accendat Mulciber, terram quatit, turréſque evertit, ac propugnacula. Confirmant hoc ipſum Spiritus, in aëre tumultuantes, qui non raró cuncta disjiciunt, & in Oceano creant ſæviſſimas tempeſtates. Sed hæc ſolummodo ſymbola, quæ ſpectaculo velut umbratili, nobis exhibent

*Rudolphi II. Mathem.*

hibent ſtrages, à Terræ motibus Terræ illatas. Nunc enim dehiſcit, nunc ſubſidit, & integras vorat Urbes: ſic anno 1509. tredecim hominum millia ejuſmodi caſu ſepulta: ſic eodem ſæculo Olyſſipone mille, & quingenta ædificia funditùs everſa: ſic anno 1570. Ferraria fere tota corruit: imò ante Principatum Tiberij duodecim Urbes Aſiæ Terræ motu ſic tumulatæ, ut ne quidem veſtigium ſui reliquerint. Illud optimum in his malis, quòd ſigna præmittant non rarò prodroma, quibus admoniti, malo prævenire poſſumus, antequam præveniamur. Si ſulphurei halitus aërem turbent, vel inficiant fœtore aquam: ſi inſolita animalcula prodeant, fugiántque interna Terræ tumultuantis jurgia: ſi undæ ſponte ebulliant, vel audiantur inteſtini tumultus, ſibi timeant Regiones, præſertim montoſæ, & occultis obſitæ cavernis, aut etiam propiores Oceano: nam proximus vel jam nutat, vel jam ardet Ucalegon. Sed fugiamus hæc periculoſa confinia, ne cum Plinio ſeniore, ſcrutantes Veſuvij penetralia, eruditæ curioſitatis pœnas demus, flammíſque erumpentibus abſumamur.

*Rhodes. Anno 1531.*

LEUC: Monſtra fugimus, & fugiendo in monſtra incidimus. En! quod tibi ænigma Sphinx Philoſophica.

*Oedipe! ſunt gemini, quibus eſt contraria prorſus*
*Natura, humores, Ingeniique vigor:*
*Diſſimiles genijs, ſtudijs ſunt atque talentis:*
*Diſpar vox, geſtus, lumina, forma, color.*
*Unius aſpectus, moréſque haud ſuſtinet alter:*
*Jungere ſi cupias, hic fugit, ille fugat.*
*Diverſis gaudent ſocijs, contraria nutrix*
*Utriſque, affectus Antipathia regit.*
*Verbo: vix quidquam toto magè diſpar in Orbe,*
*Horum Naturâ tu variante putes:*
*Et tamen hanc geminam Mater parit unica prolem,*
*Et proles prolem gignit & ipſa parem.*

Profectò ſi ænigmatis virtus obſcuritas, non eſt, cur Sphingem vituperes. Id ingenuè fateor, quòd ſi me Veterum convivia hoſpitem habere vellent, & Oedipum, ſalſi poculi hauſtu ignorantiam deberem luere, atque eluere. *MEL:* Democritum, & Heraclitum repræſentat hoc ectypon, vel ſi mavis *Riſum & Fletum.*

Utriusque proprietates Phyſicâ expende trutinâ, & ſalſa pocula hauriam ad fundum, niſi graphicis utrumque coloribus expreſſum notes. *Gemini* ſunt ejuſdem Animæ filij,quibus nil ſimilius, nil diſſimilius. Uterque *Motus* eſt *diaphragmatis, cordis, ac corporis:* ſed quàm diverſus? Riſus *delectationem* habet pediſſequam: Fletus *dolorem:* illius objecta *res novæ, exoticæ, ludicræ,* ſeu *turpes ſine dolore*, ùt phraſis habet Ariſtotelica: hujus *triſtes, & doloriferæ.* Ille *cor dilatat,* hic *conſtringit:* & nihilominùs proles adeò diverſæ eaſdem generant filias, nempe *Lacrymas.* Illud animadverſione digniſſimum, duplicem eſſe fontem, è quo ſtillant Democriti lacrymæ: nunc ab affectu interno lætitiæ profluunt, quem excitant ſales Plauti, aut objecta quædam ridicula: ſic Philomenem Sophum aſini, ficus decerpentis intuitu; Zeuxidem verò ob Vetulam, quam fœdiſſimam pinxerat, riſu extinctum legimus. Sic Dionyſius I. Tyrannus, & Sophocles Poëta, præ riſu, & gaudio vitæ rupêre ſtamina: iſte, quòd decantatæ tragœdiæ palmam præ alijs retuliſſet: ille, quòd in orgijs evaſiſſet Victor. Sed & notus eſt riſus Sardonicus, quo filij Saturno immolabant Parentes, 70. annorum ſenio confectos: ita ut & ipſi ultimam lineam, veluti malorum omnium terminum,fictis ſaltem cahinnis, ludicri tranſilirent. Nunc riſum promovet extrinſeca corporis agitatio: ſic rident, qui titillantur:ſic vulnerati in diaphragmate, teſte Philoſopho, riſu intereunt. Sic herba quædam Sardiniæ, ſumpta in cibum: alia apud Bactros ſumpta in potum, riſum movet fatalem: nam rident, uſque dum crepent. Sic araneæ in Cambyzena, in Apulia Phalangij, quos mordent, necant, ſed Fato mirabili, nam ridentes excipit moroſus Charon, transvehítque ad Stygem, ſi minùs lætos, ad minimùm cachinnantes. Sed non ubique riſus in uſu, & pretio: rari natitant Lycurgi, qui *Cachinno* erigunt Aras, & templa ædificant. In Athenienſi Peripato ſic interdictum fuerat riſu, ut qui ſe ſe probâſſet Democritum, illicò fuiſſet proſcriptus. Nunquam in vitâ risêre Catones cenſorij, Craſſi, Socrates, aliáque ſeverioris Minervæ prototypa: contrà multi flevêre Heracliti; quin & ipſa Sapientia increata riſiſſe nunquam, fleviſſe ſæpius legitur. Sororem Sorori demortuæ, ſanguineis etiam lacrymis, celebrâſſe funebria, Authores referunt probatæ fidei: adeò in lacrymarum valle uſitatum eſt flere, ut areſcentibus oculis, etiam venæ cruorem ſufficiant.

*Laërtius.* *Pomponius Mela.* *Zenodotus.* *Plin. l. 24 c. 17.* *Strabo l. 11.* *Scarlat.* *Drexel. in aurifod. Del Rio.*

ciant. Tyrannum unicum produnt hiſtoriæ, qui primò ſermonem, deinde nutus, demum & lacrymas vetabat, non ignarus, ſat miſeros fore mortales, ſi etiam ſuas deflere miſerias prohiberentur. Hactenus Oedipus Phyſicus: quòd ſi Ethicum explorares, ænigma ſolverem per emblema. Phœbum Sphingi proponerem, qui ſic intra nubes hæreret abſconditus, ut ex una parte demitteret pluvias, ex altera Terram ſerenâ fronte exhilararet: lem̃a apponerem: *pluit, atque ſerenat.* Mox clariorem ænigmati annecterem ſolutionem, illis Scripturæ verbis: *Teſtimonium Conſcientiæ:* Nam

*Drexel. l. c.*

*2. Cor. 1. v. 12.*

*Si bona ridebis, ſi Mens malè conſcia flebis:*
*Mirum! uno dolor, & gaudia fonte fluunt.*

LEUC: Bene habet: ſolventi præmium dabit Sphinx Philoſophica. Modò ſatis monſtrorum eſt: ſat excuſſimus Phyſicæ latebras, & Chimæris, ac Hippocentauris purgatum, reor, Philoſophicum theriotropheum. *MEL:* Næ tu leviter tibi ſatisfacis, tyronum more: vix inſpexiſti hos ſaltus, & debellata, primo intuitu, credis Naturæ monſtra. Quid ſi Stagirita tibi obijceret, ùt quondam Platoni, illud adynaton: *ſurſum flumina*? ſi indagaret, quo pacto aqua gravis è maris fundo aſcendat ad juga montium, unde ſuam fontes ex alto delabentes originem? an adſcriberes collectis pluvijs, nivibúſq; ? an vaporoſo aëri, vel aquis, in hydrophylacijs montium per ignes ſubterraneos extenuatis, ac elevatis? vel an tribueres maris fluxui, quod jugi motu trudit, novóque impetu ſuperintrudit undas undis, dum denique per montium ſpiracula extrudantur? quid ſi tibi opponeret paradoxum illud: *Vivens à non vivente?* ſi prope Anconam tibi oſtenderet prodigioſos piſces è petra enatos? ſi Auguſtoduni, in ſaxi medio bufonem inventum, uti & in petra diffiſſa ſerpentem vivum? ſi in Scotia, Inſulíſque Hebridibus tibi monſtraret anates è folijs arborum in mare deciduis, aut etiam anſeres è putridis navium fruſtis enatos? Certè talem anatem habuiſſe ſe aſſerit Aldrovandus, fuiſſéque dimidiâ corporis parte avem, reliquâ folium arboris. Quòd ſi, inquam, ejuſmodi naturæ monſtra tibi opponeret, an Panſpermiam admitteres cum Anaxagora animatam? ſi oggereret tibi *Metamorphoſin phyſicam*, qua cicadæ Braſiliæ in viventia vegetativa, lumbrici in papiliones: qua aves quædam Sinenſes in gratiſſimi ſaporis piſces ſenſim degenerant? an ad analyſin

*Fulgoſ. l. 1. c. 6.*

*dictæ Hoangicoyu.*

lyſin ſponte naſcentium, & ad Prothei formas accidentales ſolùm confugeres? ſed plura ſileo, quia omittere plurima cogit exundans copia. Unicum præterire monſtrum hic foret nefas: alit portentum Philoſophia, quod Hircocervum meritò diceres, niſi foret poſſibile: facies hominem probat, cæterâ canem, & fœdum ex hara porcum: quid illud?

LEUC: Nabuchodonoſores, reor, aut Hippocentauros, & Satyros pro ſolutione petis, jam decantata Orbi portenta: ſed quia Davum me nôſti, Oedipum hìc non exſpectes. Age, quòd egeras hactenus, & ænigma, quod involviſti monſtroſo cortice, jam evolve. *MEL:* Hominem-brutum deſigno, vel ſi mavis Philoſophum irrationalem; *hominem* dico, quia humanâ præditum facie; *brutum*, quia belluinis moribus depravatum. *Philoſophum* aſſero, quia ratione pollet: *Irrationalem*, quia ſine ratione vivere demonſtratur. Verbô ſpurius eſt, quia *abortus in ortu*, quem Mater repudiat, utpote *diſſimilem alijs.* Vide ſymbolum, & lege Oraculum.

*Degenerans à Matre Sophus, quia Virgine, monſtrum eſt:*
*Puriùs hinc vive, & ſpurius eſſe time.*

Sophos illos intelligo, qui à Sapientiæ Sede, Matre ſua, ita degenerant, ut Illam vel ament tepidè, vel colant frigidè, vel parum ſatagant demereri. Illos intellige, qui parvi faciunt Maternos favores, non curant auxilia, omittunt obſequia: qui Matrem vocant, ſed verbo; Dominam dicunt, ſed ſine honoris tributo; Patronam ſperant, ſed præſumptionis pleno vitæ mendacio. Illos intelligo, qui probant ſe filios, ſed degeneres; qui monſtrant ſe ſervos, ſed infideles; qui Clientes ſe exhibent, ſed indevotos, & negligentes; qui ad ſpeciem cultores, ſed factis ſunt contemptores; qui pro forma Sodales, ſed nominales; qui quæ verbis dicunt, operibus contradicunt. Paucis: illos intelligo, qui loquuntur linguam Matri contrariam; vitam vivunt ex toto oppoſitam, mores monſtrant ſpurios, nec niſi inani Clientis nomine gloriantur. His ego, audiente Mundo, palàm annuncio, quòd ſint pernicioſa in Peripato lolia; quòd Juventutis peſtes; Studioſorum monſtra; quòd in Minervæ palæſtra retrogradi, in vitijs Errones, Cœli influxibus deſtituti, datíque in ſenſum reprobum, ac deſideria infruniti cordis: quòd æternæ reprobationis ſtigma, jam fronti inuſtum, circumferant, quòd ipſorum ſalus re-

dacta ſit *ad impoſſibile,* interitus *ad neceſſarium,* id quod mille teſtimonijs D. Bernardi, Antonini, Bonaventuræ, Bernardini, Gregorij, Petri Damiani, centúmque alij confirmant. Omnium ore, & nomine loquentem audi D. Anſelmum; *ſicut ô Beatiſſima, omnis à te deſpectus, neceſſe eſt, ut intereat: ita omnis à te reſpectus impoſſibile eſt, ut pereat.* Habes apoſtrophen auream, Virgine aureâ dignam, cui vel verbulum addere, phraſiologiæ vitium meritò cenſeretur, *In Orat. ad B. V.*

LEUC: Ut video, à Matre Virgine eſſe *dilectum, & electum, ab Illa deſpectum,* & eſſe *rejectum* ſynonymῶς accipiunt Eccleſiæ Lumina: & quod tantæ prærogativæ eſt fundamentum? *MEL:* Bonorum omnium Largitor DEUS. Nam ſi conſulas Scripturæ ſacræ Interpretes, in hac Numinis Providentia, nullam de Cœlo gratiam obtinemus Mortales, niſi per Illam, quæ dicitur Gratiarum Mater. Hæc enim conſtituta à DEO eſt a *Theſauraria Gratiarum,* cujus Officium, teſte Chryſoſtomo, Gratias diſpenſare: b *ideò enim præelecta eſt ab æterno, ut quem DEUS non poteſt ſalvare per ſuam Juſtitiam, Illa per ſuam ſalvet Miſericordiam.* c Hæc *Mediatrix* à Cœlo electa, per quam, d veluti *collum transfundens* recipiamus Divinæ fluenta Gratiæ: *cùm nemo ſit, qui ſalvus fiat, niſi per Mariam, nemo, qui liberetur à malis, niſi per Mariam,* teſte Mellifluo. Hæc data nobis Patrona: *DEUS enim,* ùt rurſus docet Bernardus, *totius Boni plenitudinem nos habere voluit per Mariam, ut proinde, ſi quid Spei in nobis eſt, ſi quid Gratiæ, ſi quid Salutis, ab ea noverimus redundare.* Imò Ipſamet offert ſe Advocatam; nam ùt advertit Idiota: *eſt Advocata noſtra apud Filium, ſicut Filius apud Patrem, imò apud Patrem, & Filium procurat negotia, & petitiones noſtras.* Et quid multis? *vocatur Regina Miſericordiæ, quia Divinæ Pietatis abyſſum, cui vult, quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum Patrocinij ſui ſuffragia præſtat.*

a *S. Petr. Damaſc.* b *Hom. de prærog. B. V.* c *S. Ephrē.* d *S. Hier. Hom. de Zona. Ser. de aquæ ductu. Bern. ſuper Salve Reg.*

LEUC: Si ita habet, veriſſimè dixit Richardus à S. Laurentio: *inventâ Mariâ inveniri omne Bonum:* nec immeritò nos adhortatur Doctor Mellifluus: *votis omnibus veneremur Mariam, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. MEL:* Meritò nos adhortatur: ſi enim nos non moveret cultûs Mariani neceſſitas, permovere deberet ejuſdem utilitas, & honeſtas: nam bellè denuò Mellifluus Virginis Encomiaſtes: *non deeſt Mariæ poteſtas,* *l. 2. p. 1.*

a Petrus Dam.ſer. 1.deNat. B.V. *teſtas, quia Mater Omnipotentiæ, nec impetrandi induſtria, quia Mater eſt Sapientiæ, nec voluntas, quia Mater eſt Miſericordiæ.* Utique potens ſit Illa, oportet, a *quæ accedit, ad thronum DEI non ſolùm rogans, ſed & imperans, Domina, non ancilla*: potens ſit Illa oportet, b *cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra, ut quidquid voluerit, efficere valeat.* Potens ſit Illa, oportet, de qua Doctor Eximius: c *ſi cogitatione fingamus B. V. aliquid poſtulare, totámque cœleſtem Curiam illi reſiſtere (ſicut apud Danielem unus Angelus alteri reſiſtebat) potentior eſſet, majoriſque efficaciæ, & valoris apud DEUM Virginis, quàm reliquorum omnium Sanctorum Oratio.* Bene igitur Apis Melliflua: d *tantummodo velis, & nequaquam ſalvi eſſe non poterimus.* At fortè non volet Mater hæc potentiſſima? ſed reponit idem Orator Mellifluus: *ſileat Miſericordiam tuam ô Beata! quicunque Te in ſuis neceſſitatibus invocatam ſibi meminit defuiſſe.* Nempe *nulla Creatura æquè prona eſt ad benefaciendum, ac Deipara,* ùt loquitur Richardus de S. Victore: nempe e *amat nos Illa amore invincibili,* & quid mirum, quòd f *non ſolùm ſupplicantes exaudiat, ſed etiam ſupplicare volentium preces præveniat?* quid mirum, quòd auxilia negante Filio, Mater non raRò ſuccurrat? nam ùt Nicephorus teſtis eſt: g *multa petuntur à DEO, nec obtinentur: multa petuntur à Matre, & obtinentur: non quia potior, ſed quia DEUS decrevit eam ſic honorare.*

b S: Ant. de Coron. B. V.

c Tom. 2. p. 3. diſp. 23.

d Serm. de Nat. B. V.

Ser. 4. de Aſſumpt.

e Petrus Dam. ſer. 1. de Nat.

f Conc. Baſil. in inſt. feſt. de laud. B. V.

LEUC: Ita eſt, ſic honoretur, quam DEUS cupit ſic honorari. Colant alij Dominam propter neceſſitatem: ament alij Patronam propter utilitatem: ego amabo, & colam Matrem, ob Dignitatem: ſic honoretur, quam DEUS voluit ſic honorare. *MEL:* Equidem bellè: flammam alis, Deiparâ dignam, ſi non amas, niſi quia eſt digna. Sed quis fando explicet, quouſque ſe extendat hæc dignitas? nam *quanta ſit* dignitatis *Mariæ ſpecies, qui dedit ſpeciem, ſolus novit: hoc ſoli pervium Creatori, ſed nulli cognitum Creaturæ,* inquit, Richardus à S. Laurentio. Quòd ſi tamen in umbra hunc ſplendorem immenſum contemplari deſideras, inſpice, quam tibi, obſcurâ quaſi in camerâ, exhibeant ſpeciem SS. Patres. Videbis jam ab æterno, è Creaturis omnibus præelectam, ut eſſet Filia Divini Patris, ut Mater Divini Filij, ut Spiritûs Sancti Sponſa, totiúſque Sacrarium Trinitatis: quæ dignitas tanta eſt, Bernardino teſte, *ut ſoli DEO conſideranda reſervetur:* & quid putas, poſſit eſſe ſublimius? cernes, quòd poſt Chriſtum,

l. 9. de laud. V.

t. 2. ſer. 5. a. 3. c. 1.

*ante*

*ante omnem Creaturam in mente DEI fuerit prædeſtinata, ad imaginem bonitatis illius*, velut *Sol alter minor*: quòd præredempta, tanquam primus fructus Redemptionis, *ſolum opus Incarnationis Divinæ, factáq; Generi humano ſalutis cauſa*: quid cogitari poſſit excelſius? videbis, in tempore ſine labe conceptum *inter ſpinas hoc Lilium*, primóque inſtanti, rationis uſu, eáque favorum cœleſtium plenitudine condecoratum, ut *Gratia dignitati Maternitatis Divinæ fuerit proportionata*, Authore Angelico: cui fundamento Eximius noſter ſuperſtruit *fundamenta ejus in montibus ſanctis*, talem nempe Gratiarum, gratam facientium, cumulum, qui non modò ſuperet Gratias omnes Creaturæ ulli, utut Seraphicæ, unquam collatas, ſed (quod alijs præplacet) ipſi etiam collectioni Creaturarum, in menſurâ convenientе Divinæ Matri, quam inter, & *alios DEI Servos infinitum diſcrimen*, teſte Bonaventura; ut adeò in *illo inſtanti conceptionis plùs cæteris Sanctis à DEO amata ſit*, ùt notat Mellifluus Virginis Encomiaſtes: & quid dici poſſet pro dignitate Deiparæ glorioſius? Stupeſceres in Juſtitia originali ſic præſervatam, *ut major ſub DEO puritas non poſſit intelligi*: ſic inſtantaneo meritorum augmento, ad eum perfectionis apicem eniſam, ut eſſet virtutum omnium *opus, quod ſolus Opifex ſupergreditur*: ut eſſet immenſus Gratiarum Oceanus, eâ Sanctitatis ſublimitate, quæ meritis creaturas ſimul omnes transſcenderet, diſtantiâ prorſus ineffabili, ſolíque DEO comprehenſibili: nam oportuit, Bernardino Interprete, *elevari Virginem ad quamdam, ut ita dicam, quaſi æqualitatem Divinam per quamdam Infinitatem meritorum, & Gratiarum, fieríque Divinam*: & quid ad laudem Deiparæ dici poſſit divinius? quid ſi dicam Matrem Partheniam, ſi Incarnati Verbi per 30. annos Diſcipulam, Divinæ Vitæ oculatam teſtem, Redemptionis humanæ factam ſub Cruce Cooperatricem, omnium Myſteriorum fidei Arbitram? Si cum Eximio addam *plùs à DEO amatam, quàm reliquos Sanctos omnes?* ſi plùs amantem, quàm amare poſſit Eccleſia militans, & triumphans? quid enim mirum, *ſi præ omnibus diligatur, quæ præ omnibus eſt dilecta?* ut bellè notat Doctor Seraphicus. Quid ſi adjungam, tot ab illa *elicitos charitatis actus, ut eorum multitudo, cum numero omnium Sanctorum conferri poſſit?* Si denique dicam, præ immenſo Divini Amoris æſtu elanguentem, & mortuam, cum corpore in Cœlos aſſumptam, coronatam Angelorum Reginam, conſtitutam Cœli, Mundíque totius Domi-

*Bernardin. Ildephonſus Irenæus.*

*3.p.q.7.a.10.*

*Pinnam. de Corde B.V. Conſ.3.*

*Anſel. l. de concept.V. Pet. Damian.ſer. 1.de Nativ.V. Ser.61. A.1.*

*Bonav. Suarez.*

Dominam, ſi dicam Eccleſiæ Militantis Patronam, Reorum Refugium, humani Generis Advocatam, tot miraculis ſuperexcelſam, ac in DEO, & per DEUM ita Omnipotentem, ut nullus unquam, eandem invocans, ſit derelictus: nullus, in illam ſperans, damnatus; nullus eandem derelinquens ſalvatus? Verbo: ſi dicam, tot prærogativis ineffabilibus condecoratam, eóque in gloriæ ſolio ſupra omnes Creaturas tam eminente collocatam, ut altitudo propemodum infinita, à nullo Intellectu Creato ſit perceptibilis, ſed à ſola Mente Divina comprehendi poſſit? ſi inquam, hæc dicam, quid dixi ad dignitatem DEIparæ? pudet, quòd dicendo minora, minus dixerim, quàm nihil. Ne igitur mirare Leucothee? Quòd Eccleſiæ Lumina non inveniant terminos, cùm loquuntur de dignitate illius, quæ omnem ſuperat terminum. BellèD.Baſilius: a *qui omnia illuſtria, & glorioſa cum laude, gravitérque dixerit de Te O Virgo, nunquam à Veritatis ſcopo aberraverit, & tamen dignitatis tuæ magnitudinem nulla unquam oratione exæquabit.* Nam *totum tenes in plenitudine, quod alij Sancti tenent in parte,* ùt ait D. Bonaventura. b *Quidquid igitur citra Deum, incomparabile eſt Mariæ,* c nam *nemo æqualis eſt illi, nemo major, niſi ſolus DEUS:* c quæ meritò dicitur, *incomprehenſibilitatis Divinæ Summa.* Hinc *taceat, & contremiſcat omnis Creatura, nec audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem*, ùt bene nos admonet Purpuratus ille Virginis Amator, Petrus Damianus. e

LEUC: Enimverò ſtupeſco totus hoc Filio DEI ſimillimum Ectypon, *per quamdam quaſi infinitatem Gratiarum, & perfectionum* à DEO elaboratum, uti loquitur B.Bernardinus. Et ego adorarem ùt Deam, niſi fides Divina obſtaret, ſicut quondam Doctori Gentium ſcripſiſſe legitur Dionyſius ab Areopago cognominatus. f *MEL:* Latriam DEO, Hyperduliam Deiparæ debitam docet fides. Divinam Matrem ama, & cole: nunquam amabis ſat dignè; nunquam coles ſufficienter: nam g *honor impenſus Matri redundat in Filium:* h *cujus gloriam cum Matre non tam communem dixerim, quàm eandem.* Illud pro diſcursûs epitome, velim, notes, i *quòd B.V. tantam habuerit Gratiam, quantam Creatura pura recipere potuit:* k *id quod enim vel paucis Mortalium conſtat eſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari, tantæ Virgini fuiſſe negatum,* ùt ait Partheniæ dignitatis Aſſertor Mellifluus, Abbas Clarevallenſis. In id jam incumbendum tibi Leucothee, ut Matrem colas, ſed cultu,

a *de Seleuc. or. in Aſſumpt.*
b *Rich. à S. Laur. l. 4 de laud. B. V.*
c *Idiota l. 1. de B. V.*
d *Andreas di Candia Orat. de Aſſumpt.*
e *Ser. de Aſſumpt.*
f *Cartag. l. 2. hom. 5.*
g *Hier. ad Euſtoch.*
h *Ber. de laud. B. V.*
i *Bonav. in 1. diſt. 44.*
k *Epiſt. ad Lugdun.*

cultu, qui decet filium, imitando nempe Matris virtutes. Præprimis tamen ſectare illas, quas ſectatus D. Hermannus, Puritatem, & Sapientiam: hæc Juventutis Academicæ decora, quæ & ardenter Virgo cupit, & cupita Clientibus facilè elargitur: *Ipſa enim eſt Virgo, & Virginum amans: pura eſt, & purorum amans: quoniam ſi corporis, & animi Caſtitatem coluerimus, ipſius gratiam adipiſcemur,* ùt habet promiſſio Damaſcena ſuóq; exemplo confirmat D. Hermannus. Illud Patronus hic Juventuti inculcat, ne à Matre unquam degeneret, & fiat Monſtrum: talem monſtrat ſe Matrem, quales monſtramus nos filios: percipe Marianum Oraculum: *Or. de dorm. V.*

*Optima Mater ero, tu Filius optimus eſto:*
*Ut mihi natus eris, ſic tibi Mater ero.*

Ex quibus colliges Theſin illam: *quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Hoc experti ſunt apud Jeremiam infelices illi, dum lamentationem hanc intonant: *ex eo tempore, quo ceſſavimus ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, ac fame conſumpti ſumus.* Huic Juventutis miſeriæ, ut præcaveret D. Hermannus, hoc anathéma ad Aram Virginis ſuſpendit, Juventuti Academicæ, tot periculis cinctæ, opportuna obtenturus auxilia: lege, & tuo ratum habe ſuffragio. *1. Reg. 2.*

# ANATHÉMA

## AD ARAM B. V. SUSPENSUM, A S. HERMANNO

### CONTRACTO, CONTRA MONSTRA, ATQUE PERICULA ACADEMICÆ JUVENTUTIS, IN HOC MUNDI OCEANO NAUFRAGÆ.

Ex Voto.

*Domina Maris, & Cœli!*
*Quid enim niſi vota ſuperſunt!*
*Ah! reſpice, & ne deſpice miſeram:*
*Mergetur in Alto, niſi opem citò feras ab alto.*

*Heu!*
*Quot cymbam unicam cingunt pericula!*
*Cùm ſufficeret unicum, ut una ſæpius periret.*
*En!*
*Armat ſe ſe totus Infernus, ut exarmet inermem:*
*Totas vires in invalidam exerit:*
*Struuntur tot machinæ in malè cautam,*
*Tot ſtratagemata cuduntur in malè providam:*
*Imperitam oppugnant tot in bello periti.*
*Iniquo Marte:*
*Nam ratis unica Piratis centum eſt meta:*
Tantæ molis eſt perdere
Sponte pronam ad interitum Juventutem!
*Quocunque ſe vertit,*
*Ubique pericula, auxilium nullibi.*
*Mille mortes vitam unicam cingunt,*
*Conſpirant omnia, ut exſpiret.*
*Nunc tumultuatur affectuum ventoſa Cohors:*
*Non enim valet frena injicere imbellis Juventæ Æolia.*
*Nunc ipſe Hippotades furorem furit ventorum,*
*Impetúmque adjuvat impetus Juventutis.*
*Quid ergò mirum,*
*Quòd in Juventutis amœno vere tot tempeſtates?*
*Quòd ſub frontis ſerenitate rara malacia?*
*Quòd conſtanter fluctuet inconſtans cymba?*
*Quid mirum?*
*Quòd, ubi tanta eſt Vanitas,*
*Leviter ſe ſe levent procellæ?*
*Quæ cymbam, ſuperbo tumore, ad Sidera elevant,*
*Ut eandem ad Tartara profundiùs deturbent.*
*Quid mirum,*
*Quòd in Euripo Juventæ, tot fluxus, atque refluxus,*
*Quos influxu peſſimo cauſatur Cynthia,*
*Et quò magìs ſympathica,*
*Eò majores in ipſis humoribus accendit æſtus.*
*Quid dicam de monſtris?*
*Quæ quò minùs monſtroſa, eò magìs Juventuti illudunt:*
*Socios Ulyſſis intelligo, turpiter perverſos,*

*Quia*

*Quia in porcos, Circeâ fraude, dudum converſos,*
*Ut Fato ſimili Socios pervertant.*
*Quid de Sirenibus?*
*Quæ quò magìs formoſæ, eò magìs monſtroſæ?*
*Quæ blandâ crudelitate dum recreant, mortem creant,*
*Quæ per ipſum Pæana intonant triſtem Leſſum.*
*Quid de Scylla, atque Charybdi?*
*Occaſiones intelligo, in quibus tot Juventæ caſus,*
*Et Innocentiæ tam frequens occaſus.*
*Quid de vadis tentationum,*
*Quas Juvenes tam raro evadunt?*
*Quid de Remora? quid de Torpedine?*
*Dum hæc ſtupefacit remiges, illa remoratur remos,*
*Neutra expedit, utraque impedit ſalutis curſum.*
*Quid de Piratis, Mundo, Carne, & Dæmone?*
*Qui centum Syrtibus magìs funeſti,*
*Funeribus replent Charontis cymbam.*
*Rapto vivunt hi Ditis Velites,*
*Nunquam magìs injuſti, quàm cùm ita jus ſibi tribuunt.*
*Tunc habent optimè, cùm alij peſſimè,*
*Juventæ miſerijs beantur, illius ditantur pauperie,*
*Et morte vivunt.*
*Infeſto per hos prædones Oceano*
*Rari natitant Jaſones,*
*Qui aureum ſalvant Innocentiæ vellus:*
*Rari adoleſcunt Adoleſcentes,*
*Ubi vitam inter & mortem tantùm unica tabula,*
*Ubi parati ſemper ſunt Veſpillones,*
*Et apertus immenſo tumulo ſemper hiat Oceanus.*
*Accedit tantis periculis*
*Navis ipſa ſummum periculum;*
*Quid enim periculoſius,*
*Quàm ubi malus ipſe eſt peſſimus, quia infirmus?*
*Ubi vela eò pejora, quò magìs turgida?*
*Ubi Nauclerus improvidus?*
*Ubi Gubernaculi Rector, multiplici indigeret Rectore?*
*Quid in ruinam poſſit eſſe proclivius,*
*Quàm cùm ſentina gravata vitijs?*

*Cùm remiges rebelles, quia liberi?*
*Cùm commeatui præſidet Prodigalitas?*
*Cùm rei nauticæ curam ipſa habet Incuria?*
*Quid naufragio poſſit eſſe propinquius?*
*Quàm ubi Juventus, quæ vehitur, adulta vitijs?*
*Ubi tantilli tanti jam peccatores?*
*Ipſa malitiâ teneram ſupplente ætatem?*
*Verbo:*
*Ubique pericula, auxilium nullibi:*
*In hoc Oceano nulla Inſula fortunata,*
*Nullum hìc Promontorium bonæ ſpei.*
*Si oculos elevas, ruunt de Cœlo fulmina:*
*Si demittas vultus, dehiſcunt fluctus:*
*Si circumſpicias, terrent Monſtra,*
*Quocunque te vertas, mille inſtant mortis pericula.*
*Quid igitur Domina Maris, & Cœli!*
*Quid niſi Vota ſuperſunt?*
*Tu ſola ſuperes ſpei Anchora,*
Stella Maris!
*Memento, quòd non auditum à ſæculo,*
*A te quemquam in iſto Sæculo derelictum.*
*Succurre!*
*Opem maturent ipſa diſcrimina,*
*Sitque ſpes major in rebus maximè deſperatis.*
*Impera Ventis, & Mari, nam potes,*
*Quæ potes in Illum omnia, qui poteſt omnia in Creaturas.*
*Illud certum,*
*Quòd Duce hac* Maris Stellâ,
*Felici Sidere navigârit hactenus Juventus.*
*Hoc Sidus ſi ſe ſubtraheret, jure vela contraheres:*
*Nam demergent te maria, nî opem ferat Maria:*
*Iſtam non ſuffragari, in illis eſt naufragari.*
*Hoc unum notet Juventus:*
*Quòd ab hoc Sidere eſſe reſpectum, ſit eſſe electum:*
*Quòd ab illo eſſe deſpectum, ſit eſſe rejectum.*
*S. Anſelmus.* Nam à Maria reſpectus impoſſibile eſt, ut pereat:
A Maria deſpectus, neceſſe eſt, ut intereat.

TECHNO-




*S. Albertus Philoſophiæ laureolâ, ab ipſa Sapientiæ ſede condecoratus, gemino prodigio Peripatũ illuſtravit; nam ob artificialem Magiam, qua etiam ſtatuas fecit diſertas, habitus eſt vulgò Magus: ob eandẽ virtutis ſtudio ſublimatam, ab Eccleſia dictus cognomento Magnus: Verum Philoſophi noſtri temporis ectypon, quia Scientiâ Magus, virtute Magnus. Ex faſt: Mar: 16. Nov.*

G. Rogg del: I. Melchior Gutwein sculpsit.

# TECHNOPHYLACIUM PHYSICUM,

*Seu*

# DISCURSUS VIII,

*De*

# MAGIA ARTIFICIALI.

LEUCOTHEUS. Alterum ex D. Dominici Familia Heroëm profers, Angelico ſupparem, quia Angelici Magiſtrum, Albertum Magnum. Et appoſitè reor; nam hìc Loci ſe quoque Magnum oſtendit, & ſcientiâ, & virtute, cujus monumentum grande quotidie oculis uſurpamus. *MELANDER*. Ita eſt; & eò quidem lubentiùs affero, quia Philoſophi noſtri temporis illuſtre eſt Ectypon, utpote ſcientiâ Magus, virtute Magnus, imò Maximus. Lucem, quam Lavinga Suevorum Alberto dedit natalem, is virtute reddidit magìs illuſtrem. Sed Magni nomen ab illa hæreditavit, quæ dicitur Magna, utpote cui magna fecit, qui Potens eſt: in huius clientelam jam ſe dederat parvulus, ut ſub illius umbra adoleſceret in grandem Heroëm: nec illum ſpes ſua fefellit: nam Cœli Regina ſpectabilis Alberto facta, juſſit illum inire Heroum palæſtram, caſtra D. Dominici, ad quæ ocyùs transfugit, nunquam magìs Deiparæ fidus, quàm cùm Mundo ſic fuit perfidus. Sed, quæ Juventu-

tis ſunt Fata, ubi indolem ad Philoſophiæ ſtudia tardiorem advertit, pene ſtationem ſuam Tyro deſeruit. Imò jam fugam paranti, & ſcalas admoventi, Cœli ſcala Virgo ſe ſe objecit, útque animos Clienti faceret, inter ſcientias omnes optionem facere juſſit. Elegit ille Philoſophiam, & quam elegit, obtinuit: ne tamen ſibi hanc adſcriberet, repetituram ſe dona ſua, triennio ante mortem Virgo edixit. Itaque Albertus ille, nuper omnium riſus, per omnium ora nunc volare, Doctórque in pluribus Academijs, Fama Nominis Orbem implère; imò Pariſijs Philoſophiam prælegere tantâ Auditorum frequentiâ, & concurſu, ut Academiæ anguſtiæ jam non caperent tam Magnum Doctorem, adeóque in publico foro erecta ſit cathedra, quod forum Alberti Magni, etiamnum hodie appellatur. Et verò tantâ eminuit Philoſophiæ ſcientiâ, & ſagacitate in rimandis Naturæ Miſterijs, & præprimis dexteritate tantâ in elaborandis Magiæ Artiſticæ machinis, ac inventis, ut apud imperitos, cognomento publico, audiret *Magus.* Confirmavit errorem vulgi duplex metamorphoſis mechanica, quo novus hic Phyſicæ Dædalus, ſe ſe Mundo celebrem reddidit, & ſtupendum. Primam monſtravit Coloniæ, cùm anno ſupra milleſimum ducenteſimum quadrageſimo ſeptimo Wilhelmus, recens electus Rex Romanorum, ex Hollandia redux hanc Urbem ſolenni ingreſſu condecoraret. Nam & ipſe excepturus hunc Sereniſſimum Hoſpitem, apparatu Philoſophico Aulam exhibuit, in Aula hortum, 16. Januarij eo florum vernantium ornatu, fructuúmque varietate mirabilem, ut obſtupeſceret Princeps in Januario Majum, crederétque, Coloniæ ſe videre hortos Alcinoi, in quibus ipſa Hyems, vernanti veſte florida, tam mirabiliter ſuperbiret. Alteram exhibuit in metallina ſtatua, quam eo artificio elaboravit, ut manu tacta cum homine loqueretur. Fefellit Magia tam paradoxa non modò vulgum, ſed & ipſum Angelicum, etiamnum Tyronem Sophum, de quo Fama eſt, quòd ex pia quondam inſcitiâ hoc ipſum opus deſtruxerit, à ſuo ſubin Magiſtro his verbis exceptus: *Fili,* 30. *annorum opus momento unico deſtruxiſti.* Hæc & ſimilia Magiæ Artificialis portenta, Albertum meritò *Magnum* effecerant, ut non mireris, quod de illo Trithemius: *Mundum Alberto ſimilem non habuiſſe.* Id ipſum confirmat Elogium, ejus Obeliſco honoris, Pariſijs publicè erecto, inciſum.

*In*[illegible]

*Inclytus Albertus, doctiſſimus, atque diſertus*
*Quadrivium docuit, ac totum ſcibile ſcivit.*

Sed & lege, quod huic Elogio Elogium non nemo ſubſcripſit Stylo Attico.

*Siſte Viator,*
*Et paucis lege hoc grande Elogium,*
*Cœleſtis fuit Philoſophus,*
*Et maximi Doctoris magnus Magiſter.*
*Problema eſt,*
*An Diſcipulus hoc major Magiſtro,*
*An Magiſter hoc major Diſcipulo?*
*Decides bene, ſi dixeris,*
*Utrumque ſciviſſe omnia, neutrum plura.*
*Hoc mirabilius in Alberto,*
*Quòd rudis ætate primâ, ac ultimâ,*
*Quòd momento doctus, momento indoctus,*
*Quòd omnia ſimul didicerit, ſimúlque dedidicerit:*
*Bene uſus Scientijs, commodatis ad tempus;*
*Ubi ſeptingentis voluminibus Orbem implevit;*
*Satìs unus omnibus Bibliothecis,*
*Sibi ipſi vix fuit ſatìs.*
*Non facilè eſt dicere, quid Albertus neſciverit:*
*Nulla opinio etiam falſa fefellit Albertum,*
*Modum poſuit artibus curioſis, ne ultra pergerent,*
*Petierat à Virgine, ne falli poſſet, addidit illa, ne falleret.*
*Denique dum ex Cathedra dictat non tam verba, quàm Oracula,*
*Obmutuit ſubitò hoc Orbis Oraculum:*
*Et cujus memoria Sapientiæ promptuarium erat,*
*Id unum tunc meminit, ſe nihil amplius meminiſſe:*
*Unum eſt, quod obliviſci non potuit, nomen Mariæ:*
*Scivit illud antequam aliquid diſceret,*
*Scivit illud, poſtquam dedidicit omnia,*
*Prima hæc vox erupit Infanti, ultima Seni.*
*Nec tamen mutum Alberti ſilentium fuit:*
*Albertus mutus adhuc Orbis erat Magiſter,*
*Dum docuit, omne donum Scientiæ eſſe de ſurſum*
*A Matre Luminum.*
*Eruditus, & ignarus Miraculum fuit,*

*Nec*

*Nec minore prodigio amiſit Scientias, quàm accepit:*
*Beatus, quòd amiſsâ Scientiâ*
*Retinuerit ſaltem Virtutes.*
*Abi Viator,*
*Et cum Alberto ſic ſatage eſſe doctus,*
*Ut etiam indoctus Cœlo ſis ſatìs doctus,*
*Quia ſanctus.*

LEUC: Doctrinâ geminâ me inſtruit hoc in Peripato grande Sidus: nempe, ſic ſtudendum noſtri temporis Sopho, ut evadat Scientiâ Magus, Virtute magnus. Utrumque doce, nam potes: ſícque pande Magiæ hujus armaria, ut inter Phyſicæ mira, patrare diſcam Miracula, inter quæ erit maximum, nî fallor, ſi diſcam doctus ſimul eſſe, & ſanctus. *MEL:* Probantur vota, & quia mea ſimul, ac tua, deeſſe illis, neque velim, nec poſſim. Technophylacium hoc phyſicum, ſi lubet, ingredere, dabit Philoſophia, quod mireris in Arte, ut ſupremum agnoſcas, & colas Artificem. En! in parva epitome magna Orbis Miracula, & cunctis Miraculis majores Antiquitatis Artifices; non credebant ſe ſatìs poſteritati fore mirabiles, niſi exhaurirent Orientis opes, & pene deſtruerent Regna, ut in Regnis ſat ſumptuosè ſurgerent humanæ Artis portenta. Hic Ctaſiphon erexit Dianæ Epheſinæ Templum, cujus fundamenta contuſi carbones, & lanæ vellera, quam centum viginti ſeptem columnis totidem Reges fulciverant, cui exſtruendo etſi tota Aſia manum admoverit, tamen poſt ducentos viginti annos vix manum ultimam potuit admovere. Ibi viginti quinque cubitis alta ſe ſe levant Artemiſiæ Mauſolæa, quibus iſtam Mors inſculpſit Epigraphen.

*Propert. l. 3.*

*Nec Mauſolæi dives Fortuna ſepulchri,*
*Mortis ab extrema conditione vacat.*

Sed & Coloſſum Rhodium oſtendit Chares, cujus digiti majores ſtatuis, qui etiam jacens, Miraculo Orbi fuiſſe dicitur. Jovis Olympici ſimulacrum monſtrat Phidias, ut videas, in hoc DEO nil boni fuiſſe præter materiam, atque Authoris manum. Ibi viſuntur Obeliſci Ægyptij, qui quadringentis, octoginta cubitis alto vertice Sidera feriunt: hìc ſe attollunt Pyramides, tam vaſtæ molis, ut earundem unica, viginti annis vix bene erecta, totam exhauſerit Ægyptum. Nam ubi à Rege Cleope tantùm in

*Herod. in Euterp.*

rapha.

raphanos, cepas, & allia, quibus Artifices veſcebantur in exſtruenda hac mole, mille ſupra octingenta auri talenta jam fuiſſent conſumpta, ad eas incitas Regem ſenſim redegêre im̃enſi ſumptus, ut proſtituere Filiam, quam formoſiſſimam habebat, pro conquirendis ærario paterno ſubſidijs, denique ſit coactus: adeò dum famam nominis ſuperbi quærunt, quærendo per ſcelera plerumq; perdunt. Sed Miraculis Orbis annumeravit quoque Antiquitas Babylonios muros, quinquaginta latos, ducentis verò cubitis altos: Semiramidis hortos, in aëre penſiles: Turrim illam in Pharo lucentem, octingentis auri talentis, in navigantium ſolamen erectam à Ptolemæo, Artifice Soſtratâ. Ut non commemorem Labyrinthos Cretenſes Authore Dædalo; *hic labor ille domûs, & inextricabilis error*: non Thebas Ægyptias, de quibus Satyricus: *Ecce! Vetus Thebæ centum jacet obruta portis*: non Amphitheatra Domitiani, de quibus Vates Romanus: *Plinius. Herodot. Virg. Juv. Marti.*

*Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,*
*Unum pro cunctis Fama loquatur opus.*

Ut nihil dicam de aurea Neronis Regia, quæ inſtar Theatri, nunc monſtrabat ſtagna cum piſcibus, nunc ſylvas cum omni genere ferarum: ibi exhibebat ſidereos tractus, ſic manu Artifice elaboratos, ut illos argenteæ volucres permearent: hìc in ſolarijs *Sphengitem* lapidem oſtentabat, quo veluti radiante Phœbo, nox in exilium pulſa, diem Aulæ perpetuum relinquebat. Ut nihil loquar de Solymæis palatijs; de Solis Regia, quæ

*Sublimibus alta Columnis,*
*Clara micante auro, flammáſque imitante Pyropo:* *Ovid. Metam. l. 2.*
*Cujus ebur nitidum, faſtigia ſumma tegebat:*
*Argenti bifores radjabant lumine valvæ:*
*Materiam ſuperabat opus: nam Mulciber illic*
*Æquora cælarat, medias cingentia terras,*
*Terrarúmque Orbem, Cælúmque, quod im̃inet Orbi.*

LEUC: Magnificam oſtendis Artem in Magnis; fors tamen eſt adhuc major in parvis: nam ſi ea eſt Artis indoles, quæ Naturæ, majori gloriæ ducit utraque, ſi ad Conditoris veſtigia, *in minimis maxima* eſſe queat. Equidem me quod attinet, non tam miror Coloſſos Rhodios, quàm nuci incluſam Homeri Iliadem: non tam eductas in Cœlum Pyramides, quàm Myrmecidis cùm quadrigam, tum navem; illam equis, hanc remis, velíſque in-

 ſtru-

ſtructam, utramque adeò exilem, ut illam Muſca, hanc verò Apicula alis ſuis contegere, penitúsque abſcondere potuerit. *MEL:* Non invitus tuæ ſubſcribo Sententiæ, cui jam dudum ſubſcripſit Carolus V. Maximus Imperator, qui Gandavi non tam ingentia illa Pomœria, quàm parvulas illas machinas eſt demiratus, quibus illum non ſemel recreavit Jannellus Turrianus, illius temporis Archimedes. Nam ſæpe in menſa, compendioſâ veluti Matris palæſtrâ, exhibuit armatos exercitus, qui cum tubis, & tympanis ſtupenda ſine ſanguine fingebant prælia. Nunc paſſerculos ligneos monſtrabat volantes, & revolantes: nunc molas ferreas, ſuâ ſponte verſatiles produxit, tantæ ſubtilitatis, ut omnes manicâ occultaret, etſi tantum tritici quotidie molerent, quantum octo hominibus in dies ſingulos alendis, abundè ſufficeret. Mirentur alij Epéi equum, Machinam Trojæ fatalem; magìs me rapit ſculptus in gemma annuli Phaëton, quatuor equis invectus, diſtinctè adeò, ut ſingulorum equorum frena, dentes, ac pedes ſedecim facilè notaverit oculus, etſi crura bene articulata crus pulicis non exceſſiſſent: magìs me rapit Rheda illa, quatuor equis inſtructa, quam Artifex quidam Helvetus, Ludovico XIII. Galliarum Regi obtulit, tantâ exilitate, ut unguis magnitudinem totum opus non ſuperaret. Obſtupeſcant alij Memphin, in centum quinquaginta ſtadia protenſam, ego miror ceraſi nucleum, in formam corbis elaboratum, in quo quindecim teſſerarum paria, ſuis punctulis affabrè diſtincta, continebantur: ego miror denarioli illius orbiculum, in quo ſymbolum Apoſtolorum, unà cum Evangelio D. Joannis, ſubtiliſſimo calamo exaratum, legit Clemens VII. Pontifex Romanus. Sed quid Artis prodigia è longinquo conquirimus, cùm domeſtica propemodum vileſcant? quid communius, quàm ciceris grano incluſos cernere cyathos plùs quàm centum, eósque ſingulos, rotatili anſulâ, infra cuppam inſtructos? quid obvium magìs, quàm videre Chriſtum è Cruce pendulum, unà cum Longini, equo inſidentis, haſtámque vibrantis effigie, anſerino calamo incluſum? hæc quia ſæpius viſa, pretium deperdunt, non Artem: quæ ſi vidiſſet Callicrates, ſua minima maximis non prætuliſſet, ſed velut noſtris minora minimis contempſiſſet.

*Strada Dec. 1. l. 1. ad an. 1557.*

*Hadrian. Jun.*

*Franc. Alumaus.*

LEUC: Enimverò demonſtras, quòd ſicut in conchylijs gemmæ, ita in parva quandoque pixide, magna latere ſoleant.

Nem-

Nempe *Ars Simia eſt Naturæ*, utraque *mira in minimis, imò tota. MEL:* E Philoſophi Tripode hoc hauſiſti Oraculum, cujus veritatem Magia Technica ſexcentis facit experientijs manifeſtam. Quid in Natura mirabilius Cœlo, & curſu Siderum? & tamen hæc omnia in Archimedis unicâ ſphærâ Ars tanto prodigio eſt imitata, ut omnes omnium Siderum motus, intricatos curſus, eclypſes, phaſes, aliáque Aſtronomiæ Phœnomena exactiſſimè repræſentaret, nullo diſcrimine, niſi quod Natura in im̃enſo Cœli hemiſphærio, Archimedes in parvo ſphæræ hemicyclo; quod illa è longinquo obſcuriùs, hic in propinquo clariùs exhiberet: imò multo diſcrimine; nam cùm Naturam in Cœlo ſuppleant Intelligentiæ, rotando Sidera, in Archimedis ſphæra ſolo artificio regantur. Quid in Naturæ Theatro magìs ſtupendum, quàm meteora cœleſtia? & tamen Ars humana ſi minùs aſſequi poteſt Naturam, ſaltem ingenioſiùs imitatur. Fulmina, atque tonitrua refert in pulvere pyrio, intra bombardam accenſo: in auro fulminante, in fiſtulis, quibus Aurifabri momento ſolvunt metalla, & denique in globulis, aquâ nitrosâ refertis, & hermeticè clauſis, qui carbonibus impoſiti, terribili mox fragore diſſiliunt? quid communius Iride, per ſiphones in aëre formatâ? quid Archimimis eſt uſitatius, quàm ex tholo ferreo artificialem demittere pluviam, quæ, ubi inferiùs frigidior aura per folles cietur, mox crepitantem condenſatur in grandinem? Et quia in pluvias incidi, quas præter Naturæ ordinem effundit cœleſtis Amphora, curiosâ digniores memoriâ legimus ſequentes. Anno Salutis 1510. in Lombardia lapidibus pluiſſe, quorum unicum 120. libris appenſum, Regíque Franciæ monſtratum, Cardanus eſt Author. Ferreæ pluviæ meminit Plinius, aureæ Ammianus: ſanguine, lacte, cinere, frumento, ranis, muribus pluiſſe, paſſim referunt alij: celebris eſt quoque vitulus Avicennæ; imò & vetula, quam Mantuæ, anno prioris ſæculi decimo octavo, per aërem portatam, in campo denique, non procul à fœniſecis depoſitam legimus. Ubi illud, velim, advertas, quod Patrem Fabri, Virum Eruditionis laude honoratum, non immeritò advertit: nimirum Ephemerides ſæpe, eâ licentiâ, vel auxeſi conſcriptas, ut Phyſici non rarò cum Chymæris, velut novi Bellerophontes, magno labore, nullo fructu congrediantur. Subin Ars Magica ejusmodi format Joves Aquarios: non nunquam

*Cic. diſp. Tuſcul.*

venti, ſimilibus Orbi ſpectaculis illudunt. Sic rapuit Aquilo lotricem illam Mantuanam, ut oſtenderet, inter tot Sagas ſaltem ſemel volâſſe unicam innocentem. Sic in Mazovia tectum domui ereptum, poſt quatuor milliaria Polonica terris denuò eſt reſtitutum: aliud Antvverpiæ, ventorum impetu, ſublatum in aëra, mox non laxatis trabibus, in terram denuò depoſitum legimus. Quid ergò mirum, quòd & vituli, ſaxa, cineres, flores, ventorum alis volantes, ex aëre velut per pluvias decidant. Meminit Cardanus, ſe Apennium quondam profectum, à flante ferociùs Auſtro ſpoliatum pileo: junge Cardano ſexcentos Comites, quibus pileos, ſubito impetu, abripiant venti, & in remotiores campos, aut villas deportent: nunquid hiantibus buccis attoniti Incolæ, pileorum imbrem ſpectabunt, ſibíque Jovem propitium gratulabuntur? Cæterùm pluviæ, quæ videntur ſanguineæ, ſive lacteæ, vapores ſunt, minio, vel rubricâ tincti, aut cretaceæ exhalationes: hinc in Armenia, quod minio abundat, rubras aliquando nives decidere, Euſtachius Author eſt. Ad meteora pertinent illi, qui ſine Arte fatidici, veridicíque, ipſis Aſtrologis futura prædicunt, infallibili plerumque Horoſcopo: talis erat Rex Angliæ Henricus, hoc nomine Septimus: quem cùm Ardelio ſpargeret, Fatis breviter conceſſurum, is illi hoc problema ſerenâ fronte: an ex Aſtris tibi jam notum, ubinam imminentia Chriſti naſcentis Feſta ſis transacturus? hærenti, ſubintulit: adeóque ego Artis tuæ te ipſo peritior; nam ſcio, te futurum in turri Londinenſi, móxque ad hæc ergaſtula juſſit infauſtum abripi. Ferociùs nugatorem ſimilem tractavit Joannes Galeacius Dux Mediolani, nam cùm ei Aſtrologaſter maturam mortem prædiceret, ſibíque ipſi mitiores Parcas polliceretur, hominis ridens ſtoliditatem, Fata illius præcepit laqueo abbreviari. Lepidiùs ille Princeps Germaniæ, inter duos Aſtrologos Arbitrum egit, & Judicem: nam venatum egreſſo, ſerena omnia Aſtrologus eſt auguratus; ſed Principi mox occurrit agricola, qui pluviam ei imminere magnis vocibus ſignificavit: & pluit certè, cùm

*Laudat Aratorem Princeps, illúmque docere*
*Aſtra, ſed Aſtrologum ſumere raſtra jubet.*

LEUC: Argutè: ſic vulpinandum cum vulpibus; ſic Arte Ars ipſamet emendanda. Docuiſti Cœli Phœnomena, Artis

ingenio

ingeniô adumbrata: an paria de Brutis ſpecimina, in tuo viſenda Technophylacio? *MEL*: Quid dubitas? En! hìc volantes Archytæ columbas: En! Dædali Aquilas, aliáque gentis pennigeræ Ectypa, eo Artificio ſculpta, ut Plato de iiſdem ſit ſolitus dicere: *Artefacta Dædali, niſi clavis, vinculisque forent affixa ſtylobatis, avolarent.* En! Regiomontani mirabilem muſcam, quam Dædalus iſte ex ferro ſic fabrefecit, ut ab Artificis manu ſponte avolans, ad omnium convivarum orbes, calicésque diverteret, & indidem, ceu feſſa, poſtliminio ad herilem manum revolare, poſitíſque alis requiêſſe condiſceret. Ejuſdem Aquilam aſpice, Carolo V. Norinbergam adventanti, volantem obviàm, ac ad Urbis uſque portam, humanitate mirabili deducentem. Hìc cerne Cochleas, & Teſtudines, quæ, quamquam è ferro factæ, nullo tamen vitæ indicio caruêre: ſed prominulis cervicibus, & pedum palmulis, ſcienter è ſcuti tegmine prolatis, terram ultrò, citróque perambulârunt; & ſicubi obex occurrebat, priùs ſanè quàm in illum impingerentur, tempori divertere, retróque cedere, nullo Rectoris imperio conſueverunt. Ibi Artis Phidiacæ vide torevma clarum: de quo Poëta: *piſces aſpicis? adde aquam, natabunt.* Sed & Mentoris contemplare Lacertam, de qua idem Martialis: *inſerta phialæ, Mentoris manu ducta, Lacerta vivit, & timetur argentum.* Imò non modò bruta, ſed & homines æmulatur Ars hominum fere, plusquàm humana. Memnonis ſtatuam ignorare non potes, quæ Phœbi orientis percuſſa radio, humanis vocibus eſt allocuta amicum Sidus: nec Dædali ſtatuas, ultrò, citróque diſcurſantes: nec triremem illam, Carolo V. Pariſijs oblatam, quam remiges pretioſi, quia argentei, impellebant, ſiſtebant, & pro libitu agebant retrò. Et illa ſtatua laudabat ſuum Artificem, quam Artificiô tubi acuſtici loquentem, oculos moventem, & linguam, anno elapſi ſæculi octuageſimo ſeptimo Regi Angliæ, 24. millium florenorum pretiô oblatam legimus. Nec æneum horologium illud, ab obvio quovis Cyclope, reor, elaboratum, quod Carolo M. transmiſſum à Calipha, priusquam pulſaret horas, duodecim equites emittebat, qui totidem claudebant feneſtras, ut horis ſingulis monſtrarent non tam ſibi, quàm mortalibus omnibus vigilandum. Et illa machina probârat ſcalprum manu Phydiæ non indignum, quæ exhibebat Thronum, in Throno Imperatorem

*Plin.*

*Bidermannus.*

*Idem.*

(Conſtantinum Magnum) repentè ſublatum ad Sidera, rugientibus Leonibus æneis, quibus ſuſtentabatur; & accinentibus aviculis, quas arboris æreæ ramis Ars plusquàm Dædala affigebat. Hæ ſtatuæ excogitatæ ad luxum, ad luctum aliæ, quas, Perillo Artifice, Tyrannorum ingenia invenêre: talis erat Habidis Spartani, quæ amplexu fatali ſic ſtringebat ſuos Amaſios, ut cum vita halitum exſpirarent. Talis erat Fenellæ Reginæ, dexterâ præferens pomum aureum, & quidem gemmis confertum, ut eſſet majoris ad mala Fata illicij. Nam gratum oculis, fatale manibus hoc erat ſpectaculum, in Regis Scotiæ perniciem excogitatum: vix enim tetigiſſes hoc malum perfidiæ peſſimum, cùm illicò denſus telorum imber erupiſſet ex ſtatua, téque centum vulneribus obrutum, exturbâſſet priùs è vita, quàm vitæ periculum advertiſſes. Bellum Hercle voluptatis tranſitoriæ Ectypon, quod dum ſuaviter allicit, turpiter decipit, dúmque porrigit pomum, vitam ſurripit, & Paradyſum, Authore Mellifluo.

LEUC: Non infelici ſcalpro Ars imitatur Bruta, & Homines: an minore prodigio fors laborabit in plantis? *MEL:* Minimè gentium: ſpecimen profert Regina Saba, quæ quondam exploratura Salomonis prudentiam, eidem obtulit geminos florum faſces, quorum unum Natura, alterum ad Naturæ invidiam ſic formaverat manus Artificis, ut nec Salomonis oculi repererint diſcrimen. Sed oculos ſupplevit Sapientia plùs quàm humana, dum ſagaci judicio tulit judicium, litémque diremit, adductâ Apiculâ, quæ per multiplices gyros, & ipſa dubia, tandem in naturali florum manipulo mellilega reſedit. Alterum ſpecimen dat Inca Garcilaſſo, Princeps è Regum Familia oriundus, qui narrat in Regijs Peruviæ hortis, cùm etiamnum rerum potirentur Majores ſui, denſas ex aureis, argenteíſque herbis, atque arboribus ſtetiſſe ſylvas; quin & ipſas horti areolas, ejusmodi floribus ſuperbiîſſe, ut per muros quoque Regiæ domûs frondes aureæ, ad inſtar hederæ, ſerperent. Verùm, ùt diſertè fatetur, nequaquam hoc Naturæ vegetantis, ſed Artis encauſticæ erat opus, quæ adeò ſcitè has plantas elaborârat, ut etiam colore à veris ſtirpibus non differrent, ſed & cortex, & folia, fructúsque Naturam, raro Artis prodigio, æmularentur. Sed ejusmodi Paradoxa Artis theamata ſine fine in medium afferre poſſet ſanctiſſimus ille Sophus juxtà, ac Martyr, Severinus Boëtius, qui ſecretioris

*Paolett. ſer. 16. de S. Joan. Bapt.*

*l. 6. c. 1.*

tioris Philoſophiæ, ac Matheſeos operâ, non ſemel effecerat, ut ipſa Chloris non dignoſceret flores veros à fictis; ut metalla mugirent, ſerpentes æneì ſibilarent, ſimulatæ aviculæ canerent, æreíque homines in aëre buccinarentur, adeò ut apud rudem plebeculam audîerit Magus, cùm tamen non eſſet niſi Magiſter artificialis Magiæ, verus Philoſophus, quia ſanctus.

LEUC: Eſt hoc nempe Cerdonum ſtigma, *ut quæcunque ignorant, blaſphement.* *MEL;* Imò eſt hæc ſophorum characteriſtica, poſſe ſuſpendere popelli ora, & ludum facere indoctos. Si Melis adipe capillos illinas Idiotæ, expergefactus ſtupebit ſe ex Juvene canum, cum Poëta exclamans: *O nox, quàm longa es, quæ facis una Senem.* Si manum lini oleô illinas, liquatum ſine dolore tractabis plumbum; ſulphuríſque accenſi fumo Therſitem dealbabis Æthiopem. Sed quis in numerum cogat innumera Magiæ hujus prodigia, quæ paſſim referunt curioſioris Philoſophiæ Cultores? Ars poteſt pro libitu mutare colores: ſic viſa quondam lilia nigra, corvi candidi, Cygníque corvis omnibus nigriores: poteſt accendere nivem, & glaciem, efformare ignes in aquis ardentes, in aëre prorſus innoxios: poteſt efficere, ut ſurdi percipiant Muſicam, ova diſcurrant in orbitam, res viſæ absque Gygis annulo, diſpareant, oculíſque ſubitò eripiantur. Poteſt cum Archimede, per ſpecula cauſtica, incendere hoſtium claſſes, etiam diſſitas: per mirabiles machinas, & paradoxos telorum imbres ſic diſſipare inimica obſidentium agmina, ut non contra homines, ſed contra Deos Olympum ipſum ſe impugnare exiſtiment: poteſt, *quamvis molem quibuslibet movere viribus,* & prodigioſæ trochleæ beneficiô ingentes attrahere onerarias: imò ſi extra Tellurem locum aſſignes, quo pedem figat, ipſum globum Terraqueum loco poterit dimovere. Poteſt cum illo Artifice Tiberij Cæſaris vitro dare temperiem flexilem, ut jam non fragiles phialæ, in terram alliſæ, intumeſcant ſolummodo, & contuſæ malleo complanentur; Artifex mori juſſus à Cæſare, ne aurea præ vitreis hominibus vileſcant. Poteſt lucernas fabricare inextinguibiles, meritò illuſtres, quia perenni lumine illuſtratas: ſic Africanæ Eccleſiæ Lumen inextinguibile, Auguſtinus teſtis eſt, lucernam ejuſmodi in fano Veneris olim inventam, quæ, oleo nunquam abſumpto, mille, & ampliùs annos, jugi lumine, exæquârat. Ubi adjungit Ludovicus Vives, eruto quondam condito-

*S. Judas.*

*Euſtadij in horto Epiſc.*

*P. Schottus.*

*PP. Gallenſ.*

*l. 21. de Civ. c. 6.*

ditorio, candelam eſſe repertam, quam ſupra annos mille, & quingentos arſiſſe inſcriptio prodidiſſet, ſed in manus acceptam mox in pulverem minutiſſimum ſolutam. Non abſimile quidpiam perhibet Fortunius Licetus de lampade Tulliæ, Ciceronis Filiæ, quæ reperta ſub Paulo III. annos circiter mille quingentos nonaginta tres, inconſumpto pabulo duravit, ſed aëre ventilata, momento citiùs, defecit. Poteſt denique, quod fieri poſſe negabant plùs quàm viginti jam ſæcula, poteſt, inquam, efficere *perpetuum Mobile, Motúmq;*, in quo architectando tota Antiquitas, toto Ingeniorum motu, jam deſudârat. Fuêre, qui cum Geometriæ, Staticæ, & Hydrauliæ operam, ac etiam oleum in ungendis tot rotis jam conſumpſiſſent, hunc motum ad impoſſibile reduxerunt: dum denique P. Antonius Martini, Matheſeos in Collegio Romano Profeſſor, anno millesimo ſexcenteſimo quadrageſimo, horologium Hydraulicum, cujus figuram, & machinam hìc deſcribere inſtituti noſtri non eſt, publicæ concertationi expoſuit, cum hac inſcriptione: *Motus perpetuus diu deſideratus, conquiſitus diu, non poſſibilis modò, ſed facilis, & ad praxin reducibilis.* Subinde, cùm hydraulico huic horologio nonnullæ difficultates, ſuperandæ tamen objicerentur, P. Stanislaus Solski, ejuſdem Religionis, ac ſtudij Aſſecla, & ipſe poſt aliquot annos, in illud Archimedis εὕρηκα proru-pit, ſitulis ita coaptatis, ut aquam è puteo, alternis ſine quiete motibus, attraxerint, cui machinæ ſequentem titulum inſcripſit Author: *Machina motûs perpetui Artificialis, quæ ſemel concitata ad motum, ſe ipſa perpetuò movetur, ſine ullo adminiculo externo.* De cujus ipſius Machinæ architecto, non nemo Philoſophus, *inventum,* ait, *hoc Sæculo noſtro, qui metas à Natura, ùt videbatur, Arti præſcriptas ſit tranſgreſſus; repertum Columbum, qui centrum jam non conſiſtentiæ, ſed motûs indefectibilis in hoc ovo contumaci detexerit.*

*Schott. in tech. Cur. l.* 10.

LEUC: Mira refers, quæ plùs quàm multa prodigia ſtupeſcet rudior in foro tribus: adeò Ars thavmaturga lipporum oculos non raro ludit, cerebróque inerudito illudit! *MEL:* Imò non imperitos ſolummodo, ſed & Artis peritos, ac peritiſſimos Ars ipſa luſit, eò gratiore ſpectaculo, quò magìs imitata Naturam, ut Artem non agnoſcerent ipſimet Artis Magiſtri. Notæ tibi ſunt uvæ, quas penicillo tam felici Zeuxes expreſſerat, ut ad eas decerpendas certatim advolarent aviculæ. Sed adhuc notius tibi erit Parrhaſij linteum, tam affabrè Naturæ aſſimilatum, ut Zeuxes ipſe

ipſe à tabula id remoturus, hoc Artis prodigio, non ſine rubore ſe ſenſerit deceptum. Zeuxis aves, Parrhaſius decepit Artificem, ſed artem ipſam propemodum fefellit Apelles, dum Protogenis lineæ ſuperaddidit ultimam lineam, eo ſubtilitatis prodigio, ut ipſam oculorum aciem propemodum fugeret: & nunquid oſtendit diei ſuæ ſuffeciſſe hanc lineam? hinc legimus, tam fuiſſe induſtrium, ut nulla eidem dies ſine linea elaberetur: tam peritum, ut in ergaterio ſuo hoſpites haberet Alexandros, Artis prædicatores: tam celebrem, ut iidem edicto publico vetarent, ne ab alio pingerentur: tam denique inimitabilem, ut Cois inceptum opus, cùm morte præventus imperfectum relinqueret, repertus ſit nemo, qui ultimam eidem manum imponere præſumpſiſſet. Illud de hoc Artifice Fama ſpargit, quòd inito cum Æmulis ſuis certamine in efformando ſonipede, cùm Judices aurô corruptos, veluti cæcos de coloribus judicare notâſſet, ad Brutorum provocârit Tribunal: nec infelici eventu; nam quadrupedes à ſingulis depicti, cùm in orcheſtra equis oſtenderentur, Apellis tantùm ſonipedi adhinnivêre. Sed & Zeuxes non uno ſpecimine ſe fecit Orbi mirabilem: imò mirabilem & ſibi ipſi ſe reddidit, dum pictæ Penelopi hanc ipſe epigraphen: *inviſurum faciliùs Zoilum, quàm imitaturum.* Hinc tanti habuit ſua opera, ut dono daret, non venderet, ratus, nullum pretium unquam fore condignum. Accidit tamen, ut ubi ephebulum pinxiſſet, ferentem uvas, móxque advolarent Aviculæ, operi ſuo iratus dixerit: laudant uvas Aviculæ, ſed vituperant Juvenem; hic enim, ſi aſſequeretur Naturam, aves non advolarent. Peritiùs egit Timantes, cùm ipſam Naturam fefellit, novóque ſtratagemate ſuperavit. Nam in Iphigenia, Aris immolandâ, cùm Patris dolorem dignè non poſſet exprimere, velavit vultum, ratus nunquam magìs ſe expreſſiſſe Naturam, quàm cùm dignè non poſſe exprimi oſtendiſſet. Ariſtidis Thebani manum non affero; ſufficit, tanti fuiſſe æſtimatam ab Attalo, ut unicum ejusdem opus centum talentis licitatum eſſe perhibeatur.

*Plin. l. 35. c. 10. 11.*

LEUC: Arti pictoriæ Aras alij erigant, ego Orphei cytharam, in Technophylacio Palladi ſuſpenſam veneror. Percipe, quo illam ænigmate adumbret Sphinx Philoſophica.

*Muta arbor fueram, quæ nunc modulòrque, canóque,*
*Vita mihi ſic Mors, Mors mihi Vita fuit.*

*Invida viventi mihi quam Natura negârat,*
*Poſt obitum felix addidit Ars animam,*

*MEL:* Muſicam tangis, inter Artis miracula facilè Reginam. Nec fruſtra *Clavim cordium* dixêre clavi-chordium Muſæ, adeò thavmaturgâ pollet virtute. Orpheus eſt, qui humanis affectibus ſic dominatur, ut non æquè facilè inclinationes hominem prodant, ac cùm ſonus, per aures ingreſſus, totum hominem, ad tactam cytharam convocat. Tunc enim arrectis mox auribus immotus aſſidebit Melancholicus, modò ad devotionem, modò ad rerum omnium contemptum, ad triſtitiam denique profundiſſimam delabetur. Phlegmaticus ſubridebit primò, mox uno aut altero generoſioris maſſici cyatho faciet intervalla, denique etiam in placidum ſe claudent lumina ſomnum. Sanguineis contrà prurient in ſaltum pedes, accinent ipſi, & ad communem lætitiam obvios quoslibet convocabunt. Cholerici denique, & ipſi de gravitate ſua paululùm remittent, cenſores agent, ac poſtliminiò repedabunt ad ſua. Bene Muſicam hoc decoravit elogio Vates ille, dum cecinit:

*Muſica turbatas animas, ægrúmque dolorem*
*Sola levat, meritò Divûm Hominúmq; voluptas,*
*Qua ſine nil jucundum animis, nec amabile quidquam,*
*Ad cujus numeros Superi vertuntur, & Orbis.*

Rationem horum refundit Phyſica in unionem illam arctiſſimam, qua anima corpori colligatur: hinc illi effectus ſympathici, quibus anima, utut ſpiritualis tota, nunc patiente corpore patitur, nunc cum lætante lætatur. Organo nempe pnevmatico non abſimilis homo eſt, in illo ſi tangas claves, ut vocant, dant ſonitum fiſtulæ; in hoc ſi moveas ſenſus, anima conformi ſymptomate cooperatur. Unde non difficulter intelliges, qua ratione Davidis cythara è turbulento Saule expulerit Sathanam; id enim ſi virtute directâ contigiſſe exiſtimes, hallucinaberis: quid enim Muſica non habenti aures? ſed harmonia hæc potiùs Saulis temperiem, furore penitùs conturbatam, ad quemdam redegerat ordinem, ſicque Stygium hoſpitem, qui non piſcatur, niſi in turbido, domicilio deturbavit. Intelliges, qua ratione a Micheas, & Eliſeus Spiritum Propheticum per modulos Muſicos excitârint: Lucius Sylla animi motus ſedaverit: b Democritus Clytemneſtram in Caſtitate firmârit: qua ratione Theodoricus

a 4. *Reg. c.* 3.
b *Homer. Odyſſ.* 3.

Rex

Rex ad domandos Barbaros: c Cyrus ad animandos Martiali furore milites Muſicâ uſus ſit: qua ratione d Legislatores per Muſicam Juventuti inſtillaverint leges, Græci contrà, ac Arcadij ferinam indolem induerint, ab eo tempore, quo à Muſica diſceſsêre. Intelliges, qua ratione Pythagoras adoleſcentem quemdam Taurommeum, inſano amoris œſtro percitum, ſpondeo perſonante reddiderit tranquillum: qua Theophraſtus commotos animi fluctus, Orionis cytharâ, ſolitus ſit ad priſtinam revocare malaciam: qua Terpander ſeditionem Lacedæmoniorum ſedaverit: Empedocles Juvenis ſanguinolentum furorem repreſſerit: qua Theodoſius, ob dirutam Uxoris ſtatuam in Antiochenos vindictam ſpirans, inter epulas ſic cantu ſit delinitus, ut non modò pepercerit, ſed etiam ingemuerit: in cauſa nempe ſunt ſpiritus, quibus veluti adminiſtris Anima operatur: hi enim, cùm ſubtiliſſimi ſint, & ſanguineus veluti vapor, adeóque facilè mobiles, aëre harmonicè concitato mox ſimiliter animantur, quam concitationem advertens anima, pro vario ſpirituum motu, varios quoque induit affectus. Intelliges denique, quomodo, referente Kirchero, ſæpe peſtem, Lycantropiam, aliásque infirmitates ab ægris depulerit Muſica, medicina eò magìs optata, quò minùs amara. Vitales ſiquidem ſpiritus, ſtatim atque ſonos acutos, aërémque celeriter commoventes percipiunt, motum illum, ejúsque rhythmum facilè imitantur, tandémque redditi celeriores, calidiores, phantaſiam de malo, animæ moleſtam, avertunt, exhilarant, humores noxios diſſipant, vapores tetros attenuant, mitigant, quibus morbi procreabantur.

c *Cic. l. 2. de leg.*

d *Æli. l. 2. de var. hiſt.*

*Plut. de Muſ.*

*S. Gallenſ*

*Phonurg. l. 2. ſect. 2. c. 2.*

LEUC: Quæ ad Apollinis Lyram ſuſpenſa proſtat ex vitro machina? quid ſibi purpureus, in pellucido hoc tubo liquor? *MEL;* Thermometrum vides, inſtrumentum non minùs, quàm cythara, Apollinis dignum genio, atque ingenio: nam cythara affectus animi librat, Thermometrum frigoris, & caloris incrementa menſurat; invento adeò paradoxo, ut ſi illud vidiſſet Antiquitas, purpuratam Thetidem, in hoc throno vitreo mobilem, thure, & victimis adorâſſet. Arti ſuos debet Natales, quos ab erudito Drebellij cerebro hauſiſſe ferunt: perfectiorem ſubinde manum impoſuêre Ottones Gericke Magdeburgi, Kircheri Romæ, Academici Lyncei Florentiæ, ut adeò vix ſit Scientia, quæ non ſpeciale commodum traxerit ab hoc divino propemodum

invento. Exinde enim Aſtrologia deſumit peculiares cœleſtium corporum influxus, Geographia climatum Naturam, Optica aëris refractiones, Medicina liquorum, & ſalium comixtionem ad debitum frigoris, ac caloris temperamentum, Chimia ſtatum cujuſque rei eliquandæ terminum, & Phyſica denique colligit caloris, & frigoris incrementa, & decrementa. Nam ſi apertum inferiori ex parte ſit Thermoſcopium, creſcente calore decreſcet liquor, utpote qui aperto oſtiolo facilè tunc cedet aëri, per calorem ſe extendenti. Contrà, ſi utrobique clauſum ſit orificium, invaleſcente calore aſcendet liquor, séque extendendo ſurſum protrudet aërem, quia viribus debiliorem. Quòd ſi manus ſuperiori ex parte calefaciat vitrum, rarefacto aëri cedet liquor, eò faciliùs, quo nativo frigore magìs eſt condenſatus. Ubi vides, experientiam adeò paradoxam refundi in corpora nunc per rarefactionem extenſa, nunc per condenſationem compreſſa. Quòd ſi ulteriùs à Phyſicæ Cultore petas, qua ratione id ipſum contingat, hærebit paululùm, mox contractis humeris reponet; ſunt, qui aquæ per calorem elevatæ, & ob frigus denuò ſubſidentis hanc cauſam allegant, quòd nempe liquor ab agente extrinſeco calefactus apertis meatibus tenuiores halitus, & intruſa corpuſcula per vitri poros recipiat, & frigore conſtrictus eoſdem denuò repellat. Sunt, qui ad ubicationes majores, vel minores confugiunt, quibus volunt corpora rareſcere, vel condenſari non per intus ſuſcepta, vel ejecta corpuſcula, ſed per eaſdem materiæ partes, ob alteratum temperamentum, jam magìs extenſas, jam magìs contractas. Utramque Sententiam veritatis quodam ſplendore illuſtrant, ita tamen, ut ſuæ non deſint tenebræ his lucidis intervallis. Hi luctantur cum punctis inflatis, vel ſaltem indiviſibilibus, quæ in Ente materiali exigerent modum exiſtendi definitivum, ùt habet phraſis ſcholaſtica: nec non cum materia, quæ modò ſpatium occuparet majus citra replicationem, modò minus citra compenetrationem. Illis obſtat multitudo pororum in vitro, aditúsque non ita facilis per tormenta metallica; copia ignis in pulvere pyrio, vel ſaltem defectus materiæ tantæ heterogeneæ: imò obſtat ipſa aura ætherea, quæ videtur ſubtiliùs conficta, quàm probata ſolidiùs. Quidquid ſit, me vadem non interpono: fortè duos inter litigantes gaudebis tertius, ſi dicas, rarefactionem non rarò fieri utroque modo, quo ſcili-

cet

cet corpus exigens ubicationem majorem ſe ſe dilatet, ſícque dilatatum intromittat corpuſcula, ſenſim ſine ſenſu, per omnes corporis rarefacti partes intruſa.

LEUC: Alia è Regione machina ſe ſe oculis ingerit, priori non multùm diſſimilis, ut in hoc Artis technophylacio gemellos meritò credam, Caſtora, & Pollucem. *MEL:* Barometrum vides, quod ab Authore tubum Torricellianum appellant. Hunc inter Artis Miracula putes Prophetam, vel ſi mavis cœleſtem Mercurium, qui Diphtheræ cœleſtis arcana Mortalibus prænunciet Augur ſimul, atque Interpres: nam hic Hydrargyrus ad altitudinem certam ſuſpenſus, per varias aſcensûs, & deſcensûs viciſſitudines, alijs inſtantem tempeſtatis mutationem, alijs externi aëris gravitatem, univerſis ampliſſimam diſcurrendi materiam demonſtrat: inventum vix non divinum, cujus experimentum non ſolummodo Sereniſſimos Uladislai IV. Regis oculos in Polonia, Purpuratorum Principum in Italia, & Illuſtriſſimorum quorumvis hominum in Gallia ad jucundam ſui contemplationem pertraxit, ſed quod teſte Schotto multorum ingenia, & calamos excitavit, ut effectuum tam mirabilium cauſas & indagarent, & inventas publico conſignarent. Porrò præcipua hujus experimenti Phœnomena ſunt, quòd quantumcunq; longus, latúsque ſit tubulus, Mercurius ad altitudinem 27. digitorum deſcendat. Si in ſtagnante Hydrargyro vitrum inclines, aſcendet ad connaturalem ſibi menſuram: ſi tubulus 27. digitos æquet, nil de Hydrargyro defluet. Si in loco colloces ſublimiore, majorem altitudinem capiet in valle, quàm monte: denique ſi in Muſæo hoc inſtrumenrum ſuſpendas; deſcenſu nubila, aſcenſu venturam ſerenitatem prænunciabit: quorum omnium ſi analyſin phyſicam à Philoſophia exquiras, committes Sophos cum Sophis, & hoc pomo Diſcordiæ innumeras movebis lites. Clamabunt aliqui, ſe ex delabente Mercurio vacuum jam demonſtrâſſe ad oculum: ſed clamant in vacuum; nam ſolidiùs illi, qui vacuum hoc partim ſubtiliſſimo aëre, lateralibus vitri poris adhærente, aut ſuccedente, partim exhalationibus Mercurialibus occupant. Alij cuncta Phœnomena in metum vacui, ſat audacter, & ſine metu rejiciunt: ſed rejiciuntur ab illis, qui Mercurium æqualiter ſuſpenſum, per aëris gravitatem, & preſſionem illius elaſticam explicant: nam cùm columna aëris ſtagnanti

*In Tech. cur.*

Mercurio incumbat, trudátque deorſum, hoc ipſo ex iſtorum Sententia, Mercurialem columnam in æquilibrio ſuſpenſam tenet. Et ſic eruitur ratio phyſica, cur æqualis in diverſis tubulis altitudo Mercurij: quia nempe idem ubique æquilibrium tenet inter columnam aëream, quæ premendo ſuſpendit Mercurialem. Quòd æquilibrium, ſi aſcendendo montem, breviore aëris columna mutes, mox deſcendet aliquantùm Mercurius, ſi in Recipiente per extractum aërem omninò tollas, defluet totus. Sic flante Boreâ, Cœlóque ſereno altiùs aſcendit Mercurius, quàm flante Auſtro, Cælóque pluvio, eò quòd Cœlo pluvio aër ſit levior, quàm ſereno, Burgundis ſi fides eſt. Quòd ſi Cœlum ad ſpeciem quidem ſerenum, ſenſim tamen ſe diſponat ad pluvias, eluctantur ſurſum innumeri halitus, in imbres denuò reſolvendi: hinc eſt, cur minuatur aliquantulum aëris preſſio, & Mercurius deſcendere obſervetur: contrà Cœlo pluvio, ſed ad ſerenitatem ſeſe exhilarante, minor eſt vaporum aſcendentium copia: unde aëri vis major elaſtica, ut adeò Mercurius aſcendere compellatur. Prætereo hìc centum experimenta, quàm mirabilia viſu, tam difficilia explicatu, quibus in Artis Technophylacio videas, duo marmora lævigata, ſic cohærentia invicem, ut divelli vix amplius valeant: quibus ſtupeſcas Thetidem, naturali gravitate non obſtante, in altiſſimos montes ſponte eluctantem, ſi nempe canales, aquâ repletos, ſic colloces, ut pars anterior maneat immerſa ſtagno, poſterior deſcendat in campos, ſtagno profundiores: quibus denique mireris in tubis apertis, & aquâ turgidis, modò ſuperius orificium digito claudas, nec quidem guttam effluere; hæc & ſimilia paradoxa prætereo, non quod ratio me deſtituat phyſica, ſed in anguſtias contractum tempus. Si ex ijs quæ attulimus hactenus, non poſſis colligere horum analyſin, Authores conſule, qui ad famoſos vacui metus (aſylon, ùt ipſi aſſerunt, Philoſopho indignum) meticuloſi confugiunt neutiquam, ſed per gravitatem aëris, vímque elaſticam ejusmodi experimentis magis congruam phyſicam ſtatuunt, applaudente ipſo, ùt putant, Philoſopho: tantùm abeſt, ut è Peripato ob id exiſtiment ſe relegandos.

LEUC: Oſtendiſti hactenus mira, ſed (quod maximè miror) tot inter mira non oſtendiſti maximè mirum, Lapidem Philoſophicum. An tuum fortè Technophylacium *Stagiritæ* pau-

peri

peri conſecratum, quòd hoc Artis prodigio careat? *MEL:* Necdum tibi revelata Artis Secreta omnia: quod ultimum, optimum. En! Philoſophicum Lapidem, per quem Sophi intelligunt pulverem, aut tincturam quamdam, qua modica auri quantitas augetur in magnam, vel diſpoſita alieni mineralis materia in ſolidum aurum converti poteſt. De meliore hac Midæ virgula ſic noſtri temporis Vates: *Augurellus l. de Chryſop. ad Leon. X.*

*Ipſius ut tenui projectâ parte, per undas*
*Æquoris ( argentum ſi vivum tum foret æquor )*
*Omne vel immenſum verti mare poſſet in aurum.*

Ut adeò mirum non ſit, quòd pretioſum hunc lapidem, gemmis omnibus anteponendum, multi ſecretioris Naturæ ſigillum, & virtutem auriferam, ſeminali viventium virtuti ſimilem, nuncupârint. De modo hujus thaumatopæi lapidis conficiendi non convenit inter Authores: alius aliuni pro genio in Ingénio, vel furnis Chimicis excoquit, ut inter tot modos Ars iſta ſit ſine modo: adeò incertum ipſum Chryſurgiæ eſt fundamentum. Artis hujus Natales dicunt æque incertos: ſunt, qui ceras illius à Protoplaſto deducant; Authorem alij ſtatuunt Salomonem; alij ad fabulas convertuntur, ejúſque geneſin ab Aureo vellere, pomíſq; Heſperidum deſumunt, artémque in Pandoræ poculo mortalibus propinatam poëtantur. Omnium optimè Conimbricenſes, dum inquiunt: *Auri ſacra fames, ut aurum inveniret, Chimiam excogitavit, artem Naturæ vel æmulam, vel invidam:* dum *aurum progignere ſtudet, quod in ſola ſede Manium quæri ſolet,* ùt ait Plinius; quódque, ut ijdem Conimbricenſes loquuntur, *Terra à ſe progenitum gremio cohibet, ne, ſi pariat, non tam aurum fundat, quàm venenum luxuriæ, & avaritiæ.* *l. 2. Phyſ. c. 1. q. 7.* *l. 33.*

LEUC: Quis ergò tibi de Chryſopæia famoſiſſima ſenſus? an è Peripato Veritatis, ad fabuloſas Utopiæ Inſulas relegandam cenſes? *MEL:* Minimè: ſi ſuffragium meum exquiras, illorum accedo Sententiæ, qui per Alchimiam Chryſurgicam aurum effici poſſe, neutiquam ſpurium, opinantur. Sic enim arguo: poteſt Ars non viliora modò metalla, ſed ipſum quoque argentum & augere, & de novo producere, Authore Stengelio, qui ait: *Argentum ex argento vivo nuperrimè factum, atque Aurifabrorum examinatum judicio, probatúmque in manibus noſtris fuit.* Poteſt Platanum in Oleam vertere, & cadavera in ſtatuas ſalis: imò poteſt, *Diſp. de bon. Art. in Spec. Herod.*

appli-

applicando activa paſſivis, ùt phraſis habet ſcholaſtica, extra uterum generare viventia: ſic ex putreſcente materia producit lumbricos, ex luto ranas, ex terra Niliacis undis irrigatâ mures, canente Ovidio: *Eodem corpore ſæpe altera pars vivit, rudis eſt pars altera Tellus.* Poteſt generare ex aſinino ſtercore ſcarabæos, dignam iſthoc Parente ſobolem: ex herba Baſilica ſcorpiones, ex elixatura anatis bufones, ex equis veſpas, ex mulis fucos, ex cerebro bovino apes, teſte Virgilio: *quòque delectos, mactatos obruc tauros (cognita res uſu) de putri viſcere paſſim florigeræ naſcuntur Apes.* Poteſt ex furnis Ægyptijs integros educere pullorum greges: poteſt ex ligno procreare vermes: ſic maris fluctibus delatam aſſerunt trabem in Buthquaniam, qua per ſerram diviſâ, ingens vermium agmen proruperit, quorum alij rudes, alij aliquantulum formati: imò & eruperant aves, è quibus aliæ adhuc implumes, aliæ plumis inſtructæ. Poteſt denique ex varia ſeminum permixtione proferre fructus, & arbores prorſus mirabiles, & paradoxas: ſic in Creta ferunt, quocunque loco terram moves, gigni Cupreſſum: in Rhodo Aſpalatum, in Babylonia Palmam, in Macedonia Petroſelinum, in Libano Cedrum, in Ponto Abſynthium, Athenis Oleam. Quæ omnia, cùm Artis ingeniô, atque induſtriâ effici valeant, non video, cur aurum ſuperet Magiſterium Artis. Erit ſaltem Intellectus Angelicus, quem Alchimia latere nequeat, ut adeò nec *forma*, nec *materia*, nec ipſe *operandi modus* thavmaturgum videatur exigere brachium Omnipotentis.

*Hector Boëth. in hiſt. Scot. A.* 1490.

LEUC: Nî me fallunt, quæ híſce auribus non raro hauſi in eruditis Sophorum circulis, fuêre non pauci, qui aurum à ſe vel alijs confectum, fide authenticâ, conteſtantur, quos omnes, & ſingulos vel erroris vel fraudis arguere, res foret plena incautæ nimiùm temeritatis. *MEL:* Appoſitè loqueris, quia ad ſcopum: eſt hæc ipſa Authoritas, quæ in mea me firmat certiorem Sententiâ. Nolim hìc afferre in medium Aurum Caligulæ ex Arſenico confectum; Arnoldi Villanovani aureas Virgulas, Raymundi Lulli roſas, & nummos Auri puri, & Obryzi, Hetruriæ clavum mediâ parte ferreum, & mediâ aureum, Gregorij Friderici Electoris Moguntini novos aureos, quibus puriores ipſi monetarum Præfecti ſe nunquam vidiſſe affirmârunt: ſed illud reticendum non eſt, quod Germaniæ Ephemerides Medico-Phyſice ad

cæ ad annum 1670. obſervatione decima ſeptima referunt: nempe cùm in publica Diſputatione Cornelius Martinus Antvverpienſis contra Philoſophicum lapidem in Academicâ Juliâ acriter inſurgeret, quemdam ex Auditorum coronâ prodeuntem, allato opportunè plumbo, certam tincturam injeciſſe, & ex illo metallo aurum, cum omnium admiratione generatum, adhuc calidum porrexiſſe Cornelio his verbis: *ſolve mihi hunc ſyllogiſmum:* quare cùm Cornelius oblato auro non poſſet reſiſtere, ſuam ſaltem Sententiam in Alchimiæ favorem mutâſſe legitur. Similis tincturæ grano Ferdinandus III. glorioſæ Memoriæ Imperator tres Hydrargyri libras Pragæ in aurum converſas vidit, & inde aureum numiſma excudi juſſit, hac epigraphe: *Divina Metamorphoſis* exhibita Pragæ 15. Januar. 1648. in præſentia S. Cæſar. Majeſtatis Ferdinandi III. Imò Auhor eſt eruditiſſimus Anglus de Morcy, Rupertum Principem Palatinum anno 1662. Britanniæ Regi inſignem auri maſſam obtuliſſe, qualem Oeniponti, in Tyrolis Metropoli, Alchimiſtæ confecerint. Plura non addo: ſufficiat epiphonema, quod addit Magicus Philoſophiæ Cultor: *tot diverſorum*, inquit, *hac ſuper re teſtimonia extant, ut nulli credere, procacis animi videatur, atque perfricatæ frontis,* *Del Ri. disq. l. 1. c. 5. q. 1. Sect. 4.*

LEUC An igitur Chryſurgiam non modò poſſibilem, ſed & facilem in tuo Peripato judicas, cùm illam à tot, & tantis cultam, nec inutili ſtudio excultam toties fatearis? *MEL:* Equidem ſicut omnibus fidem non denego, ſic nec adhibeo ſingulis: cùm conſtet, fraudes non rarò plurimas interveniſſe, eò quòd multi auro ſuppoſito, ſpurióque decepti, non tam retulerint Midæ virgulam, quàm appendices. Illud potiùs in Orbem declamo, Chryſopæiam, utut poſſibilem, difficillimam tamen, & maximè operoſam, atque in praxi penitùs rejiciendam. Teſtor Alchimiſtas innumeros, qui præter noxium fumum nil retulêre, niſi inane nihil, Poëta ludente, & illudente:

*Condidit ex nihilo DEUS omnia: contrà*
*Tu facis ex toto, Cotta Chimiſta, nihil.*

Teſtor immenſos labores, quos cum diſpendio ſalutis, in re mille difficultatibus implexâ, ac erroribus mille obnoxiâ non niſi inaniter conſumpsêre, cavillante Satyrico:

*Chimicus ex auro non aurum fecit Alanus:*
*Aurum ex non auro non potuit facere.*

Teſtor denique pretioſiſſimam Chryſurgorum paupertatem, qua diſtillatis divitijs nil denique aliud recepêre, niſi inane marſupij vacuum, juxta illud Epigrammatici:

*Rem decoxit iners Chimicus, dum decoquit aurum,*
*Et bona dilapidat plurima pro lapide.*

*Joan.22. in Extrav.* Sileo tot exemplis conteſtata ludibria, quibus *ſpondent, quas non exhibent divitias, pauperes Alchimiſtæ*: alios ditare prætendunt, dum alios ſéque ipſos exhauriant: hinc Leoni X. cùm Agyrta quidam, Artis Chimicæ librum de auro conficiendo porrigeret, munúsque non mediocre exſpectaret, Pontifex ſagaciſſimus, vanitati hominis illuſurus, crumenam pecunijs vacuam, muneris locò, reddidit, aſſerens, non ſine riſu deſpotico, cùm Chryſopæjam nôſſet, præter crumenam illi nil ampliùs defuturum. Non *Monachij 1591. Stutgard. 1597.* affero ſexcentas fraudes, quibus poſtquam luſêre alios hi fumivenduli Impoſtores, denique & ipſi miſerrimè deluſi finiêre vitam, Fato planè aureo, quia in patibulis deauratis non ſemel excepto, ut cuilibet pateret, poſt vitam tam auream, non poſſe non ſequi mortem in conſpectu hominum æqualiter pretioſam.

LEUC: Si ita eſt, præplacet Stagirita pauper, quàm Philoſophico ſuperbus lapide, quo non augentur, ſed potiùs auctæ dilapidantur opes. Artem hanc malè aſſeris Chryſopæiam; non enim docet aurum conficere, ſed confectum in furnis annihilare. Verbô, diſplicet Chryſurgia, tot fraudibus ſtipata, tot periculis cincta, tot difficultatibus implexa, tot ludibrijs profanata, tot infortunijs obnoxia: diſplicet Chimía, qua eliquantur aurei montes, coquuntur fumi, & tandem prodit inane nihil. Meliorem doce jam Chryſopæjam, cui ſuam utiliùs operam conſecret, temporis moderni Sophus. *MEL*: Hanc docet Albertus virtute meritò Magnus: Artem docet, qua ex quolibet efficias quodlibet, ex lapidibus aurum, ex luto gemmas, & trunco Mercurium. Symbolum aſpice: *quod libet, ecce! licèt: in manibus tuis ſunt ſortes*: Nam

*Rebus in humanis Ars ſumma* Intentio*: cuncta*
*Ex nihilo, è cunctis efficit illa nihil.*

Hæc Intentio Chriſtianæ vitæ *unicum* eſt *neceſſarium*: hæc Myſterium noſtri temporis Philoſophiæ: hæc Magiæ Artificialis arcanum eſt paradoxum: hæc meæ, quam tradidi hactenus, doctrinæ epitome, ut nempe efficere diſcas *ex nihilo aliquid, ex aliquo*

*melius,*

*melius, ex meliore optimum.* Leucothee! in manibus tuis ſortes: multa agis per diem: nunc enim neceſſario permittis te Morpheo, nunc frugali accumbere prandio cogeris: nunc Palladi impendis operam: nunc domi te negotia detinent; nunc Sophus diſputas, nunc ambulas Peripateticus: nunc Athenæa frequentas, nunc amicorum colloquijs animum relevas, nunc honeſtâ mentis diſtractione te recreas: En! quàm multa agas per diem, & tamen nihil agis per diem, niſi intentionis Artificio, ex hoc nihilo efficere aliquid allabores: *quod enim bona intentione non facis, non tibi proderit,* Auguſtino Interprete. Hæc intentio operum anima, hæc eſt illa Evangelij lucerna, qua lucente cuncta ſunt lucida; hæc ille oculus Sponſæ, quo vulneravit cœleſtem Sponſum; hæc ille Theſaurus, quem demoliri nequit ærugo, & tinea. Sine hac intentione, qui colligit, diſpergit; non theſaurizat, ſed dilapidat, lux ipſa ſunt tenebræ, optima peſſima, & Divino oculo penitùs execranda, juxta illud Malachiæ: *maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: ecce! ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum.*

*Sup. Matth.*

*c.2.v.2.*

LEUC: Novum, ùt video, Ars iſta præbet Philoſophicum lapidem, tribus parabilem verbis: *propter te Domine:* & quid poſſit eſſe facilius? imò lapidem adeò thavmaturgum, ut opera lutea momento inauret, ac immenſum operetur gloriæ pondus: & quid optari poſſit præſtantius? *MEL;* Nihil: & tamen (quæ Fata conſtanter miſera Juventutis) & tamen, etſi nihil hac Arte facilius, faciliùs nihil à Sophis negligitur: etſi nihil hoc lapide pretioſius, oſcitantiùs nihil hoc ipſo lapide uſurpatur. Hæc Stropha Dæmonis, *ſtulto labore conſumere Juventutem:* hoc ſtratagema, ut *illi eruat oculos dextros, ponátque opprobrium in univerſo Iſraël.* Superi! quis ſuæ iniquus adeò Faber Fortunæ, ut auri locò colligeret ſcoriam, & neglecto tritico, inferret horreo urticas? quis felicitatis ſuæ hoſtis adeò juratus, ut à Dijs oblatam, & quidem absque Midæ incommodo, virgulam vel accipere nollet, vel acceptâ uti negligeret? & tamen, licèt *omnia vilia cum charitate factâ fiant aurea, atque divina,* teſte D. Anſelmo, tamen Charitatem negligimus, & uti aureâ Intentionis virgulâ recuſamus. Abſit Leucothee! à Philoſopho noſtri temporis tam pernicioſa ſocordia: abſit, ut auri ſpurij decoctores plùs laborent

*Exod.*18. *v.* 18.

1. *Reg.*11. *v.* 2.

pro fumo, quàm nos pro Cœlo; plùs illi inhient vanitati, quàm æternæ nos veritati. Sequamur amuſſim, quam nobis præbet Aſceta aureus, dum ait: *ſicut ſi quis haberet virgam, quæ lapides in aurum converteret, omnem diligentiam in hac virga cuſtodienda, & uſurpanda adhiberet: ita cùm ſimilem effectum bona Intentio habeat, omnésque actiones noſtras aureas efficiat, & meritorias, meritò ad ſingulas eſt extendenda.* Imitemur exemplum Zeuxidis, cui ſolennis hæc in operibus teſſera: *pingo æternitati.* Denique inſiſtamus veſtigijs, quæ nobis relinquunt Puellæ Antiquitatis: de his Author eſt Clemens ab Alexandria, quòd in calceamentorum ſuorum ſoleis ferrent notas, quas velut certa amoris ſymbola, ubicunque irent, terræ impreſſa, ſuíſque legenda Amaſijs poſt ſe relinquerent. Quod illæ in amore profano, nos imitemur in amore Divino. Imprimamus pedum veſtigijs, operibus nempe quotidianis, varias virtutum notas, amoris præcipuè, ut Divinum Sponſum in odorem unguentorum trahamus, ſícque curramus conſtanter, ut tandem bravium teneamus feliciter. Satìs eſt Leucothee! & plùs quàm ſatìs: nam Sapienti pauca. Antequam divellamur, lege hæc Privilegia, quæ D. Albertus M. de hac mirabili amoris Chryſurgia Peripato affixit.

*Drex. in Amuſſi.*

*l. 2. Pædag. c. 4.*

# PRIVILEGIA ACADEMICA A S. ALBERTO, M.

## *Magiæ Artificialis Magiſtro, Amoris Divini Juſſu Peripato appenſa.*

*Huc citò advola pennis inſtructa Cohors,*
*Propago Peripati alata,*
*Virtutis, & ſcientiæ pennis huc advola:*
*Aſſueta legibus lege hæc Privilegia*
*Academicæ Libertatis.*

Privilegium primum.

Juſto lex non eſt poſita.

*Ceſſant leges, ubi Juſtitia vitæ legalis;*

*1. Tim. 1. v. 9.*

*Nec*

*Nec opus eſt regulis,*
*Ubi per ſe jam regularis eſt vita,*
*Et ad rationis normam recta, atque directa.*
*Hoc privilegium ſummum,*
*Sic ſine legibus vivere, ac ſi conſtrictus legibus viveres:*
*Sic exigere vitam,*
*Ut tua vita ſit legum norma,*
*Non leges vitæ reformandæ ſint forma.*
*Quære à Cynicis, quid ex Philoſophia didicerint?*
*Dicent:*
Sponte facere, quod alij faciunt per legum metum.
*Quære ex Ariſtippis, reponent:*
Si omnes leges intereant, æqualiter vivere.
*Privilegiata nempe Sophorum eſt vita,*
*Quia tam diu privata legibus, quàm diu eſt ſupra leges:*
*Quàm diu in vitæ licentia, vivit ſine licentia:*
*Quàm diu in libertate ſpontaneis ſe ligat vinculis.*
*Quòd ſi hoc vitæ genus in prædicamentis non numeres,*
*Privilegium ſummum, privilegio vitæ carere:*
*Nam*
*A vitiorum vinculis liberum, præſervabunt te legum vincula,*
*Hæc libertatis ſumma libertas, non eſſe liberam,*
*Quia nunquam eſt ſanctiùs libera,*
*Quàm ubi legibus exactiùs vivit adſtricta.*
*Nempe*
*Hoc privilegium privilegiorum,*
*Sic vivere*
*Ut privilegia non ſint legum vulnera, ſed firmamenta.*

Privilegium Secundum. *Eccleſ.*
Da Illi honorem ſecundùm meritum. *10.v.*
*Nil magìs honore dignum Philoſopho,* *31.*
*Si tamen Philoſophi habeat Nomen, & Omen,*
*Nec ſectetur ſolummodo Nominales.*
*Nil Sopho ſublimius,*
*Si vivit vitam, quam profitetur,*
*Nec ijs, quæ dicit, moribus contradicat.*
*Magnificè cuncti de Philoſopho ſentient,*

*Si de ſe ſentiat demiſsè:*
*Si ſcientiâ turgeat, nec tamen tumeat:*
*Si in plenitudine vacuum ſentiat,*
*Séque dicat eſſe inanem.*
*Sed*
*Nullum in Peripato privilegium ijs,*
*Qui privilegijs abutuntur:*
*Qui à nomine quærunt honorem,*
*Licèt Nomen ab ijs trahat ruborem:*
*Qui titulo gloriantur, quem vitâ obſcurant:*
*Cùm erubeſcit epomis,*
*Quòd eſſe debeat tegumentum inſcitiæ,*
*Suúmque ornare cogatur invita probrum.*
*Non adorantur Platones,*
*Quibus prætexta vix bene tegit lanuginem:*
*Cùm Licentiatos creat Vitæ licentia,*
*Privilegiatum Altare*
*Non habet Honos.*

Privilegium tertium.

*AdRom. 8.v.28.* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.
*Hoc Privilegium veri Philoſophi,*
*Sancta Chryſopæja.*
*Hæc Intentionis bonæ permiſſa eſt illi Magia,*
*Cujus Scientia verior, praxis utilior,*
*Copioſior fructus, glorioſior quæſtus.*
*Abite Alchimiſtæ,*
*Aureæ Fortunæ inanes Myſtæ,*
*Chryſurgiæ amantes, verè amentes,*
*Mortales ſordidi fœtente fumo,*
*Impoſtores ſplendidi inani fuco.*
*Spe Cræſi, re Iri,*
*Quorum divitiæ in Lunæ concavo,*
*Quorum Artem inertem comitari ſolet egeſtas.*
*Ite!*
*Diſplicet Alchimia,.*
*Quam Midam ne quidem Dij docere poterant ſine mulcta.*
*Ite!*
*Aureos fumos Diti vendite Divites,*

*Ser-*

*Servient pro pomis Tantaleis,*
*Quæ ludere dicuntur avaram famem.*
*Ite!*
*Cum Philoſophico lapide,*
*Quem compactum ex Chimicis cōmentis, non elementis,*
*Nimiúmq; divitem Ariſtoteles pauper ignorat.*
*Meliorem lapidem noſtri temporis nutrit Philoſophia,*
*Tincturam auri, animam operum* Intentionem.
*Hac quidquid tangis, mox auro tingis,*
*Sentisq; Virgulam Midæ,*
*Quam finxit antiqua Vanitas,*
*Et veram monſtrat jam nova Veritas,*
*Imò*
*Dum actus mutat, ne ſint humani,*
*Agentes mutat, ut ſint Divini;*
*Nam hujus Artis periti,*
Sunt ſicut Dij, & Filij excelſi omnes.

# HYDRA
## NOSTRI TEMPORIS,
### SEU
## DISCURSUS ULTIMUS
### De
## Libertate Indifferentiæ, etiam in Statu Naturæ lapſæ.

LEUCOTHEUS. Monſtra reſumis denuò, quæ debellata ſuperiùs à Philoſophico Hercule exiſtimâram. Et unde hæc Hydra, quæ quinque capitibus monſtroſa, ultimam Mundo minatur perniciem? *MELANDER.* Ex Lerna Janſenianâ prorupit hæc Orbi peſtis, ut obſtupeſcerent noſtra tempora, in unico monſtroſo Partu omnes omnium Sæculorum abortus. LEUC: Tantæne Furijs ultricibus iræ, ut in ipſo Orbe Catholico pravitatis Hæreticæ progignant monſtra? ut è caula Chriſti producant Lupos, Janſenios intelligo, qui Eccleſiæ Matri tam lamentabilem minentur cladem? *MEL:* Ita eſt: & eò quidem magìs funeſtam, quia ſæviunt Lupi ſub veſtimentis ovium; quia Iprenſi pedo dilatatus, diùque ſub Mitra tectus, & ſtabilitus hic error. Leucothee! ea vivimus tempora, quibus tam occultis ſerpit cuniculis peſtis Janſeniana; quibus tam terribiles Eccleſiæ aſſultus minatur hæreſis, ut vix non ruituram diceres, niſi Petræ ſtaret innixa, de qua dudum procla-




S. Iuſtinus Philoſophꝰ, grande in Peripato decus, quia ſui temporis Au=
guſtinus: nam Chriſtianos, coram Imperatore Antonino pio, non tan=
tùm acriter defendit verbo, ſed et fidem fortiter propugnavit ſcripto,
confutans cunctas ſui temporis hæres, quas inter illa Cerinthi, negâtis
Christum pro omnibus mortuum: et alterius cuiusdam dicentis, nil
ſuis hominem poſſe operibus, ſed per ſolam gratiam vincere, effiaque
beatum. En! Ianſenij proavos, ab hoc Auguſtino debellatos, vero
Philoſopho, quia ob Philoſophiam adeò ſanctam, Martyrij laureâ
coronato. Ex Surio.

I. M. Gutwein ſculpſit.



clamavit æterna Veritas: *non prævalebunt.* Tam calamitoſa vivimus tempora, quibus ex erroribus errores, ex hæreſibus quinque mox centum, & plures repullulant hæreſes; crudeliſſimæ, quia ſæviunt tectæ ſub larva pietatis; periculoſiſſimæ, quia non ab hoſtibus, ſed Eccleſiæ pullis excogitantur. Quid multis? ea vivimus tempora, quibus ſi à triumphante Eccleſia rurſus ad militantem deſcenderet primus Chriſti Vicarius, quid faceret? quod ſemper in vivis fecerat, faceret: lacrymaretur nempe ad Galli Janſeniani cantum; cui, qui non collacrymaretur, pius non eſt, ſed alit viſcera, duro exciſa Caucaſo, & ſi non gemit, ululat cum lupis.

LEUC: Superi! quo tu terrore mentem meam percellis? quale Monſtrum in Phyſicum hoc Theatrum inducis, quod non tantùm Peripato, ſed univerſo Orbi ſit formidandum? Age! mihíque paucis da rudem notitiam, ne Megacoſmum diſcurſu jam pervagatus, id ignorem, quod nôrunt eruditi omnes; ne minùs horream, quod pij omnes, unanimi calculo, execrantur.

*MEL*: Si plura non petas, quàm rudem notitiam, dabo pro complemento biennalis curſûs, atque diſcursûs: quia erudito Philoſopho non modò proficuam judico, ſed neceſſariam. Vidit Catholicæ Fidei infeſta ſemper Impietas, Petri naviculam, jam ultra Sæculum fortunato gloriari curſu: vidit, vel reductas à Lutheri hara multas Oviculas, vel ſaltem in Indijs, per innumera trophæa, illatas denuò ſuppleri clades: vidit, & ùt ſolet, infremuit. Hinc nova conſilia agitans, decrevit renovare antiquas ſtrages, & ut faciliùs vinceret, ſuperſeminare Zizania ſtatuit non niſi optimo tritico vel immixta, vel tecta: imò, ut eò glorioſiùs triumpharet, ea ſuperſeminare conſtituit in agro fertiliſſimo Galliæ, quia nunquam non Chriſtianiſſimo. Et quia ad ſtratagema hoc impium Miniſtro fuerat opus, indagare decrevit, ſat ambitioſum, ut vellet; ſat pervicacem, ut poſſet audere facinus, ad quod ipſimet Heroſtrati cohorruiſſent. Invenit nihilominùs hominem (adeò nunquam deſunt in ſua damna Mortales!) hominem eò magìs idoneum, quò ſagaciori præcellentem Ingenio, atque dignitate Eccleſiaſticâ præfulgentem, Janſenium nempe, Iprenſem Epiſcopum. Nec cætera defuiſſe illi talenta, teſtis eſt Præſul D. Germani, familiaris olim Janſenij, è cujus penna fluxit hoc teſtimonium: non vidiſſe ſe hominem arrogantiùs ſuperbum, qui opiniones

*In Ep. ad Chaumonteum*

ſuas adoraret impenſiùs, alienas verò vilipenderet proterviùs: hinc eſt, quòd Societatem JESU ambiens, ſed repulſàm paſſus, in vindictæ partem, ad evertendam ejus doctrinam Auguſtinum ſuum (lacrymis Eccleſiæ maternis digniſſimum, quia Hæreticum) elucubraverit, privatæ æmulationi per innumerorum animorum perniciem litaturus. Hic proin Auguſtinus vix lucem aſpexit, cùm declaratus eſt ſibi diſſimilis, quia ſpurius, & ex quinque monſtris conflatus Hæreſeos abortus. Quinque propoſitiones intelligo, in Orbe Catholico famoſas, & etiamnum à Jovis Romani fulmine fumoſas, quarum ſecunda, cæterarum ſpuria Mater, in ſtatu Naturæ lapſæ talem gratiam aſtruit, *cui nunquam reſiſtitur,* ac proinde homini libertatem denegat indifferentiæ. Videbatur Orbi jam proſtratum à Romano Hercule monſtrum: ſed videbatur ſolummodo: nam habuit Podalyrios, clanculum emiſſos ab Orco, qui ſpumâ è Cerberi faucibus deſumptâ, ſanare inſtiterant tam crudum vulnus. Fuêre, qui negârant damnatum Auguſtinum Janſenij, eò quòd liber cenſuræ virgulæ non ſit ſubjectus: alij aſſerebant, condemnationis Bullam non niſi in capite, & calce Janſenij memorem, methodo minimè *deciſivâ,* ſed *narrativâ*, adeóque propoſitiones non niſi in genere, ſenſúque, ùt loquimur, naturali, à quocunque proferantur, eſſe percuſſas Apoſtolico fulmine. Fuêre, qui negarent propoſitiones damnatas (ſi primam excipias, & quidem à contextu ſuo avulſam) in Auguſtino Janſenij de verbo eſſe contentas, ſed unicam in illo tradi Gratiam de ſe efficacem. Fuêre denique, qui negarent, ſenſum, quem continent propoſitiones fulminatæ, in Auguſtino Janſenij reperiri, eò quòd mitiores mereatur Interpretes tantus Author: & hoc *Factum Janſenianum* appellant: cui cùm contrariam videant Eccleſiæ deciſionem, illud ſolùm oggannniunt, ab Eccleſia in *Factis non revelatis* plus non exigi, niſi reverentiam, habendam Bullæ, quod ipſi facerent, & quæſtionem juris,quod attineret, Apoſtolico Culmini caput penitùs inclinarent. Hæc illi, in ſuo ſenſu ſat abundantes, firmitérque perſuaſi, hoc diſtinctionum clypeo, jam pridem pertuſo, Janſenium tectum, Janſenij Fautores tutos, invincibili ſtare ſub Lauro. Imò fuit ex illis Queſnellus, cui Protervia firmiori chalybe armârat frontem, qui in ſua ſupra novum Teſtamentum paraphraſi, Magiſtri errores, eâ ſubtilitate diſſeminavit, ut ex quinque plùs quàm

quàm centum damnata lolia repullularent: adeò una nocte ſe multiplicant, & creſcunt fungi! ſed & iſti, Veritate Magiſtrâ, detecti, & condemnati; Falſitate verò Pſeudo-Philoſopha malè defenſi, pejùs propugnati, dum denique eò veſaniæ delaberetur obſtinata in ſuo errore Hæreſis, ut à Romana Sede, Veritatis Interprete, ad Concilium provocaret, peſſimè conſulta, quòd malæ cauſæ plures peteret Judices, & vindicativæ Juſtitiæ Adminiſtros. En! quàm in publicum denique, Hæreſis Janſeniana eruperit, quæ non niſi in Jeſuitarum latere cerebro, à Partis adverſæ Ephoris ſpargebatur.

LEUC Statuiſti huic Monſtro horoſcopum, qui me latuit hactenus. Sed quis erit Alcides, qui ejusmodi Hydram, plùs quàm Giganteo robore debellet? *MEL:* Hunc non alit Peripatus, ſed Prytaneum illud, quod incolunt Juſtini, & Auguſtini. Si Philoſophicam ſphæram fas eſſet tranſgredi, Auguſtinum opponerem Auguſtino, verum ſpurio, Catholicum Hæretico: & nullus dubito, quin huic Hydræ contundi poſſet monſtroſum caput. Sed Philoſophi Philoſophos ſequimur; à Juſtino Philoſopho Herculeam petemus clavam. De hoc Sanctiſſimo Martyre Annales produnt, quòd, licèt Philoſophus, Catholicæ tamen Fidei acerrimus extiterit defenſor, & vindex: nunc enim illam propugnaverat verbo, nunc confirmârat exemplo, nunc hoſtes ſic confutaverat ſcripto, ut hoc illi ſtatueretur elogium, nullam fuiſſe ſui temporis hæreſin, quam calamo non debellâſſet. Inter alias doctrinæ peſtes, invaluiſſe tunc legimus errorem illum, quo quidam Simonis Magi ſpurius Pronepos auſus eſt dicere: *nil ſuis hominem poſſe viribus, ſed per ſolam gratiam vincere, efficique beatum.* En! theſin, cujus Janſenius infelix Echo: dum ſic adauget gratiæ vires, ut homini adimat libertatem. Et quo putas Philoſophico telo impugnaverit doctrinam in Peripato tam paradoxam? nunquid oppoſuerit ſenſum communem, experientiâ manifeſtâ ſuffultam, quo, etiam in ſtatu Naturæ lapſæ, plurima quotidiè facimus, quæ tamen liberè omittere poteramus? objecerit, ſublata hac libertate, deliberationes fore nugatorias, futilia præcepta, vana conſilia, inania præmia, atque ſupplicia? dixerit, ſic DEUM ipſum crudeliſſimum fore Tyrannum, & omnis peccati Authorem? quæ omnia quàm

Theologicis ſcitis cohæreant, viderint illi, ad quos meritò appellat inferius Philoſophiæ Tribunal.

LEUC: Jam non miror, cur Eccleſia rurſum renovet preces, & calidiſſima, quibus Cœlum quondam fatigaverat, ſuſpiria repetat: *à Dialectica Auguſtini libera nos Domine.* *MEL:* Ita eſt: adoravit Eccleſia Auguſtinum Theologum, ſed & formidavit Auguſtinum Philoſophum: venerata eſt Auguſtinum Chriſti, ſed & execrata eſt Auguſtinum Manichæi. Ita ſenſit primitiva olim Eccleſia, & ita ſentit hodiedum adulta. Adorat etiamnum Auguſtinum Chriſti, ſed & execratur Auguſtinum Janſenij. At quid ego vituperiis proſequor, quem tot elogijs alij proſequuntur? Innocens eſt, novus hic Auguſtini Pronepos, & de Theologia optimè meritus, dum DEO eripit miſericordiam, Chriſto Redemptionis gloriam, Eccleſiæ Authoritatem, Fidelibus ſpem, Viatoribus gratiam, Naturæ Arbitrij libertatem. Innocens eſt, & de Philoſophia quoque optimè meritus, dum Naturæ arcana linguâ profanat vernaculâ, ut in Peripato jam diſcurrant, & garriant, jam philoſophentur, & fabulentur plures Sophæ, quàm Sophi: dum muliebres acus mutat in calamos, colos in ſceptra, quibus creet dignas hoc Promotore Magiſtras: dum epomide ornat amicas, doctorali annulo Sponſas: dum tot erigit Athenæa, quot Gynæcea: verbo, dum ſcientiæ ſacræ margaritas projicit ante porcos, quia ante Margaretas, & Margaritas. Et hæc ſunt Janſenij & Aſſeclarum præclara, ſi Superis placet, in Academias merita, hæc noſtri temporis probra, hæc Theologiæ ludibria, hæc Philoſophiæ profanatæ dedecora.

LEUC: Et quid nos ad iſta? an ſublatis humeris ſileamus? an hianti ore ſpectabimus Auguſtinum Janſenij, ſic inter Helenas philoſophantem? *MEL:* Minimè Gentium mi Leucothee! in Academia vivimus, quam meritò propugnaculum diceres Janſenio ſemper invictum. Fuit hactenus hic illi honos, ut Promontorium eſſet Germaniæ, quod non modò ſiſteret, ſed & retunderet Hæreſis novellæ fluctus. Hæc glorioſa conamina, & ego adjuvarem hodie lubens, niſi anguſtiæ temporis metam curſui, & diſcurſui ponerent, ipſáque abſtraheret me reverentia, ne alienæ meſſi temerariam immittam falcem.

LEUC: An ergò exhauſta Philoſophi pharetra? an nullum ſuppetat Peripato telum, quo juguler hunc noſtri temporis Mi-

notau-

notaurum? age, ad Dialecticam trutinam propoſitiones Janſenij revoca, & pro biennalis diſcursûs epilogo diſcute per diſcurſum, *qualem poſt factas hactenus à Janſenio præmiſſas, Friburgenſis Peripatus finalem ei, hoc tempore, præſagiat concluſionem? MEL:* Augurem me cupis, qui ex Peripatetico tripode per vaticinia compleam Philoſophiam. Sit igitur, & ultimis votis non refragabor; ſed quia Philoſophum hactenus egi, & Ethicum, ad cotem Philoſophico - moralem examinabo præmiſſas Janſenij, ut ex illis ſuâ veluti ſponte fluat concluſio, quam novitiæ Hæreſi non difficulter præſagire poteſt Peripatus. Et primò quidem, latere neminem poteſt, modò primis labijs Philoſophiæ placita deguſtârit, concluſionis bonæ, ſive malæ indicia à præmiſſis deſumi, quæ niſi certis ſint innixa principijs, peſſimam omineris ſequelam, neceſſum eſt. Sic teſte Philoſopho ex meris negativis quid ſequitur, niſi inane nihil? ex meris particularibus, niſi connexio ſpuria? ex pluribus, quàm fas eſt, terminis, niſi concluſio peſſima? Jam percipe præmiſſas, quas in ſuâ Dialecticâ morali malè ponit, pejùs defendit larvatus iſte Sophiſta Auguſtinus Janſenij. Percipe, quot terminos, tot nullis terminis circumſcriptos errores: quot propoſitiones, tot ex ipſa Cerberi ſpumâ coctas, denuóque recoctas Hæreſes. *Præcepta DEI,* inquit, *hominibus etiam juſtis non ſunt poſſibilia: interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ non reſiſtitur, nec reſiſti poteſt: ad merendum, vel demerendum non requiritur libertas indifferentiæ: Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus.* En! præmiſſas, negativas ad unam omnes, & qualem ex híſce Peripatus præſagiat concluſionem? heteroclito ſcilicet Authoris ingenio dignam, quia peſſimam. Quid enim melius ſperes à præmiſſis, quæ negant, quidquid ſancti habet Olympus, quidquid boni hic Mundus? quæ negant, quidquid Mortalibus eſt proficuum, Chriſto honorificum? quidquid DEO eſt glorioſum? quis credere poſſit ſacrilega cerebri aberrantis deliria, furioſas Janſenij, Gallô ebrij, extaſes? æterno Numini denegat miſericordiam, dum ait, poſt Adami lapſum pleróſque à DEO creari, eum in finem, ne ſua deſint ignibus æternùm arſuris alimenta: & quid DEO affingi poſſit crudelius? Chriſto denegat Bonitatem, dum ait, eum præcipere, quæ ſervari non poſſunt, nec ſublevare ſub intolerabili corruentes jugo, ſed æternis mactare ſupplicijs: & quid vel à Tyranno exſpectare poſſes immanius? Mortalibus denegat ſpem, dum ait

ſollicitus pro Inferno Epiſcopus, Barbaros, vel ſi qui ſuis immoriuntur ſceleribus, ſine omni præſidio relictos, quo clauſum ad Cœli delicias aditum, rurſus ſibi aperiant miſeri: & quid cogitari poſſit truculentum magis? non commemoro alios in híſce negativis contentos errores, quibus Chriſti patientis amorem crudelitatis accuſat, quia reprobis denegatum: quibus Naturam ipſam crudelibus conſtringit neceſſitatis vinculis: quibus mortales in deſperationis barathrum præcipitat laureatus iſte Orci Magiſter: non refero centum alia, quia horret animus cogitare, quæ Janſenius in híſce negativis non erubuit fingere. Ego certè revulſos credidiſſemInferos,& Furiarum catervas ex Orco erupiſſe,quæ deceptis hominum mentibus,per tot atrocia novæ Sophiſticæ figmenta illuderent. Sed maneant ſepulta in ſuis tenebris Tartara, vincit Janſenius impietate Inferos, crudelitate vincit Furiarum catervas: tam atrocia enim,vel ipſi non potuiſſent Inferi, vel erubuiſſent Furiæ fingere: vincit, dum per negativas adeò crudeles, adimit DEO Juſtitiam, Naturæ libertatem, Mortalibus fiduciæ anchoram: vincit, dum à Redemptore apertam, denuò occludit ſalutis januam, ut quà latè poteſt, recludat anguſta nimiùm, pro ſuo Zelo, Tartarorum ergaſtula. Ite jam Adæ infelices Poſteri, mandatorum jugum excutite: Tyrannus eſt, qui lapſis Naturæ viribus intolerabile, non niſi ad veſtrum id vobis dedit interitum. In veſtris ſordibus ſordeſcite peccatores, peccâſtis, ſed quis contra torrentem, deſtitutam remis propellet naviculam? *Victrix eſt timor, cui lapſa nequit Natura reſiſtere:* prolapſi eſtis, ſed ſtare quis poterit, nullo fultus Gratiæ Divinæ auxilio? *favor cæleſtis defuit, quo ſine ruatis, neceſſum eſt.* Abſtergite lacrymas pœnitentes: nam quid inani vos fruſtra luctu conſumitis? fors lacrymando Gratiam recuperare confiditis? fruſtra eſt: *peccanti nil remanet, niſi ſuperba egeſtas, ſegnis indigentia, impotentia generalis ad omne bonum.* Orando vos cupitis à lapſu erigere? fruſtra eſt: *Oratio impij novum peccatum eſt, & quod DEUS illi concedit, novum eſt in peccantem ſupplicium.* Gemitibus flectere cupitis DEI miſericordiam? fruſtra eſt; ſuevit illa *à Judæo exigere legem*, qua jubet ſurgere, *licèt in ſua lapſum impotentia relinquat.* Forſan à Redemptore ſperatis auxilium? fruſtra eſt: *pro peccatoribus is non eſt mortuus.* Ergò abſtergite lacrymas, deſperate, Servator crudelis eſt, qui ſuo excluſos pectore, dudum neceſſarijs

vos

vos deſtituit redemptionis ſuæ auxilijs: ruite ſecuri in omnis generis ſcelera Mortales, fatalis neceſſitas eſt, quæ per victricem vos eruet Gratiam, qua ſine non poteſtis reſiſtere. DEUM immortalem! quæ hæc horrenda Sophiſtæ hujus, cuncta negantis inſania? potuítne furor eouſque adigere hominem, rationis compotem, ut, quidquid boni habet Natura, ſusdéque verteret? Catholicum, ut quidquid ſanctum habet Olympus, conculcaret? Epiſcopum, ut quidquid Numen habet Divini, deſtrueret? prô immenſum ingenij, vertiginem ſemel paſſi, barathrum! & tamen, quis non obſtupeſcat? & tamen ex hísce negativis peſſimam concluſionem defendunt Myſtæ; quibusvis Mauris nigriora propugnant Ingenia; ipſæ dilatant Eccleſiæ Mithræ: & tamen his præmiſſis tantus habetur honos, ut erroneæ ne videantur, errâſſe proclametur Eccleſia: & tamen tanta huic doctrinæ, vel ab ancillulis habetur fides, ut ſepoſitâ colo ſcholaſticis pium quemque fatigent jurgijs. Plaude igitur Janſeni, tanta tui eſt Ingenij Gloria, ut ſtrangulaveris Naturæ vocem pro libertate clamantem, quo Mundi ſilentis ora in tua aperires encomia: tantus in laude amor, ut omnes deſipere debeant, Janſenius ut poſſit ſapere: tantus in laudis amore furor, ut nec DEUS eſſe bonus jam poſſit, dum ſine hoc Janſenius nequit haberi ingenioſus.

LEUC: Si minùs potenter, tam ferventer ſaltem peroras, ut non auſus ſim hactenus interrumpere loquentis filum: habes me totum, nec ego ex negativis híſce felicem Janſenianæ hæreſi auguror concluſionem. An nullum ampliùs in híſce præmiſſis errorem notas? *MFL:* Maximum: nam univerſalis nulla, particulares ſunt omnes: & qualem ex híſce Peripatus præſagiat concluſionem? dicam, ex negativis peſſimam, ex particularibus peſſimâ pejorem. Percipe: *aliqua*, ait, *præcepta* hominibus etiam juſtis ſunt impoſſibilia: *aliqui* tantùm à Chriſto redempti: ad merendum, vel demerendum ſufficit *aliqua* tantùm libertas. En! jam tertiam particularem, cùm duæ ſufficiant ad peſſimam concluſionem. Sed quid ego dico particulares? Erro, ſunt univerſales, quia continent propemodum univerſos errores; quia in particularibus híſce ſunt univerſæ omnium fere temporum hæreſes. Gallinaceum, non Gallum, hìc ſe monſtrat Janſenius, dum Gallinacei in morem, putrefacta dudum ex hæreſum ſordibus corradit

radit dogmata, quibus corruptum ſaginet ſtomachum Helluo, non alijs, quàm híſce fœtentibus Augiæ dignus cupedijs. Gallinaceus, ſi famæ fides eſt, tam venenatam coquit ex corrupta humorum colluvie maſſam, ut ætate provectior ovum dicatur excludere, è quo fimi caloribus excocto, tandem Baſiliſcus erumpat, monſtrum venenatâ lue peſtiferum, & integris ſæpe Regnis perniciosum. Janſenium ſi ſpectes, magìs exitialem ſtupebis in monſtro fœcunditatem. Tam venenatam quippe ex corruptis doctrinæ ſordibus congeſſit colluviem, ut caneſcente jam ſenio (tantæ molis erat parturire monſtrum, Orbis Chriſtiani excidio deſtinatum!) ovum effuderit, ex quo non error particularis, ſed quinque; ex quinque mox plùs, quàm centum prodiêre hæreſes, velut totidem Baſiliſci, venenô peſtilentiores, quia furunt in animos; horrore crudeliores, quia toti Chriſtiano Orbi luem minitantur contagioſam. Revolve mecum, ſiquidem ſine horrore potes, revolve triſtiſſima tempora, quibus ſuam traxêre originem hæreſes, & videbis Orci ſolenne prodigium, ut quod per Pythagoram finxit fabuloſa Antiquitas, id in hæreſum metempſychoſi verum effecerit præſtigiatrix impietas. Videbis, me luculentam Janſenio inferre calumniam, dum ejus hæreſin appello novitiam, utpote quæ jam primis temporibus profeſſa, concluſionem ſuam vidit ab orbe Catholico exterminatam. Doctrinam excogitaverat, fœcundus ille Hæreticorum Proto-Parens Simon Magus, ex qua duo illius Aſſeclæ mox varias deduxêre præmiſſas, quibus ceras ſuæ originis debent præmiſſæ Janſenij. Dixi, quòd jam ibi proclamata ſit *Gratia victrix* cum detrimento libertatis: & ecce! præmiſſam Janſenij impiam, quæ jam tum peſſimam poſt ſe traxerat concluſionem. Crocitaverat alter, quem Cerinthum hiſtoriæ nominant, ingens à D. Petro commiſſum flagitium, quòd ad Gentes deſcenderit: *non enim Chriſtum pro omnibus etiam Infidelibus mortuum.* En! particularem Janſenij, ex qua concluſio ſequitur univerſaliter falſa, impia, & ſcandaloſa. Sed quid ego in particulari me errore detineo? dixi univerſas propemodum hæreſes in ſe continent particulares Janſenij. Quid enim? Simones ſcimus impiè Divinam licitatos Gratiam: Janſenium videmus pro Gratia liberum vendidiſſe arbitrium, nundinatorem magìs ſceleſtum, quia & DEO, & libertati humanæ injurium. Arios in Divinum Filium ſcimus

ſacri-

ſacrilegos; in totam verò Trinitatem Janſenium: cùm Patrem facit injuſtum, quia præcipientem impoſſibilia: Filium immitem, quia non pro omnibus mortuum: Perſonarum acceptatorem Spiritum ſanctum, quia non omnibus neceſſaria conferentem auxilia. Manichæum delirâſſe ſcimus in mali principio; inſanire videmus Janſenium, cùm DEUM facit mali Principium. Pelagium ſcimus per Naturæ vires tollere Gratiæ neceſſitatem; novimus Janſenium per Gratiæ neceſſitatem tollere Naturæ vires, & libertatem. Lutherum novimus per fidem eliminare fidem; Janſenium per Gratiam in hominibus deſtruere Gratiam, ſimul & fidem. Calvino ſcimus eaſdem quidem eſſe cum Janſenio præmiſſas, Diſcipulum tamen, in Arte videmus Superiorem Magiſtro, quia argutatur ſubtiliùs, cùm inauditâ hypocriſi ſuas concordare jactitat cum Eccleſiæ doctrinâ præmiſſas. En! quàm in una Janſenii hæreſi univerſas propemodum, quas unquam Orcus evomuit, repullulare cernimus hæreſes.

LEUC: Habent, ùt video, quòd triumphent Tartara, tam peritum nacta in Janſenio Sophiſtam, qui quos diviſim reliqui, in unum omnes collegit fallacias, ut unus perderet univerſos. Habet, quòd plaudat Hæreſum ingenioſa Parens: nam edidit Partum, heteroclito Ingenio ſuo digniſſimum, quia continentem omnes Ingeniorum abortus. Attigit Gloriæ verticem, dum per Gratiæ ipſius dominium, jam Inferorum ſtabilivit Imperium: dum pro gentilitio ſcuto Iprenſem exhibet Infulam; pro inſignibus tot epomides Sophorum. Habet, cur gaudeat ſcelerum nutrix Impietas: nam fixit Gloriæ ſuæ columnas cum Hercule, dum ſe ipsâ jam major, ſub ſpecioſo gloriatur pietatis ſchemate: dum in Chriſtianiſſimo Regno, ſuum, tanto cum plauſu, firmare tentavit ſolium: dum eodem robore, quo toties impugnata, jam ipſam oppugnare præſumpſit Eccleſiam. Quid putas, ad hos ſceleſtos auſus cogitaverint Clodovæi, Ludovici, Philippi auguſti cineres, quorum in exantlandis pro fide laboribus, viva etiamnum viget in poſteritate memoria. Quos ſenſus habuerint Ludovici Magni maximi Manes, quo ſtante jacuit, quo jacente, erigere ſe ſe tentavit Janſenij Lernæa peſtis: ad cujus inferias mox intonuit Hæreſis funeſtum Patriæ afflictæ Leſſum. *MEL:* Intonuit: ſed quæ Regni hujus nobiliſſimi Gloria, fruſtra intonuit: tripudiârunt Janſenij Aſſeclæ ad Patriæ

Ll luctus

luctus, jubilârunt ad Majorum lamenta, vitioſis cumulârunt præmiſſis præmiſſas: gloriati ſunt Sophiſtæ ſacrilegi, ſed fruſtra ſunt gloriati: faxim, vertet Sors brevi vices, iiſque infauſtam hoc tandem tempore dabit concluſionem. Quid enim mitius præſagire queat Peripatus, dum præter jam dictos errores, quatuor quoque terminis Janſenianæ vitiantur præmiſſæ? quatuor terminos continent, dum continent Epiſcopos quatuor appellantes: vitium ſi cupis, eſt *appellatio*, qua medius doctrinæ novellæ terminus jam ab uno appellat ad aliud, à Pontifice ad Concilium, ab Eccleſia diſperſâ ad congregatam. Vitium hoc debet Janſenius, non minùs vitioſis in Arte Magiſtris Pelagio, atque Luthero (prô quanta nomina, glorioſis illuſtriora incendijs, quàm à fumante Heroſtratus Epheſo! prô quantos Heroas, Gigantum Soboles, quorum in oppugnando Jove Romano temerariam, & inauditam ferociam ſera ſtupeſcit Poſteritas) his debet hoc vitium, jam in elapſis Sæculis à Chriſtiano Peripato detectum, & condemnatum. Appellavit cum ſuis Pelagius, petiitque *Concilium legitimè congregatum in loco ſecuro*: eoſdem terminos uſurpat Janſenius in ſuis Aſſeclis poſthùmus: & quid mirum, ſi Diſcipulus juret in ſui verba Magiſtri? Lutherus inauditâ Proterviâ calamum ſtrinxit in ipſum Pontificem: in eundem non unum, ſed plures calamos ſtringunt Janſenij Aſſeclæ, nunquam magìs acuti, quàm ſi calamos in Pontificem acuunt. Lutherus, ſub ſpecioſo titulo pietatis, pro Veritatis defenſione, Eccleſiæ utilitate, nec ſine debitâ ſimulatæ mentis ſubmiſſione, à Leonis Bulla ad futurum appellavit Concilium: ijſdem titulis, ijſdem terminis appellant Quatuor-Viri Galliæ proteſtantis: & quid mirum, quòd idem vitium, eodem anathematis ſtigmate, ſit fulminatum? Sed quid ego vitij accuſo præmiſſas, à tot Sophis, ingenij Gloriâ celeberrimis, approbatas? ſat habet Authoritatis Hæretica pravitas, ut Bullam *Unigenitus* neget eſſe fidei regulam; ut oſtendi ſibi vitium petat ab illa Sede, quam novo appellationis vitio convitiatur eſſe fallibilem. Sat habet diſcretionis Janſeniana aſtutia, dum Pontificis Bullas, neſcio, quo forſan præoccupatæ mentis dictatas Spiritu, non temerè recipit, ſed ad virgulam priùs cenſoriam revocat, ne tumultu Privilegijs præjudicante, Gallicana turbetur Eccleſia. Innocens eſt palliata Chriſtiano Zelo Impietas, dum prudentis ſilentij cautelâ ſic temperat cum pietate

mali-

malitiam, illa ne tumultuoſiùs vincat, hæc ne cum præjudicio ſuo velociùs ſupprimatur. Injuſtè vapulat ab erudito Orbe, dum errores nutrire dicitur, quos non niſi fanatica in ſomnijs fingunt Jeſuitarum ingenia, ſuísque excoquunt delirantes capitibus. Ita eſt, innocua patitur, dum à Molinæ calumnijs Quesnelli dogmata vindicat; dum præmiſſas ſuo calculo probat, à quibus Philoſophia Orbis Catholici, concluſionem deducit, non niſi peſſimam, ſcandaloſam, ſacrilegam, & hoc tandem tempore è Galliæ finibus eliminandam.

LEUC: Non vanum, reor, eſt omen, quod è præmiſſis tam vitioſis Janſenianæ Hæreſi præſagire poſſit Friburgenſis Peripatus. Sed vitioſo jam more faciet circulum, & à Philoſophico tripode ad altius provocabit Tribunal. *MEL*: Fruſtra provocat: ad Theologicum ſi appellet, dudum illius concluſio, nigro notata eſt anathematis calculo. Si à Facultate Juridicâ Sententiam petat, dicet illa è præmiſſis, quæ contra Jus Divinum DEO denegant Bonitatem: quæ Eccleſiæ Authoritatem contra Jus poſitivum: quæ contra Jus Gentium Mortalibus ſpem: quæ contra Jus Naturale, Naturæ denegant libertatem: è talibus dicent præmiſſis concluſionem non poſſe ſequi, niſi ſcàndaloſam Superis, ipsíſque Inferis execrandam. Quòd ſi agonizans Janſenius à Facultate Medicâ omen exquirat, dicet illa, morbum ab ipſo ægroto nunquam agnitum, jam eſſe fatalem, & infauſtam neceſſariò poſt ſe trahere clauſulam. Sed & ſi ipſam Hiſtoriam conſulat, legere poterit ſimiles in Hugonotis præmiſſas, quibus Rex ille Magnus, mox in Regiminis ſui exordio, fatalem dedit epilogum. Deniquè his ipſis in circumſtantijs, æquè infauſtam illi præſagit Cataſtrophen Aſtroſophia divinior, dum coronam exhibet conjunctam Cruci, volo dicere, novum Regem novo Pontifici. Percipe, quàm non ex vano tripode hoc fluat augurium, poſtquam Mercurius hanc Pariſijs attulit nuper epitomen declarationis, à Ludovico XV. in Acatholicos editæ. Ludovicus XV. glorioſiſſima majorum veſtigia æmulaturus, decreta omnia, à Ludovico XIV. glorioſæ memoriæ, contra reformatæ Religionis Aſſeclas ſancita, renovat, confirmat, atque omnimodæ executioni dari imperat, graviſſimis pœnis in transgreſſores conſtitutis. Unde quicunque aliam, à Religione Romanâ, Eccleſiam profiteretur, ſi Mas ad tranſtra perpetua, ſi Fœmina

*7. Jun.* 1724.

mina ad æternos carceres ſciret ſe condemnandam: Sacramenta Baptiſmi, Matrimonij &c. ſi peterentur à Reformatis, impoſterum per ſolos Eccleſiæ Romanæ Presbyteros adminiſtranda: pari modo ſolæ nutrices Catholicæ Heterodoxorum ſuſciperent Filios, alerentque. A ſuſpectis de Fide, Filios ad Regiones exteras non mittendos, nec nuptui deinceps tradendos, ſed potiùs Catholicis Parochis in Fide erudiendos frequenter ſiſterent. Denique Patres familias, ſi quæ legibus hiſce experirentur contraria, Magiſtratui ocyùs referenda ſcirent, ut omni ſeveritate in peccantes, ex Regio mandato, animadverti poſſit. Hæc Fama de glorioſis initijs illius Monarchæ, cui pro elogio jure ſubſcriberes illud Claudiani: *Primordia tanta vix pauci meruêre Senes.* Sed quid ego illi elogium, cujus glorioſa omina, jam ſibi ſpondent Encomiaſten univerſum Orbem. Nil igitur ſupereſt, quàm ut novellæ Hæreſi concluſione peſſimâ propediem exſpiranti, epilogi locò hoc Epitaphium ſtatuat Friburgenſis Peripatus.

# EPITAPHIUM
## Hæreſi Janſenianæ à Friburgenſi Peripato ſtatutum.

*Sat vixit*
*Quæ vivere nunquam debuit nova Doctrina,*
*Idcircò falſa, quia de DEO nova:*
*Nam*
*Nil Divinum poteſt eſſe novum,*
*DEUS ipſe eſſet falſus, ſi poſſec eſſe novus.*
*De Natura pura minùs ſanè,*
*De Natura lapſa minùs rectè ſenſit Janſenius.*
*Poſt calumnias Naturæ, non pepercit Gratiæ,*
*Ut negaret ſufficientem, finxit inutilem;*
*Ut deſtrueret efficacem, finxit crudelem:*
*Ut everteret liberum arbitrium; reddidit captivum:*
*Ut corrumperet bona opera, corrupit merita,*
*Ut excuſaret peccatum, fecit neceſſarium,*

*Ut red-*

*Ut redderet Chriſtum odioſum, negavit pro omnibus mortuum.*
*Volitavit aliquamdiu nova Doctrina,*
*Per ora indoctorum virorum, & doctarum mulierum,*
*Rapuit illos novitas, & iſtas levitas:*
*Fefellit omnes nomen Auguſtini, etiam falſi:*
*Nemo ſub eo Magiſtro errare timuit,*
*Cujus ipſum etiam Nomen credebatùr expers erroris.*
*Fecit Auguſtinus fidem, etiam dum fefellit:*
*Placuit ſub eo nomine falſitas, ſub quo diſplicere debuerat.*
*Poſt aliquam admirationem*
*Vocatà ad examen nova Doctrina,*
*Deprehenſa eſt*
*Dehoneſtare Naturam cum injuria Creatoris:*
*Dedecorare gratiam cum opprobrio Servatoris,*
*Excuſare peccatum neceſſitate peccandi;*
*Extingere amorem Virtutis difficultate meriti:*
*Creare odium DEO homini, dum ait, incarnatum pro paucis.*
*Pronuntiavit hanc Doctrinam*
*Nocentem Innocentius X.*
*Damnavit Auguſtinum falſum, reveritus Verum:*
*Et quinque cenſuris*
*Pluſquam quinque vitia in præmiſſis confixit.*
*Nec tamen ſiluit damnata doctrina,*
*Tranſivit à jure ad factum,*
*Tòtque nodis novam doctrinam implicuit,*
*Ut Gordij viderentur:*
*Vidit hos Innocentij ſucceſſor,*
*Dúmque eos Petri enſe diſſecuit,*
*Alexander fuit.*
*Sed præmiſſas Doctrinæ malas, peioribus cumulavit Queſnellus.*
*Poſt detecta vitia, novum vitium addidit*
Appellationis.
*Nec pertimuit fulmina, quia tantùm Clementis.*
*Fortius jam parat Monarcha parvulus,*
*Avo Maximo Major,*
*Si plùs quàm* 100. *monſtra uno poteſt edictô proſternere.*
*Si ſic eſt:*
*Erit concluſio, quales præmiſſæ*

Ll 3 *Hæ ſa.*

*Hæ fatales Diſcipulis, illa Magiſtro:*
*Ortus Ludovici XIV. erit occaſus Janſenij:*
*A cujus tumulo abi Lector, & ora:*
Non tantùm à Logica
Sed totâ Philoſophiâ Auguſtini Janſenij,
Libera nos Domine.

# PARADOXA PHYSICA Ex Peripatetico noſtri Temporis Extracta.

1. *Sine mendacio Logicus mentiendi Artem dicit eſſe Virtutem.* 2. *Solus Intellectus præter omnia poteſt facere aliquid.* 3. *Solus Logicus nullâ re per ſe, & ſubſtantialiter indiget.* 4. *Logicus etſi omnia ſciat, neſcit ultra ſextum prædicandi modum.* 5. *Perfectus Philoſophus non ſcit plura, quàm incipiens Logicus.* 6. *Sine contradictione Logicus idem ſcit, & ſimul neſcit.* 7. *Plus ſcit, qui novit rem unam, quàm qui omnes.* 8. *Etſi Logicus ſciat omnes Scientias, etſi ſciat omnia, etiam ſecretiſſimas hominum cogitationes, tamen totum cùm ſciat, ſcit ex omnibus nihil.* 9. *Datur in Phyſica aliquid, quod non eſt aliquid, nec tamen nihil.* 10. *Totus homo non vivit.* 10. *Poteſt ſubjectum plùs eſſe calidum, quin habeat plus caloris, quàm minùs calidum.* 11. *Duo per additionem tertij fiunt unum.* 12. *Etſi non detur Metempſichoſis, tamen ſine peccato Philoſophico Phyſicus diceret, Petrum formaliter converti in aſinum.* 13. *Vulgo, non Philoſophis dolor, vel mors eſt violenta.* Solvuntur ex Parergis, aliiſque Theſibus Philoſophicis. 14. *In noſtris principijs faber manibus mutilatus, poteſt eſſe optimus Artifex.* 15. *Vitam, & mortem ſimul ſtare in eodem corpore mirum eſt, non Miraculum.* 16. *Non malè Protagoras dubitavit, an idem poſſit eſſe, vel non eſſe: non enim omnis Hircocervus Philoſophis eſt impoſſibilis.* 17 *Plantas veſci alijs plantis, Philoſophis indubitatum.* 18. *Etiam imbelles non raró fortiſſimis fortiores.* 19. *Plantæ nonnullis hominibus magìs verecundæ.* 20. *Alit fontem Phyſica, ex quo fluunt triſtitia, ſimul atque lætitia.* 21. *Aureæ plantæ, Vitulo-cervi, Pyrus puerpera, levitas gravis, & levis gravitas, Rupes ambulans, aliáque Paradoxa, non tranſcendunt Phyſicæ Tribunal.* Ex Oedipo Phyſico.

22. *Da-*

22. *Datur in Logica noſtri Temporis Profeſſor, qui optimè docet, etſi nihil diſtinguat.* 23, *Datur in Phyſica aliquid, quod ſi malum lætificat, ſi bonum, contriſtat.* Ex Virgula Morphei. 24. *Atheum, & Brutum ſubſtantialiter non differre, patet ad hominem.* 25. *Etiam abſciſſo capite Philoſophum vivere, & philoſophari, non eſt Miraculum.* Ex flamma Promethei. 26. *DEO nihil notius Sophis, nihil ignotius.* Ex Sphinge Philoſophicâ. 27. *Quò minus eſt cor humanum, eò eſſe majus Anatomici ad oculum demonſtrant.* 28, *Nil in Mundo fortius eſſe re maximè imbelli, & fluxâ, Propoſitio eſt, Philoſophis (Utinam non multis!) experimentaliter nota.* Ex Coloſſo Myſtico. 29. *Duos diſtantes colloqui poſſe, quin ſtans in intermedio quidquam audiat, tantùm rudibus eſt Paradoxum.* 30. *Saxa loqui poſſe, & homines ibi, ubi non ſunt, nihil mirum in Phyſica.* Ex Scylla, atque Charybdi. 31, *Solis Philoſophis hæc Propoſitio propria:* loquere, ut videam te. 32. *Clavim cordis non rarò Philoſophis commodatam à Numine, ſoli non Philoſophi in dubium revocant.* Ex Momi Feneſtra. 32. *DEUS eſt ubique, alicubi, & nullibi.* 33. *Tempus nec eſt in tempore, nec in inſtanti.* 34. *Magìs explicat æternitatem, qui dicit, quid non ſit, quàm qui dicit, quid ſit.* 35. *Non malè dicit, qui dicit Infernum anguſtum ſimul & amplum.* Ex Jano Bifronte. 36. *Duo nunquam vident eandem Iridem: imò nec idem ſemper videt eandem.* 37. *Non omnis ignis urit.* 38. *Non omnis flamma per aquam extingui poteſt.* Ex Atlante Philoſophico. 39, *Multa mira mirabiliora Miraculis, præſertim Vulgo.* 40. *In annos plures perferre inediam, vel protrahere ſomnum: ex ſtupido reddi doctum, & viciſſim: excitare ventos, & tempeſtates: reddi inſenſibilem in tormentis: invulnerabilem in prælijs: inviſibilem in fuga, & quæ ſunt alia, mira ſolummodo ſunt, nec niſi rudibus dicuntur Miracula.* Ex Virgula Pharaonis, & Circe Pbiloſophica. 41. *Datur in Philoſophia Medicus, prorſus indoctus, qui nec ſcribere valet, nec legere, imò nec loqui, & tamen optimè curat.* 42. *Datur in Philoſophia rei incertiſſimæ certiſſimus Propheta, Aſtrologis doctior, licèt indoctus.* 43. *Apollonium Tyaneum Brutorum linguas intellexiſſe, & Epheſi docuiſſe verum non eſt, ſed veroſimile.* 44. *Multa falſa probabiliora veris, patet ex Diſcurſu Brutorum.* 45. *Bruta, ad ſpeciem hominibus prudentiora, pro Beneficijs gratiora, Simios divinantes, Elephantes proboſcide ſcribentes, Leones manſuetos, Equos famulos, Tabellarios volantes, & quæ ſunt ſimilia Paradoxa, non mirantur Philoſophi, ſed Imperiti.* Ex Academia Brutorum. 46. *Juvenem poſſe fieri Senem, & Senem*

*Juve-*

*Juvenem, Naturæ vires non ſuperat, nec captum Philoſophorum.* 47. *Sine Miraculo poteſt quis rapi in extaſin, & hærere in aëre ſuſpenſus.* 48. *Solo odore hominem vivere poſſe, eſt valde probabile.* 49. *Etſi color conſiſtat in luce, tamen in tenebris videri poſſe, eſt clarum.* 50. *Ignem aquâ accendi, & nutriri teſtis eſt experientia.* 51. *Etiam ſepoſita Magia ſtygia theſauros inveniri poſſe per Corylum, probabile eſt.* 52. *Ficus fortior tauro ferociente.* Ex Ariadne Phyſica. 53. *Non malè in noſtris Principiis Anaxagoras negavit nivem eſſe albam, ſaltem omnem, & ſemper.* Ex Parergis & Technophylacio Phyſ. 54. *Muſica non rarò optima in animi, & corporis morbis medicina.* 55. *Muſicam non rarò utilem eſſe exorciſmum contra Dæmonem, ratione naturali probari poteſt.* 56. *Negationes vident Philoſophi, & ùt pulcherrimas admirantur.* Ex Technophylacio Phyſ. & Coloſſo Myſtico. 57. *Gravia ſurſum, levia deorſum*: ex eodem, & Oedipo Phyſ. 58. *Datur in Phyſica aliquid minus majus majore.* 59. *Non implicat muſca ferrea volans.* 60. *Hominibus & pileis pluere, paradoxum, non tamen miraculum.* 61. *Aſtrologiæ imperiti, magìs Veridici non rarò Augures, ipſis Aſtrologis.* 62. *Quævis moles quibusvis moveri viribus poteſt ab artis peritis.* 63. *Sicut Natura, ita & Ars, Naturæ ſimia major in par, vis, quàm magnis: utraq; in minimis maxima.* 64. *Ariſtoteli pauperi ex Philoſophia nil remanet niſi pretioſa paupertas.* Et Technophylacio Phyſico.

# AXIOMATA ETHICA
## *E Peripatetico noſtri Temporis extracta.*

1. *QUidquid agis, præter ſalutis negotium, amiſſum puta.* 2. *Melior eſt humilis ruſticus, quàm ſuperbus Philoſophus.* 3. *Scientia, quæ præ virtute deſpicitur, per virtutem meliùs recuperatur.* 4. *Scientia ſine virtute plus nocet, quàm prodeſt.* Ex Diſcurſu 1. primæ Partis, ſeu Microcoſmi. 5. *Duo ſunt fines hominis, malus, & bonus: in alterutro te eſſe neceſſe eſt.* 7. *Si peccare vis, quære, ubi te DEUS non videat, & fac, quod vis.* 9. *Quid prodeſt, ſi quis Catholicè credat, & gentiliter vivat.* 8. *Totum te exigit, qui totum te fecit.* Ex Diſcurſu 2. Micr. de DEO. 8. *Nil in te magni præter animam: hanc ſervare, vel perdere, eſt omnia ſervâſſe, vel perdidiſſe.* 10. *Quid prodeſt homini, ſi Mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

11. *Quis*

11. *Quis furor eſt, viles à nobis haberi animas, quas etiam Diabolus putat eſſe pretioſas?* Ex Diſcurſu 3. de anima in Micr. 12. *Hoſtem odiſſe ſi cupis, corpus oderis: nullum iſto ſalubrius odium, nullus hoſtis eſt pejor.* 13. *Momentaneum, quod delectat, æternum quod cruciat.* 14. *Periîſſe ſemel, æternum eſt.* 15. *Momento, quo peccas, pereunt merita, clauditur Cœlum, aperitur Infernus: tanta eligis pro tantillo!* Ex Diſcurſu 4. Micr. de anima. 16. *DEUS ubique auris eſt, & oculus.* 17. *Pro tot reus quiſque eſt, quot quis traxerit ad reatum.* 18. *Quoties audis, à malis perverti bonos? cur experiri mavis, quàm credere?* 19. *Aures, & oculi, animæ ſcopuli: tot periêre, quorum damno ſapere poſſis, ſi velis.* Ex Diſcurſu 5. de aure, & oculo. 20. *A momento pendet æternitas.* 21. *Fixum ſit, nunquam in eo ſtatu vivere, in quo non auderes mori: ſecurius eſt, perire non poſſe, quàm juxta periculum non periîſſe.* 22. *Ubicunque ceciderit arbor, ibi erit: felix, ſi ad Auſtrum: infelix, ſi ad Aquilonem.* 23. *Chriſtiano craſtinum non eſt.* 24. *Mors Echo vitæ: malè mori nequit, qui vixit bene: vix poteſt mori bene, qui vixit malè.* Ex Diſcurſu 6. de ſomno, & ſomnio. 25. *Væ! etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ diſcutias miſericordia.* 26. *Ibi non quæretur, quàm bene dixeris, ſed quàm bene vixeris.* 27. *Cùm ad peccatum tentaris, cogita: fors hoc erit ultimum, quo numerum compleam: Judicia DEI abyſſus multa.* 28. *Si ſtares ad Divinum Tribunal, quid cuperes? fac ergò nunc, quod ſolatio tibi poterit eſſe tunc.* Ex Diſcurſu 7. & 8. de Phyſiog. 29. *O longa Æternitas! quid non faciendum tibi, æternum ut ſis beatus? quid non patiendum tibi, æternum ne ſis damnatus?* 30. *Nihil grave timenti, aut ſperanti æterna.* 31. *Si tentaris, quære: an autem potero habitare cum igne devorante?* 32. *Si tibi adeſſet damnata ex Orco anima: quid putas, diceret? id ipſum dic tibi, & fac, quod olim factum fuiſſe velles.* 33. *Æternitati theſauriza, quidquid collegeris aliud, auferes nihil.* 34. *Nulla ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur Æternitas.* 35. *Omnis jactura reparabilis in hac vita præter tempus.* Ex Diſcurſu 9. Micr. de tempore, & æternitate. 36. *Si labor terret, merces invitet.* 37. *Ad bonum opus alliceris? cogita: forſan huic alligata prædeſtinatio: nemo cognovit ſenſum Domini.* 38. *Dignum eſt, ut qui in omnibus te amat, in omnibus amantem redames DEUM.* Ex Diſcurſu 1. Megac. de Mundo cœleſti. 39. *omnia uti vult DEUS, tu quoque velis: velle meliùs non potes: nec à ſummè Bono venire malum poteſt.* 40. *Ut nihil patiaris, in tua non eſt poteſtate: pati aliquid debes: tantùm cura, ne ſine merito patiaris.* Ex Diſcurſu 2. Megac. de Mag. Aſtrol. 41. *Tantum permittitur Dæmon tentare, quantum prodeſt.* 42. *Spera in DEO, qui & juvare vult, quia bonus: ſcit, quia ſapiens: valet, quia Omnipotens.* Ex Diſcurſu 4. & 5. Megac. de Mag. Diab. 43. *Si terram diligis, terra es: ſi temporalia,*

*tranſibis cum tempore: ſi DEUM (prope dixerim) DEUS es.* 44. *Avis ne avolet, tenetur filo: anima, ne ad DEUM ſe levet, ab unica ligatur affectione: hæc licet modica, tenet tamen, nec à modico retinet profectu.* Ex Diſcurſu 6. Megac. de Brutis. 45. *Mundus, & caro vocant te, & ſequeris: vocat te Veritas, & non ſequeris: auſculta Veritati, ut non audias vanitatem.* 46. *Vocationis Gratia Gratiarum Iliadem continet: vide, quot Gratias in unica Gratia negligas.* Ex Diſcurſu 7. Meg. Ariad. Phyſ. 47. *Si Mariam amaveris, omnipotens eris.* 48. *Nunquam malè peribit, qui Mariæ devotus extiterit. S. Ign. M.* 49. *DEUS cor, & non ſubſtantiam penſat: nec cogitat, quantum, ſed ex quanto quis operetur. S. Bonavent.* Ex Diſcurſu 8. de Mag. Artific. 50. *Quid non faciunt mali, ut bonos pervertant? inficiari non potes, laboroſiùs illi fatiganturpro Orco, quàm tu pro Cælo.* Ex Diſcurſu ult. contra Janſenium.

# ORDO DISCURSUUM, *SECUNDÆ PARTIS.* *SEU* MEGACOSMI.

## I.

ATlas Philoſophicus, *ſeu* Diſcurſus Primus, *de Mundo cæleſti.* Patronus. *S. Ignatius Loyola, Fundator Societatis JEſu.* Doctrina Ethica: *de modo à Creaturis aſcendendi ad Creatorem.* Epiphonema Atticum. *Enthuſiaſmus D. Ignatij Loyolæ, novæ Authoris Philoſophiæ, in qua plùs amatur, quàm diſputatur.*

## II.

DIphthera Jovis, *ſive* Diſcurſus Secundus, *de Magia Aſtrologica.* Patronus. *D. Severinus Boëtius:* Doctrina Ethica: *de fortitudine animi in adverſis.* Epiphonema Atticum: *Horoſcopus deſcendens Severini Boëtij, de glorioſo ejuſdem Fato contra Fatum erectus à Philoſophia conſolante.*

## III.

VIrgula Pharaonis, *ſeu* Diſcurſus Tertius, *de Magia Diabolica in genere.* Patronus, *S. Cyprianus Philoſophus, & Magus, ex Mago Martyr.* Doctrina Ethica: *de modo reſiſtendi tentationibus.* Epiphonema Atticum. *Protrepticon D. Cypriani Mago-Philoſophi, ad Juventutem Academicam, pro conſervanda Innocentia, contra hoſtiles aſſultus.*

IV. Circe

# IV.

CIrce Philoſophica, *ſive* Diſcurſus Quartus, *de Magia Diabolica in ſpecie.* Patronus. *S. Gregorius Thaumaturgus Philoſophus, Dæmonum Victor.* Doctrina Ethica: *de Sapientiæ, & Caſtitatis ſtudio contra otium.* Epiphonema Atticum: *Programma à D. Gregorio Thaumaturgo, animarum Zelatore, Peripato affixum, contra otium, otiiq; Sectatores Philoſophos Nominales.*

# V.

ACademia Brutorum, *ſeu* Diſcurſus Quintus, *de Brutorum Diſcurſu.* Patronus. *S. Thomas Aquinas Philoſophus.* Doctrina Ethica: *de paſſionum Dominio.* Epiphonema Atticum. *Satyricon aculeatæ apiculæ, à Sopho Angelico Peripato affixum, contra Peccatores Pſeudo-Peripateticos.*

# VI.

ARiadne Phyſica, *ſeu* Diſcurſus Sextus, *de Magia Phyſica.* Patronus. *S. Bonaventura Philoſophus.* Doctrina Ethica: *de Negotio Vocationis.* Epiphonema Atticum. *Sarcaſticon irritati, ſpretique Numinis ad Philoſophos Vocationis Divinæ contemptores.*

# VII.

OEdipus Phyſicus, *ſeu* Diſcurſus Septimus *de Monſtris.* Patronus. *S. Hermannus contractus ex Ordine S. Benedicti.* Doctrina Ethica. *De cultu, & amore Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Studioſorum Patronæ.* Epiphonema Atticum. Anathema &c.

# VIII.

TEchnophylacium Phyſicum, *ſeu* Diſcurſus Octavus, *de Magia artificiali,* Patronus. *S. Albertus Magnus Philoſophus.* Doctrina Ethica. *De Bono bonæ Intentionis.* Epiphonema Atticum: *Privilegia Academica à S. Alberto M. Magiæ artificialis Magiſtro, amoris Divini Juſſu Peripato appenſa.*

# IX.

HYdra noſtri temporis, *ſeu* Diſcurſus Ultimus *de libertate indifferentiæ, etiam in ſtatu Naturæ lapſæ.* Patronus. *S. Juſtinus Philoſophus Mart.* Doctrina Dialectica: *qualem poſt factas hactenus à Janſenio Præmiſſas Friburgenſis Peripatus finalem ei, hoc tempore, præſagiat Concluſionem.* Epiphonema Articum: *Epitaphium ad urnam Novellæ Hæreſis ab antiquo Philoſopho Juſtino Martyre, affixum.*

*In-*

# Index Secundæ Partis.

## A.

ACbates lapis. Sol in eo à natura mirificè expreſſus. 196. in alio effigies Epiſcopi cum mitra &c. ibid. in alio Apollo cum cythara &c. 197.
Adoleſcens ſine humeris, & manibus ſagittas, &c. tractans. f. 190.
Adverſa hujus Mundi proſunt, neque hominem infelicem reddunt. 56. Electorum ſunt characteriſtica. ibid.
Septem hominis Ætates. Suus cuilibet Planeta reſpondens. 41.
Ægyptiaci, Aſtrologiæ Parentes. 48.
Agnus Tartaricus. 193.
D. Alberti M. elogium. 221. &c. Magus audit apud imperitos ob rara artis opera. 222.
Alchimiſtarum inutilis labor. 241. & ſplendida paupertas. 242. Alchimiſta à Leone X. lepidè deluſus. 242. deauratis in patibulis non ſemel ſuſpenſi alij. ibid.
Anguis Americanus ſtupendæ molis. 202.
Animalia mirô artificiô fabrefacta. 229. animalia an terminum habeant magnitudinis, & parvitatis? 205. 207. Animalia majora in multis ſuperantur à minoribus. 204. parva animalcula integras civitates, ac gentes deleverunt. 205.
Anates Hiberniæ. 194. 211.
Annulus artificioſus. 226.
Antipathia. Ejus effectus. 155. &c. 168. 194.
Apellis præſtantiſſima opera. 233.
Aquarum latentium ſigna. 159.
Aquilæ gratitudo. 135.
Aquilarum in Æthiopia robur. 207.
Argentum arte productum. 239.
Ars in minimis maxima. 225. ingenioſè imitatur cœleſtia meteora. 227. varia ejuſdem miracula. 222. 224. &c. 229. per totum diſcurſ.
Ars proficiendi in litteraria palæſtra. 108.
Asbeſtos lapis. 171. 175.
Aſini ſupplicium ob lunam, ùt lepidè credebatur, devoratam. 88.
In Aſphaltiten lacum etiam graviſſima projecta fluitant. 201.
Aſtra &c. Iris, & Cometæ &c. ſi non cauſa; an non certa ſaltem ſigna, & præcones futurorum linguæ ſint? 49.
Aſtrologi puniti. 228. lepida cujuſdam pœna. 228. mors alterius, & Epitaphium. 37.
Aſtrologia quænam probata, & quænam damnata? 39. 52. ejus obſervationes ex Planetarum concurſu, Eclypſibus, &c. qualis fidei? 49. &c. 51.
Aſtrologiæ inanis ridicula fundamenta convelluntur. 44. 46. &c. Aſtrologiæ cultores in tribus non contemnendi. 40.
Aſtrologorum auguria vana. 43. à S. Scriptura, & SS. Patribus, &c. damnata. ibid. ridentur à Sapientioribus Ethnicis. ibid. caſu nonnunquam ijs reſpondet eventus. 52.
Aſtrologorum effata cur proponantur ancipiti ſæpe verborum ſenſu? 53. cur jam falſa, jam vera? ibid.

Aſtro-

*Aſtrologus, totus propemodum Mundus* 54.

*Auri mira vis.* 173. *qualis ejuſdem geneſis?* 199. *&c aurum in cranio hominis inventum, unde?* 200. *aurum arte produci poteſt, & productum fuit.* 240. *&c.*

# B.

*Balænarum inſolens magnitudo.* 206.

*Barometrum, Divinum inventum.* 237. *præcipua ejus phænomena. ibid.*

*Boëtij elogium. vide infra D. Severini.*

*D. Bonaventuræ elogium.* 149.

*Botanicæ mira.* 162. *&c.*

*Brutis num ratio adſtruenda?* 117. *videntur ratiocinari, & agere propter finem, eligere media &c.* 136. *Brutorum loquela.* 118. *& artificioſa operandi peritia.* 120. 121. 122. 123. *nonnullas etiam artes homines ab ijs didicerunt. ibid. Apum, Formicarum, Elephantorum, aliorúmq; Brutorum prudentia.* 124. *in brutis diſciplinæ capacitas.* 128. *brutorum Ethica.* 130. *vitia &c.* 131. *Virtutes.* 132. *&c.*

*Bruta præſagiunt futura, revelant abſcondita, divinant occulta.* 126. *at, qua ratione?* 128. *non cognoſcunt per judicium comparativum, & hinc agunt quidem propter finem formaliter, ſed imperfectè.* 139. *agunt ſecundùm artem, non ex arte.* 123. *prudentia Eorum non eſt vera, ſed tantùm analoga.* 126. *idem ſentiendum de eorundem vitijs, & virtutibus.* 136. *Diſciplinæ capacitas in ijs unde proveniat?* 130. *Brutorum Monſtra.* 191.

*Brutis ſæpe pejores homines habent, quod ab iſtis diſcant.* 142.

*Bufo, mali Socij Symbolum.* 156.

# C.

*Calcis vivæ mira obſtupeſcit D. Auguſtinus.* 172.

*Campanellæ Sententia, plantas inter animalia numerantis, refellitur.* 194.

*Canis ex congeſtis annulis, cuique ſuum tradit.* 127. *Canis prudentia, & aſtutia.* 136. *Canum docilitas.* 129. *fidelitas.* 134. *Vindicta.* 130.

*Cardanus, & Campanella metallis vegetativam vitam abſurdè adſtruunt.* 198.

*Caro delicatè nutrita recalcitrat.* 77.

*Carteſij Sententia de brutis, à Peripato rejicitur.* 117.

*Caſtaneæ juxta Ætnam exoticæ magnitudinis.* 202.

*Caſtimonia, Magiſtra præſtantiſſima Scientiæ, ac Sapientiæ.* 108.

*Cerebrum æſtu libidinis penitùs conſumptum.* 108.

*Ceremoniæ, queîs Magi, &c. ſe Orco devovent.* 66.

*Chaldæi, Aſtrologiæ Nutritij.* 48.

*Chryſopæja an fabuloſa?* 239. *eſt quidem poſſibilis, ſed difficillima, & multis fraudibus obnoxia.* 241.

*Cicadæ Braſiliæ in viventia vegetativa degenerant.* 211.

Ciennien, *arbor Sinica, miræ vaſtitatis.* 202.

*De Cæli Natura, materia, forma, corruptione variæ Philoſophorum ſententiæ.*

tiæ. 5. &c. Cælorum numerus. 6. Cæli num ſolidi, an liquidi? 6. &c. Cælum planetarum, Empyreum. 6. Cælorum varia ſyſtemata. 15. Cælum eſt corpus creatum. Ejus notalis dies, ſitus, amplitudo, pulchritudo. 7. &c. ſupremi Cæli, & terræ diſtantia. 8.

Cælum à multis contemnitur. 9.

Colloquia turpia, ſummè nociva. 77.

Cometæ non ſemper; ſæpe tamen rerum fatalium ſunt prodromi. 50. hominum vultus, animóſque ad Cælum erigunt. 51. ex natura ſua ſæpe diſcraſiæ cujuſdam ſunt indicia. ibid.

Concordia rara muris, & felis, avis, & canis. 128.

Conſcientia bona, & mala. 211.

Conſuetudo prava difficulter expugnatur. 78.

Copernicus. Ejus ſyſtema. 13. in forma Hypotheſis defenſum. 14.

Corylaceæ Virgæ ſympathica ad metalla propenſio. 166. &c. 168. hujus Virgulæ abuſus. 166.

Creaturæ ſcala ſunt, per quam ad Deum aſcendamus. 30. hujus ſcalæ uſus. ibid.

Crux electorum Characteriſtica exoptanda. 56.

Contra Cupidinis tela ſcutum optimum, fuga otij. 106.

D. Cypriani converſio. 62.

# D.

Dæmones domeſtici. 76.

Dæmonis Scientia, & potentia. 60. &c. quæ tamen à Sanctis ludibrio ſæpe habita. 61. dæmonis latentes cuniculi ad ſubvertendos homines. 73. Ejus ſuggeſtionibus, & inſultibus quomodo obviandum? 74. &c. dæmon ſæpe ludit Sagas, Magos in convivijs, divitijs, & honoribus procurandis. 92. quòd nempe plerumque ipſi facultas; ſæpe deſit voluntas. 93.

Deliberatio de vitæ ſtatu negotium eſt negotiorum. 180. Diſc. VI. Ariad. Phyſ. quare illam mille dolis impedire ſatagit Diabolus. 184. Diſc. VI. Ariad. Phyſ.

Dentes Monſtroſi. 183. Diſcurſ. VII. Oedip. Phyſ.

DEUS ubique præſens. 30.

Dianæ Epheſinæ templum. 224.

Dracones Indici inſolitæ magnitudinis. 206.

# E.

In Elementa ſtupendum ſæpe Imperium tenebrarum Principis. 89.

Elephantis ſagacitas. 125. Vindicta. 130. Pietas. 132. Manſuetudo. 133.

Epitaphium Aſtrologi. 37. bicorporis Monſtri. 189. Pygmæorum. 185. Contemptoris Vocationis Religioſæ graviter puniti. 183. Diſc. VI. Ariad. Phyſ.

# F.

Faſciculus Florum artificioſus Reginæ Sabæ. 230.

Fatum quid ſit Aſtrologis? 83.

Ficus Indica. 202.

Filij à Maria Matre degeneres. 212. æternæ reprobationis ſtigma, inuſtum fronti, jam circumferunt. 212. 217.


Fletus.

*Fletus.* 209. *Ejus cauſa.* 210. *Fletus ſanguineus. ibid. Fletum Tyrannus quidam cur vetuerit?* 211.
*Fontes Juventam, Vitam, reſtituentes.* 101. 178. Diſc. VI. Ariad. Phyſ. *aliorum fontium, & fluviorum mira.* 176. 178. *&c.* Diſcurſ. VI. Ariad. Phyſ. *Paradoxæ fontium virtutes unde?* 178. Diſc. VI. Ariad. Phyſ.
*Fulgur.* 18.
*Fulmen, quid ſit?* 17. *triplici modò accenditur.* 17, *&c. accommodum illi tempus, æſtas.* 18. *Mira de fulmine.* 18. *&c. fulmen varium. ib. fulmina ad Cancri tropicum, & in Braſilia, cur rariora?* 18. *fulmine liquores tacti nocent.* 20.

# G.

*Gemma Paraquariæ,* admirabilis *dicta.* 171.
*Gigantum Monſtra.* 183. Diſc. VII. Oedip. Phyſ.
*Gleba Arabica verè heliotropia.* 172.
*D. Gregorij Thavmaturgi vitæ ſynopſis.* 104.

# H.

*Herbarum mira vis.* 162. *&c.* 164. *&c.* 192.
*D. Hermanni Contracti elogium.* 181. Diſcurſ. VII. Oedip. Phyſ.
Hoangicoyu *avis Simica in gratiſſimi ſaporis piſcem degenerat.* 211.
Hoitziltotlus *avis Indica, Crucis amorem docet..* 134.
*In Homine Naturæ mira.* 160. *&c. homines Monoculi, Cinocephali, aliisq; Naturæ vitijs notati.* 190. *num verus homo naſci ex fera poſſit?* 188. *homines occultis dæmonum fraudibus adeò acriter impetuntur.* 73. *& tamen rident inter pericula.* 74. *Domeſtici eorundem hoſtes; caro, ſenſus, occaſio, conſuetudo, ſcandalum &c.* 76. *qua ratione hoſtes hi expugnandi?* 76. 80. *&c. hominum dementia, qui ſe Orco devovent ſpontanea mancipia.* 66.
*Horologium Caroli M.* 229. *horologium hydraulicum.* 232.

# I.

*Jannellus Turrianus, ſui temporis Archimedes.* 226.
*Janſenius. Ejus hæreſis.* 248. *per totum Diſcurſ.*
*Jaſpis horologus.* 171. *Jaſpis, Imaginem Deiparæ, à Natura jam inſculptam, eleganter exhibens.* 197.
*D. Ignatij Loyolæ, Societatis JESU Fundatoris elogium.* 1. *&c. Ejus orandi ſtudium, & perpetua converſatio in Cælis.* 28. *&c.* 32. 34. *&c.*
*Ignis fatuus.* 16.
*Imaginationis vis.* 158. *inde ſtigmata infantium. ibid*
*Inedia in multos menſes naturaliter tolerari poteſt.* 100.
*Infans centoculi inſtar Argi natus.* 190. *alius, armati ſimilitudinem referens. Ibid.*
*Inſulæ duæ prodigioſæ, in lacu Mommonico Boreali, quarum una* Viventium *dicta.* 101.
*Intentio bona, verior eſt Chryſopæia.* 242. *hinc ad ſingulas actiones eſſet* exten-

*extendenda.*244. *ſed,quod dolendum, facilè negligitur,* 243.
*Interula Magica,ſeu* Inferni Camiſia, *ùt vocant.* 100.
*Iris. Ejus Natura, & geneſis.* 21.*&c. cæleſtis eſt Protheus, & ſignum tum Naturæ, tum Authoris Naturæ.* 73.
*D. Juſtini Martyris elogium.* 251.
*Juventus hoſtem ſeipsâ majorem non habet.* 76. *Juventus reſtituta.* 101. *ad Juventutem rediît Senior Hiſpaniæ Abbatiſſa.* 101.

# L.

*Lapicidinæ.* 169.
*Lapidum Natura, geneſis, pretium, virtus, aliáque mira.*170.*&c.* 172. *Eorum variæ, & rariſſimæ figuræ.* 196. *ob quas vitam illis quidam, ſed malè, tribuebant.* 197.
*Lapillus rarus Clementis VII. & Leonis X.* 171.
*Lapis fulmineus.* 17.
*Lapis Philoſophicus.* 239.
*Lauri à fulmine immunitas unde provenire poſſit?* 168.
*Levitas gravis, & levis gravitas.*201.
*Lucernæ inextinguibiles.* 231.

# M.

*Machinæ ab arte celebres.* 229.
*D. Maclovius in balæna Sacris operatur.* 206.
*Magia Artificialis.* 231. *& per tot. Diſcurſ.*
*Magia Diabolica. Ejus nuda cognitio, & Intellectum tantùm perficiens, eſt utilis, & Philoſopho neceſſaria.* 63. *hujus origo, & Natura.* 64. *Magiæ Diabolicæ ſummum Miraculum, quòd annis tot viguerit.* 65. *Magia hæc Diabolicâ fide nititur, proin infidâ.* 65.77.
*Magia Diabolica quid poſſit, quid non poſſit?* 87. .97. *quid in Sidera, & Elementa?* 88.90. *quid in bona fortunæ?* 91. *in bona famæ, etiam piorum?* 92. *quid in ipſum hominem?* 102. *hujus Magiæ effectus veri, & præſtigiatorij.* 70. *quorum veritas, aut vanitas unde deſumenda?* 71.
*Magia Diabolica quomodo fœderatos ſuos inſenſibiles, invulnerabiles reddat absque Miraculo?* 99. *an temporis præteriti reparare vigorem?* 100. *an absque penetratione nonnunquam cultros, clavos, & acus &c. in corpus immittere poſſit?* 98.
*Magia omnis an fabuloſa?* 85. *Magiæ Diabolicæ effectus quomodo diſcernendi ab invicem, & ab alijs?* 67.*&c.*
*Magorum &c. nocturna tripudia an ſolùm phantaſtica?* 94. *ritus in his orgijs execrandi. ibid.*
*Magiæ naturalis Paradoxa phænomena ſæpe ex antipathica, & ſympathica virtute facilè ſolvuntur.* 157. 168. *item alijs ex fontibus, ùt rerum ſimilitudine, vel diſſimilitudine.* 158. *influxu Siderum. ibid. naturali Magiâ palliatur non raro ſpuria, & Stygia.* 159.
*Magnetes validiſſimi in Norwegia.* 152. *Magnetica acus. Ejus inventio.* 151. *&c. virtus, & proprietates.* 152. *quomodo hæc virtus deſtrui, aut conſervari*

*vari poſſit?* 153. *Magnes armatus pondus ſuſtinet quinquagies centies ſeipsô majus.* 153. *Magnetis ludicra ſpectacula. ibid. ope Magnetis mira epiſtolas ſcribendi ars.* 154.
*MARIA,* Theſauraria *omnium Gratiarum.* 213. *Ejus cultus pignus eſt Prædeſtinationis. Neceſſitas, utilitas, honeſtas Mariani cultûs.* 213. *cultus hic quo potiſſimùm modô exerceatur?* 217. *Mariæ in impetrando potentia; ad ſuccurrendum promptitudo; Ejus Dignitas, & aliæ Gratiarum prærogativæ.* 214. *&c.*
*Maris æſtus.* 179. *Ejus cauſæ. ibid.* Diſcurſ. VI. Ariad. Phyſ.
*Metallicæ fodinæ.* 173. *ductuum metallicorum Signa* 159. 173. *Metallorum Natura, geneſis, virtutes.* 173. *metalla num vivant, & nutriantur Plantarum inſtar?* 198. *&c.*
*Microcoſ. cum Megacoſ. analogia.* 41.
Minimorum *operum mira.* 226.
Mira *inter, &* Miracula *diſcrimen.* 69.
*Mobile perpetuum.* 232.
*Monſtra. Eorum cauſa, & varietas.* 183. Diſcurſ VII. Oedip Phyſ. *monſtra arborum,* 202. *brutorum, piſcium.* 191. 201. *monſtra nonnunquam naſcuntur Divinâ Nemeſi Parentum ſcelera ulciſcente.* 188. *ſunt Iræ Divinæ non raro Interpretes, & calamitatum Feciales prodromi.* 190.
*Montes quidam, viva Inferni ſymbola.* 175. *varia eorundem mira. ibid.*
*Mundi Natales.* 4.
*Muſica.* 233. *cordium clavis.* 234. *& affectuum turbidorum moderatrix.* 235. *morborum ſæpiùs antidoton. ibid. &* 156,
*Myrmecidis compendioſa quadriga, & Navis.* 225.

# N.

*Natura juxta Plinium nusquam major, quàm in minimis.* 203. *Naturæ mira in homine.* 160. *&c. mira Naturæ opera non continuò ad Magiam releganda.* 164. *Naturæ abortus.* 187 190. *Naturæ Ordo, vel Univerſi leges ab Orco, ejúsque confœderatis an mutari poſſint?* 87. 97.
*Neronis Regia magnifica.* 225.

# O.

*Obſervatio. Non quælibet eſt ſuperſtitioſa.* 166.
*Occaſio mala.* 79.
*Oculorum cuſtodia.* 77.
*Oratio in tentationibus eſt ſcutum optimum.* 76.
*Otium, malorum omnium origo.* 105. *ad fugam otij quænam incitent?* 107.

# P.

*Palmæ genus, in Inſulis Maldivis, compendioſum Naturæ Armarium.* 165.
*Paradoxa Phyſica virtutis ſympathicæ, & antipathicæ.* 155. *&c.*
*Partus monſtroſi,* 187. *&c.*
*Philoſophi Antiqui in hortis, atque pratis docuerunt.* 116.
*Philoſophia, optima in adverſis Magiſtra, tunc vel maximè ſolatur.* 55. *&c.*
*Philoſophorum plerumque faſcinum, Veternus, & Philtra.* 105.

*Phonaſci lepidi, Pſittacus, & Moloſſus.* 112.
*Picturæ Artificioſæ Artificum celeberrimorum.* 231.
*Planetæ.* 10. *&c. ſeptem hominis ætatibus reſpondentes.* 41.
*Planta,* Agnus Tartaricus *dicta.* 193. *plantæ num ſentiant?* 194. *&c. plantæ in Regijs Peruviæ hortis ex argento, atque auro mirè celatæ.* 230. *quædam plantæ humanum tactum refugientes. Ab his Juventus diſcat.* 192. *Plantarum mira vis.* 162. *&c.* 164. *&c.*
*Pluviæ rariores. Sanguineæ, &c.* 227. *Ejusmodi pluviarum cauſæ.* 228.
*Polypus piſcis.* 137.
*Præſentia Divina.* 30. *Ejus exercitium.* 31. *Sanctis uſitatum.* 32.
*Præſtigiatorij Magiæ Partus.* 71.
*Profectus in litteris, & virtute ſimul, perquàm arcto nectuntur fœdere.* 106.
*Providentia Divina, non Caſus, aut Fortuna Mundum regunt,* 55. *Huic nos committamus.* 56.
*Pſillij, vino injecti, effectus.* 20.
*Pulvis pyrius.* 174. *paradoxæ Ejus vires, & inventio. ibid.*
*Pygmæi.* 184. *&c.* Diſc. VII. Oedip. *Phyſ. Ejusmodi pumiliones trecenti, & ſexaginta quatuor à Margaretha Comitis Hollandiæ Filia uno partu editi.* 184. Diſc. VII. Oedip. Phyſ.
*Pyramidum Ægyptiarum vaſtitas.* 224.
*Pyrus puerpera.* 201.

# R.

*Regiomontani mirabilis Muſca, & Aquila.* 229.
*Religioſi Statûs bonum.* 182. Diſc. VI. Ariad. Phyſ. *ob hunc neglectum multi ſalute excidunt. ibid. &* 184.
*Riſus.* 209. *Ejus cauſa.* 210. *quidam riſu extincti. ibid. riſum fatalem movent herbæ quædam, aliáque. ibid. riſus in Peripato Athenienſi ſeveriſſimè proſcriptus. ibid.*
Ruc, *avis portentoſi roboris, Elephantem in ſublime rapit. &c* 207.
*Rupes ambulans.* 202.

# S.

*Sagæ cur ſauciæ in illo membro, quod in ferino corpore ictum exceperat?* 98.
*Saludatores Hiſpaniæ.* 161.
*Sapientia impuris non conceditur.* 108. *&c.*
*Schediaſmatum, characteribus Magicis inſignitorum, inanitas.* 99.
*Scientia ſine virtute non magni æſtimanda.* 61.
*Senſuum, oculorum maximè, & aurium cuſtodia.* 77.
*Serpens centum viginti pedes longus.* 206
*D. Severini Boëtij elogium.* 55. *Ejus Artificioſa opera Magiæ inſimulata.* 231.
*Siderum motûs velocitas.* 12. *& cauſa* 13.
*Simia Julij Imperatoris caſtaneas ingenioſè clepit.* 138. *Simia Bengalenſis mirô modô Chriſtianorum legem optimam eſſe conteſtabatur.* 127. *Simiæ in India de pecunijs cum Barbaris ludunt, &c. ac de parto lucro potum liberaliter ſolvunt.* 136.
*Simij duo è Luſitana progenerati.* 187.

*Simon, famoſus Magus.* 86.
*Sol. Quidam totâ vitâ ſole tantùm paſtus.* 100.
*Sonipes Apellis.* 233.
*Sphæra prodigioſa Archimedis.* 227.
*Spicæ, in Æthiopiæ Inſula, ſtupendæ Magnitudinis.* 203.
*Statuæ celebres.* 229. *Statua Fenellæ Reginæ cum pomo aureo; at luctuoſo.* 230. *bellum eſt voluptatis tranſitoriæ ectypon. ibid.*
*Stellæ fixæ.* 11. *Earum numerus, & magnitudo.* 11. *&c.*
*Stratagema lepidum Coſingæ.* 29.
*Succi Stygij ad ſoporem inducendum.* 100 *Succorum quorundam thavmaturga vis.* 174.
*Sympathia. Ejus effectus.* 155. *&c.* 194.
*Syſtema Copernicanum.* 13.

# T.

*Temperamentum ex influxu Planetarum.* 41.
*Tempeſtates Magicæ.* 90. *non ſemper oriuntur ope Diabolicâ, quamvis Sagæ id exiſtiment.* 91.
*Templum Dianæ Epheſinæ.* 224.
*Tempus malè impenſum.* 107.
*Tentationes quomodo eludendæ?* 74. *&c.*
*Terra.* 208. *juxta Campanellam animal eſt rationale. ibid. Terræ Motus. Quæ Eorum cauſa, & Natura?* 208. *integras evertunt Urbes.* 209. *Eorum prævia indicia.* 209.
*Thermometrum.* 235. *Ejus inventio, & Commoda. ibid.*
*D. Thomæ Aquinatis elogium.* 140. *&c.*
*Tonitru.* 18.
*Troglodytæ.* 185.
*Tuba. Harum clangorem exactè imitatur Peruviæ quædam volucris.* 122.
*Tubus Torricellianus.* 237.

# V.

*Venti unde, & quid ſint?* 24. *&c. quæ impulsûs Eorum cauſa?* 25. *cur tanta diverſitas?* 26. *quinam Venti ſerenitatem afferant, vel tempeſtates?* 27. *Venti Magiâ excitati.* 89. *Venti in duobus Brachmannum dolijs.* 89. *& apud Finnos, &c. Venti venales. ibid. Ventorum utilitas.* 28. *Vis.* 228.
*Veſuvij Montis triſte ſpectaculum.* 175.
*Veternus, Philoſophorum faſcinum.* 105.
*Vires maximæ minimorum animalculorum.* 205.
*Virtus homini utilis, & neceſſaria. à Beſtijs illum hæc diſcernit.* 143.
*Vita hominum tota propemodum otioſa.* 108.
*Vitrum. Ejus flexilem temperiem Tiberij Cæſaris Artifex invenit.* 231.
*Vivens ex non vivente.* 211.
*Vocatio ad certum Statum res eſt maximi momenti.* 181. Diſc. VI. Ariad. Phyſ. *Vocationis neglectæ contemptor num reatûs gravioris reus? ibid. Vocationis neglectæ pœna.* 182. 184. Diſc. VI. Ariad. Phyſ.
*Voces articulatæ avium, & Brutorum.* 119.
*Voluntas hominis à deſpotica Magiæ Tyrannide ſemper immunis.* 103.
*Uranoſcopus piſcis, cæleſtium amorem doceat.* 134.

Z. *Zeu-*

# Z.

*Zeuxis picturas ſuas magni æſtimabat.* 233. *unam tamen damnabat ipſus.* 233.

*Ziſchas Hæreticus, cur poſt mortem ex ſuo corio fieri tympanum voluerit?* 169.

*Zoophyta.* 192. *ad varias ſpecies à varijs referuntur.* 193.

*Zoroaſter infamis Magus.* 64.

*  *  *

# F I N I S.

## Errata emendanda.

| | | |
|---|---|---|
| Selucia. | lege | Seleuciæ. 30. lin. 10. |
| cæpit. | - | cepit 63. l. 22. |
| Suis | - | tuis. 36. l. 24. |
| Trithen | - | Trithem. 71. in citat. |
| Anditotum | - | antidotum. 74. l. 9 |
| Magarum | - | Magorum. 88. l. ult. |
| immiſſo | - | immiſſa. 90. l. 30. |
| obnoxiæ | - | obnoxia. 102. l. 6. |
| Si quæ digna callidè. | - | Si quæ digna amore |
| - | - | exaggeret, quæ indi- |
| - | - | gna callidè occultet. |
| - | - | lin. 102. circa fin. |

| | | |
|---|---|---|
| Henrici D. | lege | Henrici VIII. 119. l. 25. |
| aufferunt. | - | auferunt. 123. l. 13. |
| MEL. | - | LEUC. 136. l. 10. |
| animatum | - | animatam. 168. l. 3. |
| asbeſton. | - | asbeſtos. 171. l. 25. |
| - | - | & 175. l. 5. |
| coryſacea | - | corylacea. 174. l. 9. |
| Brisgojæ | - | Brisgojo. 174. l. 28. |
| falſa | - | Salſa. 179. l. 4. Dicurſ. |
| - | - | VI. Ariad. Phyſ. |
| hæ | - | hæc. 195. l. 11. |
| Scrobe | - | Scobe. 199. l. 13. |